









P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBRI VII–XII.



P. VIRGILII MARONIS



AENEIDOS

LIBRI VII—XII.

EDIDIT ET ANNOTATIONE ILLUSTRAVIT

P. HOFMAN PEERLKAMP.

LEIDAE

APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.

MDCCCXLIII.

EX TYPOGRAPHEO I. G. LA LAU.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER SEPTIMUS.



Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix,
Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti;

Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix. Aeneidis septimae initium longe melius, ut nunc puto, ducitur a vs. 37. *Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum.*

Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix. Nutrix Aeneae, nulla re alia nobilis, nisi quod nutrix fuit Aeneae, dedit litoribus Italiae *aeternam famam.* Hoc nimium est. Si v. c. Augustus ibi Antonium vicisset, ea victoria *aeternam* litori famam dedisset, non *moriens nutrix*, licet nutrix Aeneae. Heynius in Excursu I. postquam omnia ad hanc narrationem excusandam attulit, disputationem ita finivit: »Hoc tamen verum est, post similem de Miseno et Palinuro narrationem, novitatem huic Caietae commemorationi deesse." Nec bene *litoribus* pro *huic litori.* Illud *quoque* iam reprehenderunt veteres: respicit enim ad Misenum VI. 232. Ab eo loco nimis esse seiunctum, cum ultimis versibus libri praecedentis nimis coniunctum, recte animadvertunt. Iam saepe dictum est, grammaticos carmina poetarum in locis geographicis plurimum inquinavisse. Interdum amor soli natalis, interdum cupido ostentandae doctrinae et facilitas glossematum apte inserendorum, talia nobis additamenta pepererunt. Totus iste litorum tractus varia habebat nomina, quae historici, propter fortuitam aliquam similitudinem ad tempora Aeneae referebant. Grammatici alia de Baia, Leucosia, Prochyta, Aenaria, fingere potuissent. In hoc de Caieta additamento Ovidius exemplo esse pot-

Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exsequiis Aeneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant aurae in noctem, nec candida cursus

uit, qui Virgilium longe superavit: Ovidius Metam. XIV. 441. *urnaque Aeneia nutrix Condita marmorea, tumulo breve carmen habebat: Hic me Caieten notae pietatis alumnus Argolico ereptam, quo debuit, igne cremavit.*

Et nunc servat honos sedem tuus. Nescio fere, quid ista Latine significent, nisi *honos manet*, in *sua sede manet*, non movetur, stabilis ad hunc usque *diem permansit.* Heynius: »Exquisite, pro *honos adest adhuc*, servatur sedi tuae, tumuli tui exstat adhuc memoria."

Ossaque nomen, Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat. Nomen signat *ossa*, pro signat *sepulcrum*, dure. Melius Ovidius II. Metam. 326. *Corpora dant tumulo, signentque hoc carmine saxum.* Vide Burmannum. Melius Silius III. 440. *nec honos intercidit aevo, Defletumque tenent montes per saecula nomen.* XII. 165. *Misenum servantem Idaea sepulcro Nomina.* Iam *si qua est ea gloria* sententiam habent ineptam. Poeta voluit, *quae sane magna est gloria;* sed dixit contrarium: licet ea *non sit tanta gloria.* Heynius ita accipi vult: *quae est magna gloria.* Concedamus, quamquam vix sine ironia quadam dici posse iudico; modo poeta canit nutricem litoribus Italiae aeternam dedisse famam: nunc canit nutricem ab iisdem litoribus magnam accepisse gloriam?

At pius exsequiis Aeneas rite solutis. Aeneas ante horas aliquot socios reliquerat vs. 235. libri VI. postquam cum iis Misenum sepeliverat. Filum narrationis abruptum est per descensum ad inferos. Hoc filum repetitur. Aeneas, perfecto descensu, *viam secat ad naves sociosque revisit.* Hic statim in memoriam recens sepulti Miseni redimus. *Huic igitur Miseno* exsequiis rite solutis compositoque, ut narratum est, sepulcro, portum Cumanum relinquit. Sine exsequiis rite solutis, vela ventis non dedisset. Nam Misenus funere totam classem infestabat. Ideo de exsequiis repetitur.

Adspirant aurae in noctem. Valerius Flaccus II. 580. *Panditur hic totis in noctem carbasus alis: Litoraque et veteris tumulos praelabitur Ili, Dardaniumque patrem.* Ubi legendum puto: *Dardaniumque ratis.* Argo saepe *ratis* a Valerio appellatur.

Luna negat; splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circaeae raduntur litora terrae:
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenuis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum,
Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum;
Saetigerique sues, atque in praesepibus ursi
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum;
Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.
Quae ne monstra pii paterentur talia Troes,
Delati in portus, neu litora dira subirent:
Neptunus ventis implevit vela secundis,
Atque fugam dedit, et praeter vada fervida vexit.
Iamque rubescebat radiis mare, et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Quum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus et in lento luctantur marmore tonsae.

Inaccessos. Quo nemo *unquam accessit*, quia non potuit: hinc *inaccessibiles*, qua forma Romani carent. Eadem est ratio aliorum, ut adiectivorum *invictus*, similium. Statius Theb. I. 50. *inadspectos coelo radiisque penates servantem.* Wagner. interpretatur: ad quos accedere *periculosum est*, ut χεῖρες ἄαπτοι, quas non sine periculo tangas.

Quae ne monstra pii paterentur talia Troes. Columella de Cultu hortorum I. *Haec ne ruricolae paterentur monstra.*

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. Schraderus et Bentleius volebant *croceis.* Heynius haeret in mira colorum temperatione. Ausonius in Periocha Odysseae et Iliadis. *Iam coelum roseis rutilat Tithonia bigis: Aurora in croceis fulgebat lutea bigis.* Recte Ausonius *roseum* et *lutea* non iunxit. *Luteus* color est, qualis in vitello ovi, minus adeo cum *rosis* conveniens. In *Iride* sunt isti colores simul iuncti, non in *Aurora.*

Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno,
Verticibus rapidis, et multa flavus arena,
In mare prorumpit. Variae circumque supraque
Assuetae ripis volucres et fluminis alveo
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis terraeque advertere proras
Imperat, et laetus fluvio succedit opaco.
  Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Quum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam, et primae revocabo exordia pugnae.
Tu vatem, tu, diva, mone. Dicam horrida bella;
Dicam acies, actosque animis in funera reges,

Aethera mulcebant cantu. Servius ad Aeneid. IV. 524. citat *aequora.* Wakefieldus volebat *aera.* Cur bono? Ovidius Fastor. I. 155. *Et tepidum volucres concentibus aethera mulcent.* Ambrosius Hexaem. V. 12. *aves aethera cantu mulcere consuerunt.*

Nunc age, qui reges, Erato. Hoc esse puto initium libri septimi. Virgilius in sex prioribus libris errores Aeneae absolvit. Vidit Aeneas patrem, venit in Italiam. Est haec altera pars Aeneidis, novum quasi opus. *Maius opus*, dicit ipse, *moveo: maior rerum mihi nascitur ordo.* Si hoc non est aptum novi libri initium, ignoro quid sit aptum initium. Ita Livius Bellum Punicum II in novo libro et cum praefatione incipit: *In parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime memorabile omnium, quae unquam gesta sint, me scripturum.* Sic Apollonius orditur librum III. *Εἰ δ' ἄγε νῦν, Ἐρατώ, παρά θ' ἵστασο.* Servius annotavit: »Hinc est sequentis operis initium. Ante dicta enim ex superioribus pendent."

Quae tempora rerum. Formula *rerum status* adeo communi usu veterum poetarum et historicorum recepta est, ut non credam Virgilium in simplici propositione ab ea discessisse. Quare distinguo: *quae tempora, rerum Quis Latio antiquo fuerit status.*

Tu, diva, mone. Valerius Flaccus IV. 348. *Tum pius Oeagri, claro de sanguine vates, Admonita genetrice, refert casuque locorum* sq. Ubi scribendum *admonitus.*

Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Maior rerum mihi nascitur ordo;
Maius opus moveo. Rex arva Latinus et urbis
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Accipimus; Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato divom, prolesque virilis
Nulla fuit, *primaque oriens erepta iuventa est.*

Maior rerum mihi nascitur ordo. In Goth. *rerum maior.* Vulgatum et Ammian. Marcell. agnoscit XV. pag. 53. *Quoniam, ut Mantuanus vates praedixit excelsus, maius opus moveo, maiorque mihi rerum nascitur ordo. Maior* est *gravior.* Ita Quintil. Inst. II. 5. *Et hic* (Sallustius cum Livio comparatus) *historiae maioris est auctor.* Sive autem dicas *maior ordo*, sive *rerum maiorum*, eodem redit. Non haec est hypallage. Non recte Gronovius in Livio I. 1. *ad maiora initia rerum ducentibus fatis*, correxit *maiorum;* ut neque Hemsterhusius in Xenoph. Ephesio II. pag. 18. εἶχε δ' ἄρα μεγάλην ἀρχὴν συμφορᾶς ὁ ἔλεος, bene correxit μεγάλης.

Prolesque virilis Nulla fuit. Hoc est: *Nullam habuit prolem virilem, filium nunquam habuit.* Atqui mox dicit *filium patri prima iuventa fuisse ereptum.* Si voluisset poeta, Latinum tunc, quum Aeneas in Italiam veniebat, non habuisse filium, dixisset: *prolesque virilis Non erat, haec oriens prima est erepta iuventa.* Legendum vel: *Una fuit;* vel, quod praestat, verba *primaque oriens erepta iuventa est* sunt delenda. Nam *et* huic loco minus convenit, requiritur nempe *prima enim* iuventa ei erepta est. Nec bene iunguntur *oriens prima iuventa erepta est. Prima iuventa* non dicitur de infantibus vix natis. Recte autem *fato divum* non habuit filium. Est enim haec omnibus regibus calamitas, Latino inprimis fuit, propter Turnum et Aenean. Servius quidem annotavit: »Per transitum tangit historiam. Amata enim (uxor Latini) duos filios, voluntate patris Aeneae spondentes Laviniam sororem, factione interemit: unde et *erepta* dixit, quasi per vim. Hos alii coecatos a matre tradunt, postquam amisso Turno Lavinia Aeneae iuncta est.“ Sed magna semper in istis historiis fuit varietas. Et Virgilius alteram sequi potuit, vel etiam ad consilium suum mutare.

Sola domum et tantas servabat filia sedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnis
Turnus, avis atavisque potens: quem regia coniunx
Adiungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas quum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Huius apes summum densae (mirabile dictu),

Sola domum et tantas servabat filia sedes. Imitationes sunt Valerii Flacci I. 721. *O domus, o freti nequidquam prole Penates.* Conf. Burmannus ad VII. 50. *Vobisne domos, vobisne penates Esse putem.* Silius VI. 439. *Vestigia nostri Casta tori, domus et patrium sine crimine servat Inviolata Larem.* Quibus exemplis commendari fortasse potest illud, quod Schol. Theb. I. 572. legit: *tantos servabat nata penates.* Statius dixerat: *huic primis et pubem ineuntibus annis Mira decore pio, servabat nata penates.* Sed in hoc Scholiasta saepe verba Statii pro verbis poetarum laudatorum male repetuntur: quod vel memoriae ipsius deceptae, vel librariis tribuendum est. Vulgatum quoque idem Schol. vidit ad Theb. I. 393: »Ut Virgilius: *Filius huic fato divum prolesque virilis Nulla fuit.* Sed et alibi: *Sola domum et tantas servabat filia sedes, Natorum n. d.*" Ubi legendum *Iam matura v. i. p. n. a.* Est et imitatio Claudiani de Rapt. Pros. I. 122. *Hennaeae Cereri proles optata virebat Unica. Iam vicina thoro plenis adoleverat annis Virginitas.*

Turnus, avis atavisque potens. Avi et atavi, ut *avi et proavi.* Ambrosius Hexaem. III. 7. *alius avis atavisque nobilis.* Reddenda est vox Valerio Flacco VI. 109. *Inde etiam par mortis honos: tumulisque recepti* (canes) *Inter avos positusque virum.* Lege: *inter avos proavosque.* Flaccus de *canibus* dixit *avos et proavos*, ut Virgilius in Georgicis *avi numerantur avorum* de apibus.

Huius apes summum. In Medic. a manu prima *talamum.* Hoc corruptum esse arbitror ex *altum.*

Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae,
Obsedere apicem; et, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partis petere agmen easdem
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce.
Praeterea, castis adolet dum altaria taedis,
Ut iuxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalisque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Volcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore illustrem fama fatisque canebant
Ipsam; sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni,

Externum cernimus, inquit, Adventare virum. Guietus ad Lucani VII. 161. putat Virgilium hoc finxisse ex omine, quod Caesari in castris accidit: *Nec non innumero cooperta examine signa.*

Regalisque accensa comas. accensa coronam. Haereo in ordine rei narratae. Virgo ignem crinibus comprehendit, et omnem ornatum crematur, accensa non modo comas, sed etiam coronam. Tum fumida involvitur lumine fulvo, et ignem spargit totis tectis. In illo *omnem ornatum crematur*, ambiguum est, quid sit *ornatus*. Si *ornatus* capitis, non opus erat repetere *coronam*. Si *ornatus* corporis, seu *vestitus*, non recte sequuntur *tum involvi lumine. Tum* indicat novam rem: sed isto ordine, qui nunc est, servato, ea res in antecedentibus iam erat narrata. *Omnis ornatus* reliqua corporis ornamenta, vestitum ostendere videtur. Flamma ex crinibus dispersa totam virginem incendit. Mallem: *Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem: Regalisque accensa comas, accensa coronam Insignem gemmis, tum fumida, lumine fulvo Involvi, atque omnem flamma crepitante cremari Ornatum, ac totis Volcanum spargere tectis.*

Rex sollicitus monstris. Donat. MS. Fabric. *monstrorum.* Wakefieldus recepit. Wagnerus exemplum si-

Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quae maxima sacro
Fonte sonat, saevamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italae gentes, omnisque Oenotria tellus,
In dubiis responsa petunt. Huc dona sacerdos
Quum tulit, et caesarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentis,
Atque harum effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,

mile desiderat. Burmannus iuvenerat apud Claudianum in Eutrop. II. 339. *sollicitus scenae.*

Lucosque sub alta Consulit Albunea. Legendum coniicio: *lucoque sub alto Consulit Albuneam.* Albunea est Nympha. *Lucus* mox memoratur vs. 95. *Subita ex alto vox reddita luco est:* ex *alto luco* eodem, *sub quo* consulit Albuneam. Oraculum Fauni iuxta fontem fuisse videtur, idque edidisse Nympha Albunea, ut Pythia Apollinis.

Nemorum quae maxima sacro Fonte sonat, saevamque exhalat opaca mephitim. Locus admodum obscurus. Heynius explicat: »Lucus subiacet fonti. Fons est in lacu inexploratae altitudinis. Haec Albunea *maxima,* admodum magna, manat, larga aquarum vena fluit fonte suo. *Nemorum* pro in *isto nemore*, Graece dictum *τοῦ ἄλσους* pro *κατὰ*, *διὰ τοῦ ἄλσους*, et hoc pro *ἐν ἄλσει*." Haec Heynius. Alii iungunt *lucos nemorum;* alii *fonte nemorum;* alii autem *Albuneam* dici silvam existimant. Locus in huiusmodi interpretationibus manet aeque obscurus. Ego saltem non intelligo. Corruptum esse arbitror. Tentavi coniecturam, ut aliorum feliciorem elicerem. Nemo quidquam reprehenderet, spero, si in MS. aliquo inveniremus: *Nemorum qua maxima sacro Fonte sonant, saevamque exhalant stagna mephitim.* Nihil mutavi fere, nisi OPACA in STAGNA. *Maxima nemorum*, pro *ingentia nemora*, ingens nemus.

O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec responsa patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus;
Sed circum late volitans iam Fama per urbis
Ausonias tulerat, quum Laomedontia pubes
Gramineo ripae religavit ab aggere classem.
  Aeneas, primique duces, et pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altae;
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subiiciunt epulis, (sic Iupiter ille monebat)

Thalamis neu crede paratis. Medicens *paternis*. *Parati* sunt *faciles*, qui nullo labore eum Italo aliquo principe inngerentur, qualis v. e. iam erat Turnus. Oppositi sunt thalami cum generis *externis*. Conf. Oudendorpius ad Sueton. Caesar. 56.

Vertique regique videbunt. Ista non pulchre dicta sunt. Sufficit, et vehementius est *sub pedibus videbunt*. Silius XVII. 144. *Qui modo sub pedibus terras et sceptra, patensque Litora ad Oceani sub nutu viderat aequor.* Et castigati scriptores vulgo *sub pedes verti* dicunt. Nec inngere poteris *sub pedibus regi*. Dubito an haec sit manus Virgilii. Elegantius certe foret: *Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens Adspicit Oceanum, domini regesque videbunt.* Titulus *domina et regina orbis Roma*, *Romani domini et reges*, notior est, quam ut illustrem. Ipse Virgilius appellavit *populum late regem* et *Romanos rerum dominos.*

Sed circum late volitans. Latinus quidem non tacuit, sed Fama vulgavit. Hoc non procedit. Quare malim: *Et circum late volitans.*

Ripae — aggere. Similibus illustravit Burmannus ad Valerii Fl. VI. 149.

Sic Iupiter ille monebat. Duplex fertur interpretatio: sic animus, ut ita facerent, *subiiciebat*: et, id Iupiter olim *praedixerat* fore ut accideret. Pro *ille*, in aliis MSS. *ipse*. Heinsius *ille* tuetur, eamque pronominis significationem multi postea illustravere, Oudendorpius ad Lucani V. 92. Burmannus ad Calpurnii Eclog. IV. 93. et interpretes ad Silii III. 181.

Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus.
Nec plurâ alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.

qui locus nostro huic simillimus est: *Respexisse veto: monet hoc pater ille deorum. Ille* modo cum emphasi positum, modo rei antecedentis memoriam revocat. Si legatur *ipse*, mallem *Iupiter ipse volebat.* Ut Statius Theb. IV. 739. *Sic Evius ipse parabat. Iupiter ipse*, ne putes hoc temere aut sine consilio a Troianis esse factum, hoc ita fieri volebat, iis, ut scilicet ita facerent, in animum suggessit.

Primamque loquentis ab ore Eripuit pater. Verum puto, quod Burmannus coniecit, *arripuit.* Non tamen de *omine* interpreter. Dixerat Iulus: *mensas consumimus.* Ea vox Aenean movebat. Erat in ea aliquid, quod sic praetermittere ac statim oblivisci non poterat. Quare vocem *suscepit*, *arripuit*, et de eo cogitavit. Vocem praeterlabi, et, ut audita erat, ex animo elabi, non passus est.

Ac stupefactus numine pressit. Varie explicant. Burmannus: »Aeneas Ascanio vocem *eripuit*, prohibuit, ne Ascanius plura forte inominata subiiceret, ideo *pressit* manu os Ascanii." Heynius: »*Eripuit* simpliciter dicti celeritatem declarat, quod Aeneas subiicit: *pressit*, vocem Ascanii repressit, eumque loquentem interpellavit." Wagnerus: »*Paulum haesit*, secum reputans haec verba *animo pressit*, atque ut omnia congruere videt veteri illi oraculo, continuo salvere iubet terram sibi debitam. Similiter *dolorem, curam corde premere.*" Ego scribendum arbitror: *stupefactus mente peregit.* MENTE a NUMINE et PRESSIT a PEREGIT non valde differunt. *Pressit* pro *animo pressit* non dicitur. *Dolorem premere*, est *opprimere*, *celare. Peragere mente* est Virgilianum VI. 105. *Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.* Aeneas vocem, quae Ascanio ex ore exciderat, *arripuit*, in animum demisit, deque ea cogitavit. Nam sentiebat eam vocem aliquid significare, esse aliquod in ea omen, adeo ut esset stupefactus. Postquam igitur eam vocem *mente peregerat*, continuo redit in memoriam oraculi,

Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates.
Hic domus, haec patria est. Genitor mihi talia namque,
Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas:
Tum sperare domos *defessus*, *ibique memento*
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Haec erat illa fames; haec nos suprema manebat,

quod Anchises olim secum communicaverat. Aeneas statim eam vocem non intelligebat, sed breviter cogitando eo pervenit, ut intelligeret, hoc esse praedictum. Quare mox dicit: *nunc repeto;* et: *haec erat illa fames.* Virgilius plane idem aliis verbis sic extulit VII. 254. *volvit sub pectore sortem: Tandem laetus ait.* Quid Paullinus Petricorius in Virgilio legerit, non apparet. Respexit quidem in Vita S. Martini V. *Haec vox prima fuit; primoque loquentis ab ore Eripuit partem, atque auditam in viscera mersit.*

Anchises fatorum arcana reliquit. Praedixit Celaeno III. 255. confirmavit Helenus III. 394. Heynius probabile arbitratur, Virgilium fabulam de Harpyiis supra curis secundis intexuisse, et morte praeventum reliqua non potuisse mutare vel accommodare.

Tum sperare domos. Scribendum puto *sperate.*

Prima locare manu molirique aggere tecta. Nimis multa verba in re simplici *urbem aedificare.* Neque *prima* recte intelligo. Accipiendum certe pro *primum*, *tum demum.* Sed quoties iam Aeneas urbem et domos posuerat? In nova urbe condenda, primum est, ut *moenia* ducantur. Hoc si in *aggere* continetur, obscuritate locus laborat. Quis ita loqueretur, *moliri tecta aggere* pro *cum aggere? Moliri tecta aggere* significat domos facere ex aggere, fortasse casas ex cespitibus. Ita Seneca epist. 90. *Exesae arboris trunco tecta moliri.* Heynius: »*Moliri aggere tecta*, ornate, urbem aedificare, quod fit vallo ducto. Burmannus: »*Moliri*, est *fundamenta urbis ponere.*" Sed tum Virgilius dixisset *urbem moliri.* Tecta *moliri* est *domos aedificare.* Sic utitur Seneca Epist. 10. *docuit tecta moliri.* Alia sunt in hoc loco reprehendenda. *Defessus*, epitheton sine vi, quo lubens careas. *Ibi*, plane supervacuum. Quocunque venit Aeneas, semper in *litora ignota* venit.

Manebat. Sic et Fronto p. 532. In Rom. *manebant.* Pro *exitiis*, in

Exitiis positura modum.
Quare agite, et primo laeti cum lumine solis,
Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, et Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina; tum Noctem, Noctisque orientia Signa,
Idaeumque Iovem, Phrygiamque ex ordine Matrem,
Invocat, et duplicis Coeloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter coelo clarus ab alto
Intonuit; radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,

Goth. *exiliis*, atque ita Burmann. coniecit. Utrumque verum habeo: *haec nos extrema manebant Exiliis positura modum.* Heynius *exitia* interpretatur *calamitates*, *aerumnas.* Sed quomodo Aeneas finem calamitatum exspectare poterat, qui sciret, VI. 86. ipsum, tot periculis pelago iactatnm, terra manere graviora? Adventus in Italiam eum erroribus, exsiliis liberabat, non liberabat aerumnis.

Nunc pateras libate Iovi. Heynius animadvertit eleganter dici potuisse *pateris.* Cogitabat, ni fallor, illa *facere vitula*, similia.

Radiisque ardentem lucis et auro. Quod Heynius censebat magis placere posse *aura*, mihi quidem *auro* non movendum esse videtur. Egregie *aurum* de sole. Valer. Flaccus II. 57. *certusque ad talia Titan Integer in fluctus et in uno decidit auro.* Sol integer, et *in uno auro*, non habens varios colores, sed unnm integrum auri. Valerius ex Virgil. Georg. I. 393. explicandus est: *certus ad talia* est Virgilii, *solem quis dicere falsum audeat?* Et Virgilius loquitur de *certis signis.*

Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem. Mediceus a mann p. *manum.* Valer. Flaccus II. 196. *Ipsa Venus quassans undantem turbine pontum Agglomerat tenebras.* Alii pro *pontum* habent *pinum.* Redde ex Virgilio *nubem.*

Advenisse diem, quo debita moenia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti statuunt, et vina coronant.
  Postera quum prima lustrabat lampade terras
Orta dies: urbem, et finis, et litora gentis
Diversi explorant; haec fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes;
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora; festinant iussi, rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum; primasque in litore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum

Omine magno. Heynius: »Cum tam manifestum augurium ipsis datum esset." Wagnerus iungit *laeti omine*, putans *omine tanto* recte dici posse absolute, non *omine magno*. Quidni? Sallust. B. Catil. 46. *Eo senatum advocat, magnaque frequentia eius ordinis, Volturcium cum legatis introducit.*

Haec fontis stagna Numici. Credo *fontis* esse idem ac *fontes: haec stagna esse fontes Numici*, hunc fluvium esse Thybrim. Licet mox *fontem* Numici memoret, *fontes* da uno rivo satis usitatum est. Ovid. Fast. V. 7. *Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes Grata Medusaei signa tenetis equi.* Ubi omnino scribendum est *stagna*. Si vera sunt illa, quae Wagnerus in Excursu Heyniano III. ad hunc librum disputat, Numicium ex stagnis prodire, magis apparet iungenda esse: *haec stagna sunt fontes Numici.* Servius de Numicio annotavit: »Quod autem ait *stagna*, verum est. Nam Numicus ingens ante fluvius fuit: in quo repertum est cadaver Aeneae et consecratum. Post, paullatim decrescens, in fontem redactus est, qui et ipse siccatus est, sacris interceptis. Vestae enim libari non nisi de hoc fluvio licebat." Pro *sacris interceptis* lege *scatebris interceptis*. Numicius tandem totus exaruit, quia Vestales scatebras iam redacti ad fontem fluvii interceperunt.

Ardua cernebant iuvenes, muroque subibant:
Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus;
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Quum praevectus equo longaevi regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,

Aut acris tendunt arcus. Pueri et iuvenes *acres.* Mallem *curvos.* Ut mox *spicula lenta.*

Praevectus. Alii *provectus.* Ridiculus error in quibusdam editionibus, *praefectus.*

Solio. Servius: »Solium est veluti armarium de uno ligno ad regum tutelam factum. Secundum alios a *soliditate* dictum. Secundum Asprum per Antistoichon, quod *solum* unum capit: quasi *sodium* a *sedendo.* Nam et *sella* quasi *sedda* dicta est." Hemsterhusius sic emendabat: »Secundum Asprum, quod *solum* unum capiat: secundum alios per antistoechum, quasi *sodium* sq. Hic enim locum habet ἡ ἀντιστοιχία, nam *l* ponitur pro *d:* illa Aspri notatione minime." Haec Hemsterhusius. Vossius legebat *sedela* pro *sedda.*

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis. Quamquam Statius Silv. IV. II. 18. haec imitans: *Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis;* legerit *tectum*, ego tamen omnino *templum* esse scribendum indico. Vocabula ista in MSS. saepe permutantur; vide Burmann. ad Lucani V. 19. Latinus legatos intra *tecta*, aedificium, vocari iubet, ubi interea in solio avito consederat. Iam *tecta* describuntur. Erant templum, olim regia Pici. Hoc templum simul erat curia, hoc sedes sacris epulis. In eo stabant avorum effigies, et tropaea victorum. Infra vs. 92. *Tali intus templo divum, patriaque Latinus Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocavit.* Quibus versibus poeta descriptionem finivit; sicuti incepit: *Ille intra tecta vocari Imperat, et solio medius consedit avito. Templum augustum* sq. in oratione prosa dixisset: *iubet Troianos intus in templum vocari — — In hoc igitur templum vocari iubet.*

Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere, et primos attollere fascis
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,
Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant; aliique ab origine reges,

Hoc illis curia templum. Etiam hinc apparet, supra scribi debere *templum.* Quomodo enim dicere potuit *hoc templum* iis erat curia, nisi templum praecessisset? Non enim cuiquam, puto, in mentem veniet, ut haec ita distinguere malit: *hoc illis curia, templum, Haec sacris sedes epulis.* Hoc tectum illis erat curia, hoc illis erat templum. Propter similitudinem affero Ammian. Marcell. XXVIII. pag. 401. *eisque templum et habitaculum et concio et spes omnis est Circus maximus.* Seneca Virgilium bis expressit. Agam. 7. *Video paternos, imo fraternos Lares. Hoc est vetustum Pelopiae limen domus. Hinc auspicari regium capiti decus Mos est Pelasgis: hoc sedent alti toro, Quibus superba sceptra gestantur manu. Locus hic habendae curiae. Hic epulis locus.* Thyesta, 650. sq. *Arcana in imo regio secessu patet, Alta vetustum valle compescens nemus, Penetrale regni. Hinc auspicari regna Tantalidae solent. Affixa inhaerent dona: vocales tubae, Fractique currus, spolia Myrtoi maris.*

Vitisator, curvam servans sub imagine falcem. Saturnus in omni adhuc cognita Mythologia est *vitisator,* non pater Sabinus. Heynius poetam hoc ex prisca aliqua eruditione declarasse arbitratur. Dubito. Praecipue quum verba, leni transpositione admissa, ad Saturnum referri possint: *vitisatorque senex, curvam sub imagine falcem Saturnus servans.* Difficilius est *servans falcem sub imagine.* Imago Saturni servat falcem *sub imagine.* Heynius hermam fuisse putat, qui desinebat in stipem, cui falx addita esset sub signo. Veteres Grammaticos non intellexisse, e Servianis videmus. *Imagine* corruptum arbitror, etiam quia statim sequitur *Ianique bifrontis imago.* Quae sit veri aliqua similis emendatio, non video.

Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse, Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus, equum domitor: quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;

Martinque ob patriam pugnando volnera passi. Alii *Martin qui.* Inepte. Nam omnes reges stabant, non tantum illi, qui pro patria erant vulnerati. Sed, etiam si legas *Martinque*, versus non est probandus. Suspectum est *Martin* vulnera, quod an alibi inveniatur, cum Heynio ignoro. Iam dicere voluit, ut debuit, *qui ceciderunt.* Qui *vulnera patiuntur*, non omnes occidunt. Et ubi locus est sat amplus capiendis eorum statuis, qui pro patria ceciderunt? Ita recipiendum foret *Martin qui*, ut soli reges intelliguntur, illi, qui pro patria essent vulnerati, praeter Italum, Sabinum, et Saturnum. Sed et ea explicatio non unam habet difficultatem. Versus, credo, non est Virgilii, et aliunde in margine adhaesit, ut etiam Heynius suspicatur. Nimirum Grammaticus ex Aeneid. VI. 660. ad marginem posuit: *Hic manus ob patriam pugnando volnera passi.* Qui versus, postea mutatus, in textum venit.

Ipse Quirinali lituo. Quinque versus de Pico retrahendi esse videntur ad vs. 181. *Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges.* Idem iudicat Heynius. Alii omnes reges in vestibulo stabant, ipse Picus sedebat. Eo ordine haec iam legisse videtur Prudentius Orat. contra Symmachum I. 232. *Adsistunt etiam priscorum insignia regum, Dux Italus, Ianusque bifrons, genitorque Sabinus, Saturnusque senex, maculoso et corpore Picus, Coniugis epotum sparsus per membra venenum.*

Laevaque ancile gerebat. Servius: »Septem fuerunt paria, quae imperium Romanum tenerent, acus matris deum, quadriga fictilis Veiorum, cineres Orestis, sceptrum Priami, velum Ilionae, Palladium, ancilia." Gesnerus ad Claudian. B. Get. 103, egregie emendavit *septem fuerunt pignora.*

Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
  Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et urbem,
Et genus, auditique advertitis aequore cursum,
Quid petitis? quae caussa rates, aut cuius egentes
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautae patiuntur in alto)
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis;
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte sua veterisque dei se more tenentem.

Auditique advertitis aequore cursum. Servius: »Fama eos venire praenuntiaverat." Interpretare potius: huc venistis non incogniti, sed, de quibus iam fama audivimus. Iam de vobis audiveramus prius, quam huc venistis. Tacitus Hist. I. 76. *occupaverat animos prior auditus:* scilicet Otho, de quo illi prius audiverant quam de Vespasiano.

Sponte sua veterisque dei se more tenentem. Wagnerus ad Georg. I. 142. docuit, Virgilium copulam *que* non alteri tertiove vocabulo subiungere, nisi quum praepositio antecedat. Quod si vere docuit, neque ea de re dubito, hic versus stare non potest. Nam quae durities, pro *sponteque sua se tenentem more dei veteris*, dicere *sponte sua veterisque dei se more tenentem?* Praeterea necessario iungenda sunt *sponte sua, haud legibus;* nam in his viget oppositum: sicut v. c. in Ovidii Metam. I. 89. *Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo, Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat. Poena metusque aberant.* Igitur ista ego sic esse transponenda indico: *Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos, Gentem, sponte sua, haud vinclo nec legibus aequam, Saturni veterisque aevi se more tenentem.* Pro DEI malo AEVI. Ita legendum esse suus Vondelio nostro sensus dictavit: *aengezien wij Latijnen Saturnus volck zijn, dat zonder dwangk en wetten van zelf de billijckheit en gewoonte der oude eeuwe volght.* Servius ita legisse videtur, ut iam animadvertit Marklandus ad Statii Silv. III. 5. 88. Servius: »*Veteris, antiqui:* ac si diceret, *aurei saeculi imagine vivimus.*" Statius locum Virgilii imitatur: *Pax secura locis et desidis otia vitae, Et nunquam turbata quies, somnique peracti. Nulla foro rabies, aut strictae iurgia legis. Morum iura viris: solum et sine fascibus aequum.* Ubi legendum puto: *Et nun-*

Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbis,
Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia coeli
Accipit, *et numerum divorum altaribus addit.*
Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,

quam turbata quies, somnique parati. Nulla fori rabies, aut strictae iurgia legis. Mores iura viris sola, et sine fascibus aequum. Mores iura viris etiam Marklandus coniecerat, sed repudiavit prae altera sua coniectura *aut strictae iurgia leges Norunt.* Romani idem narrant de regno Numae. Livius I. 21. *Deorum assidua insidens cura, ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac iusiurandum, proximo legum ac poenarum metu, civitatem regerent.* Ubi scribendum censeo: *prope sine legum ac poenarum metu.* Eadem sententia Tacitus Annal. III. 55. *Obsequium in Principem et aemulandi amor validior, quam poena ex legibus et metus.*

His ortus ut agris. Non quos Latinus incolebat, sed ex his oris vicinis.

Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum. Si *hinc* accipis pro *deinde, postea*, non convenit *nunc regia accipit.* Si *hinc* accipis *ex his agris*, minus eleganter sequitur *sedes Corythi*, etiamsi interpretere hinc, nempe a sede Corythi. Quare mallem *Hunc, olim Corythi Tyrrhena ab sede profectum.* Pulchre opponuntur *olim* et *nunc.*

Accipit. Quotidie accipit, si sedere libet Dardano. Nunc sedet in solio, in regia coeli, nunc est in coelo. *Accipit* ergo non est pro *accepit.* Regia eum accipit in solio, accipitur solio in regia. Sic Aeneid. VIII. 178. *Praecipuumque thoro et villosi pelle leonis Accipit Aenean, solioque invitat acerno.*

Et numerum divorum altaribus addit. Variant MSS. inter hanc scripturam, et *numero addit*, et *numerum divorum altaribus auget.* Quo modo cumque legas, explicatio semper erit contorta, res autem ipsa supervacua, et qua libentius hic careas. Virgilius, credo, hoc dixisset, si addere voluisset, elegantius, v. e. *coliturque per aras*, vel, ut Seneca Herc. Oet. 1982. *Novum templis additum numen.*

Nec sidus regione viae litusve fefellit:
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Afferimur, pulsi regnis, quae maxima quondam
Extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.
Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo; Rex ipse Iovis de gente suprema,
Troius Aeneas, tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque

Sidus. Recte Servius: » Adspectus siderum: nam tempestatem supra dixit. Nec est bis idem positum." Dixi propter Heynium, qui *sidus* pro *tempestate* accipit.

Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes Gaudet avo. Rex ipse, Iovis de gente suprema. Avus an dicatur de *origine* gentis, dubito. Iupiter fuit *auctor*, *primus*, *ultimus auctor* Troianorum, pater scilicet Dardani, Troiani Iovem in avis numeraut; Iupiter ipse *avus* non est, nisi proprie. Quid autem mirum, si Troiani habent Iovem *avum*, regem Troianorum de gente Iovis fuisse? Saepe legimus; Iupiter est illi *pater*, *avus*, et apud Ovidium, *Si numeres medios*, *a Iove quintus eris*. Ita Aeneas ex Venere erat *nepos* Iovis, Iupiter *Aeneae avus*, non Troianorum. Dele *de gente suprema*, et scribe: *Ab Iove principium generi, ab Iove Dardana pubes. Gaudet avo rex ipse Iove.* Regna habuimus maxima. Regnorum principium ab Iove est repetendum. Nam Dardani sumus genus Iovis. Quin ipse rex, qui nobis est hodie, *Iovem habet avum*. Hic igitur duplici via oritur ex Iove, et ut unus ex posteris Dardani, ex pube Dardana, et ut filius Veneris, natae Iovis. Servii fertur annotatio: »*Gaudet avo*, generis origine: nam avus Troianorum non est Iupiter, sed Aeneae solius, per Venerem." Veteres igitur, vi coacti, *avum* interpretantur ita, ut nemo hoc vocabulum unquam accepisse videtur, et hoc loco nunquam acciperet, ubi et gens diceretur Iovem habere *avum*, at rex gentis, eundem Iovem habere *avum*, illa quidem improprie, hic proprie. Neque bene iungas *rex ipse misit*. Nam legatos nemo praeter regem mittere solet.

Tempestas ierit campos. Signa imitationum inveni apud Valerium Flaccum III. 499. *Viden Arctoo de carcere quanta Tollat se nubes*, *atque aequore pendeat atro.* Bellum intelligitur. Sed scribendum *inque aequora pendeat atra*, hoc est, *in campos*. Optime explicatur ex dicto Hannibalis de Fabio apud Livium XXII.

Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis;
Audiit, et si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, *et si quem extenta plagarum*


30. *tandem eam nubem, quae sedere in iugis montium solita sit, cum procella imbrem dedisse.* Ubi vide Gronovium. Virgilium cogitabat Silius XVI. 214. *Quanta per Ausonios populos torrentibus armis Tempestas ruat, et Latio suprema minetur — cui nescire licet?* Orosius III. 1. *Conon, veluti effusa tempestas, quaecunque incubuit, cuncta prosternit.*

Et, si quem tellus extrema refuso Submovet Oceano. Audierunt etiam illi, qui ultra Oceanum habitant, si ultra Oceanum est tellus. Audiit etiam ille, quem tellus extrema submovet, a nobis dividit, ab orbe habitabili removet. Vocabula *Oceano refuso* augent significationem longinqui, quod est in *extrema tellus submovet.* Oceanus terram habitabilem undique cingit. Ultra Oceanum fortasse est tellus. Ea tellus Oceanum *arcet, submovet*, inde Oceanus reiicitur, *refunditur*. Probat hanc explicationem Lucanus VIII. 797. *situs est, qua terra extrema refuso Pendet in Oceano.* Rhetores hanc quaestionem agitarunt, praecipue quum Alexandrum faciebant deliberantem, an *Oceanum esset navigaturus.* Seneca in Suasoriis Rhetorum sententias servavit. Avitus dixerat: *Ita est rerum natura: post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.* Fabianus: *de Oceano tamen dubitant, utrumne terras velut vinculum circumfluat* sq.

Si quem extenta plagarum. Praecedens *et* grammatico aptam praebebat occasionem glossae ab altero *et* incipiendae. Virgilius solet idem verbum repetere, atque *et* ante alterum verbum omittere, ut Eclog. IV. 6. *Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.* ubi vide Wagnerum. Aeneid. VII. 516. *Audiit et Triviae longe lacus, audiit amnis Sulfurea Nar albus aqua.* Claudianus tamen et alii hoc non semper sequuntur. Claud. Rapt. II. 176. *Audiit et si quem glacies Alpina coercet, Et qui te — Tibri, natat.* Locus quidem huic Virgiliano similis, sed ingratum illud *si quem — si quem* vitavit. Nota erat Geographorum et poetarum doctrina de quinque Zonis, vel ex Ovidio, sed praecipue ex ipso Virgilio Georg. I. 233. Si quis eam doctrinam hic a Troiano et Latino plane abhorrere non sentiat, neque ineptum arbitretur poetam, qui simplices homines ita loquentes faciat, contra eum non disputabo. Quis hodie ferat poetam in tali re gradus aliquos longitudinis ac latitudinis addentem? Memorabilis est annotatio Servii ad *Diluvio ex illo:* »Alii distinguunt et mutant sensum, ut sit: *Quos dirimit plaga solis ardentis*, ex quo mundus est constitutus, hoc est, ex quo

Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores; nec vestra feretur
Fama levis, tantive abolescet gratia facti;
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae iuro, dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus et armis:
Multi nos populi, multae (ne temne, quod ultro
Praeferimus manibus vittas ac verba precantia)

chaos esse desiit." Hoc, credo, fecit ipse huius additamenti auctor, secutus Ovidium Metam. I. 32. *Sic, ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum, Congeriem secuit* sq. Quid? quod veteres *quintam illam zonam* plane non habitabilem esse pro certo affirmabant? De terra ultra Oceanum dubitari poterat, de zona inter quatuor alias posita, non dubitari poterat. *Terram domibus negatam* Horatius appellavit.



Praeferimus manibus vittas ac verba praecantia. In Palat. et aliis *precantum*, in aliis *precantis*. Recte *precantia*, et quod ad significationem, et quod ad metrum attinet. Ovidius saepe hoc participio sic utitur. Confer Burmannum ad Metam. II. 482. Idem Fast. VI. 113. *amantia verba*. Silius VIII. 263. *Varro, alacer, Fabiumque morae increpitare professus, Ad vulgum in patres et ovantia verba ferebat.* Ubi legendum *ut ovantis*. Nam et genitivus saepe invenitur, ut Statius Silv. I. iv. 46. *Dignarique manus humiles et verba precantum.* *Precantia* est magis exquisitum. Rectum autem *praeferre verba*. Valerius Flaccus V. 663. *an nullas praeferre preces, nec foedera regis Ulla sequi — debuimus?* Ubi *praeferre* neque pro *anteponere* est accipiendum, neque in *perferre* mutandum. Quod ad metrum attinet, non est versus hypermetrus, sed *precantia* trisyllabice per Synizesin efferendus. Vide Wagnerum ad Aeneid. I. 2. Atque hinc corrigendum censeo Georg. IV. 221. *Deum namque ire per omnes Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum.* Virgilius, ni fallor, scripsit: *Deum namque ire per omnia, Terrasque tractusque maris coelumque profundum. Per omnia*, longe gravius. Sequentia explicandi caussa adducuntur. Et sic legisse videtur Ambrosius de Offic. I. 13. *Per omnia deum ire ipsi adserunt. Vim et maiestatem eius per omnia elementa penetrare, terras, coelum, maria.*

Et petiere sibi et voluere adiungere gentes.
Sed nos fata deum vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus;
Huc repetit, iussisque ingentibus urguet Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim, et fontis vada sacra Numici.
Dat tibi praeterea Fortunae parva prioris
Munera, reliquias Troia ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras;
Hoc Priami gestamen erat, quum iura vocatis
More daret populis; *sceptrumque*, *sacerque tiaras*,

Hinc Dardanus ortus; Huc repetit, iussisque ingentibus urguet Apollo. Donatus: » In hanc nos terram, unde orti sumus, repetit et revocat Dardanus." Servius *Dardanum* pro Aenea accipit. Alii *repetit* cum Apolline iungunt. Alii in *repetit* Aenean cogitant. Heynius duos cum dimidiato versus pro spuriis habet. Wagnerus tamen Heynium eos recte exposuisse censet: Apollo repetit Troianos *huc*, in hanc terram *retrahit*, *revocat*, Italiam repetere iubet et urguet ad Tiberim. Addit Heynius, etiam hoc esse durum *repetit huc et urguet ad Tiberim*, et locum laborare. Neque ego me hinc expedio, nisi emendetur: *Rex Dardanus ortus Hinc repetit*, *iussisque* sq. Fata deorum nos in terras egere vestras. Hinc Dardanus originem repetit, et Apollo nos urguet ad Tiberim et Numicium, qui sunt in terris vestris.

Dat tibi praeterea. Difficultas est in *praeterea.* Explicant *ad id*, *quod misit legatos.* Sed quod Aeneas legatos misit, hoc non erat beneficium Latino praestitum. Nam legati venerant, ut diis suis exiguam sedem et innocuum litus peterent undamque et auram cunctis patentem. Sed maior difficultas in eo, quod nomen *dantis* omissum est. Apparet quidem *Aenean* esse cogitandum, sed nomen illud longius abest. Itaque Heynius putat Virgilium ea, quae sunt inter vs. 221. *Troius Aeneas tua nos ad limina misit*, et hunc versum *Dat tibi praeterea* — secundis curis elaborasse, neque iis caetera satis accommodasse. Wagnero levis et facile ignoscenda negligentia videtur. PRAETEREA et PIVS AENEAS habent literarum ductus haud ita dissimiles, praecipue si PIVS per compendium scripturae PS exarari cogites. Recepto semel *praeterea*, debuit addi aliquid, ut metrum constaret. Quid melius adderetur, quam *tibi?* Esset adeo: *Dat pius Aeneas fortunae parva prioris Munera.*

Sceptrumque, *sacerque tiaras*, *Iliadumque labor vestes.* Dixerat

Iliadumque labor vestes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis haeret,
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantum,
Quantum in connubio natae thalamoque moratur;
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quae viribus occupet orbem.

hoc Priami gestamen erat, et simul tradit sceptrum. *Sceptrum* cogitari, apparet ex eo, quod additur, *cum iura daret vocatis populis*. Ita neque de *auro* dubitari potest, quia ex eo *libabat ad aras*. Cui bono iam subiungeret *sceptrum?* Cui bono *tiaras* et *vestes?* Heynius coniecit: *Hoc Priami gestamen erat*, *quum iura vocatis More daret populis*, *sceptrum; Assaracique tiaras; Iliadumque labor vestes*. Poetam tamen in his summam subtilitatem sequi noluisse statuit. Sed neque verborum constructionem satis Latinam arbitror. *Dat tibi munera. Hoc auro Anchises libabat. Hoc erat gestamen Priami*, *sceptrum*, *tiaras*, *et vestes*. Nihil dicam de *gestamine* ad omnia ista relato, sed exspectassem *hoc sceptrum*, *hic tiaras*, *illa vestis*. Neque labor *Iliadum* est commendatio. Esset *Hecubae* vel *natarum labor* commendatio. Res ipsa loquitur esse opus feminarum Troianarum vestes virorum Troianorum. Et tamen hic ea vestis tamquam singulare aliquod donum laudatur.

Nec purpura regem Picta movet. Regem adspectu vestis purpureae et acu pictae non fuisse motum, nihil miror. Indignum persona regia fuisset, et indignum talia de eo memorare. Sed hoc miror, Virgilium, qui posuerit duo munera, viro et rege digna, *auream pateram* Anchisae et *sceptrum* Priami, *sceptrum* rursus nominasse, *pateram* silentio praeteriisse. Scribendum censeo: *Nec pocula regem Pulchra movent.* Ita Virgilius, ut *gestamen* Priami per *sceptra*, sic *aurum* Anchisae per *pocula* ipse interpretatur. Forma versus ante oculos fuit Valerio Flacco II. 327. *nec turba nocens scelerisque recentis Signa movent.*

Et totum quae viribus occupet orbem. Alii *et* omittunt. Wagnerus recte defendit, esse scilicet efferentis virtutem res maximas effecturam.

Tandem laetus ait: Di nostra incepta secundent,
Auguriumque suum! Dabitur, Troiane, quod optas.
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit.
Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
Si iungi hospitio properat, sociusque vocari,
Adveniat; voltus neve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam iungere nostrae,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima coelo
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, et, si quid veri mens augurat, opto.
Haec effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in praesepibus altis:
Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis;
Aurea pectoribus demissa monilia pendent;
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum;

Munera nec sperno. Per Litotem pro *lubens accipio* etiam Burmannus explicavit. Non intercedo, si modo teneas, Virgilium dixisse *non sperno*, quia Latinus vultu satis ostenderat se omnibus donis istis nihil moveri, idque Troianos non latuerat.

Pars mihi pacis erit. Hoc est: *magna pars pacis.* Multum me ad pacem inter nos conciliandam profecisse arbitrabor. Tacitus Agric. 21. *Idque apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset.*

Et reor, et, si quid veri mens augurat, opto. Et reor, et, si vere reor, atque adeo Aeneas gener fato designatus est, non alium generum opto.

Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum. Duo MSS. *strati.* Heynius interpretatur *tecti auro*, quia tapetes purpura et auro erant intexti. Puto Virgilium per *aurum* nova significare ornamenta. Essetque omnino idem *instrati* pictis tapetis, auro intextis, et *tecti auro.* Fortasse pro TECTI

Absenti Aeneae currum geminosque iugalis,
Semine ab aetherio, spirantis naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos daedala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Aeneadae *donis dictisque Latini*
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.

scribendum FRENI. *Freni auro; fulvum mandunt sub dentibus aurum.* Snnt *habenae aureae:* Virgilins VII. 168. *Frenaque bina, meus, quae nunc habet, aurea, Pallas.* Ovidius Metam. VI. 223. *auroque graves moderantur habenas.*

Patri quos daedala Circe Supposita de matre nothos furata creavit. Si vocabulum *patri* abesset, omnia se recte haberent: erant equi ab aetherio semine, ex gente scilicet illorum nothorum, quos Circe de aetherio semine furata, clam, ex matre supposita, mortali, creavit. *Patri* quid sit, non satis intelligo. *Pater* Circes erat Sol. Circe *suo patri* nothos neque *furata* est, neque *creavit.* Iungenda enim sunt *furata creavit*, hoc est, *furto creavit*, *furtim creavit*, ἔκλεψε λάθρῃ ὑποσχὼν θήλεας ἵππους, nt loquitur Homerus. Snpererat fortasse ut explicaremus de matre *supposita patri*, equo seminis aetherei. Sed ita *patri* non satis distincte foret dictum, et *supposita* amitteret significationem *falsae*, *non verae*, *non coelesti origine*, quae hic requiritur. Schol. Horat. Satyr. I. vi. 77. locum ita citavit: »*Quas doceat*, id est, *doceri faciat.* Tale est: *quos illi Daedala Circe Supposita de matre satos furata creavit*, id est, *curavit creandos.*" Sed Scholiasta vel in vitiosos Codices incidit, vel imprudens erravit, memoria falsns. Qnae qnum ita sint, in Virgilio scribendum esse arbitror: *Illorum de gente patrum, quos daedala Circe Supposita de matre nothos furata creavit.* Circe equam mortalem equo coelesti clam snbmiserat. Ex ea matre nati sunt equi. Hi equi novae illius stirpis nothae fnere auctores. Ex gente istorum anctorum, *patrum*, genus repetebant equi, qnos Latinus nunc donabat Troianis. Ut *mater*, ita *pater* de equis dicitur. Horatius Carm. IV. 4. *Est in iuvencis, est in equis patrum virtus.*

Talibus Aeneadae donis dictisque Latini Sublimes in equis redeunt. Non esse Latinnm *talibus donis redeunt*, pro *cum donis*, recte Wagnerus animadvertit; minus recte, puto, ad hoc genus structurae refert, quod se ad alienam structuram applicat. Non enim se applicare potest, nisi salva Latinitate. Et si *donis* ita naturam ablativi absolnti adsciscat, haec structura est nova, nec se ad alteram *dictis* applicat. Verba *donis*

Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Saeva Iovis coniunx, aurasque invecta tenebat:
Et laetum Aenean classemque ex aethere longe
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri iam tecta videt, iam fidere terrae;
Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore.
Tum quassans caput, haec effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troia viros? medias acies mediosque per ignis
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem

dictisque Latini spuria esse suspicor. Nulla caussa est, cur in poemate non absolnto, neque editioni distinato, hemistichia semper sententiam habere debeant perfectam. Virgilius aliud supplementum exspectabat, quam illnd elnmbe *donis dictisque Latini*. Accurate equos descripserat. Pulchre descriptionem finit: *Talibus Aeneadae Sublimes in equis redeunt. Dona* abesse nemo non malit, qui cogitet, *dona* esse ipsos *equos*. Iam *redeunt in donis*, nimis rhetoricum videtnr. Nec *dictis* opus est. Qui *pacem reportant*, hi *dicta* regis reportant. In D'Orvilliano erat *laeti donis distisque*. Unde formari potest: *His laeti Aeneadae donis dictisque Latini.* Qnod mnlto melius est vulgatis. Sed de glossa, sententiam non muto.

Ex aethere longe. Recte praetulit et explicavit Wagnerus. Alii habent *longo*.

Fatis contraria nostris Fata Phrygum. Waddelius *factis*, Schraderus *votis* coniiciunt. *Vota* et *fata* permntantur. Ovidius Amor. III. XII. 3. *Quodve putem sidus nostris occurrere votis?* Ubi Heinsius landat ex Heroid. *Quis deus opposuit nostris sua numina votis?* Sed cum Iuno dicit *fatis nostris*, dicit *fatis nostrorum*, Carthaginiensium, quos semper *Romanis* opposuit. Favebat Poenis, oderat Troianos et Romanos. Exscindere Troianos cupiebat. *Per fata* non poterat. Fata *Troianorum* vincere debebant fata *Poenorum.* Sua quisque populus fata habet. Romani fiunt potentiores Poenis, fata Romanorum vincunt fata Poenorum. Ita explicari possnnt mnlta exempla, quae Bnrmannus ad Ovidium Heroid. I. 28, aliosque scriptores coegit. In Statio Theb. X. 70. *Scit fata suis contraria Graiis, Aversumque Iovem*, scribendum est: *Scit fata suis contraria, Graiis aversumque Iovem.*

Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi —
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumtae in Teucros vires coelique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit: concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?

Quin etiam. Virgilius in omni Iunonis oratione luxuriatur, magisque, quam alibi usquam, rhetorem agit. Redde et huic loco vim rhetoricam, et scribe: *Quaene etiam patria excussos infesta per undas Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto?* Egone quievi, quae etiam ausa sequi patria excussos?

Antiquam. MS. Parrhas. *antiquas*, quod referretur ad *iras*. Iuno ntitur exemplo Calydonis crudeliter punitae. Magna crudelitas si urbs immerita statim concessa Dianae sit, minor, si tandem, *in iras antiquas*. Calydon *antiqua* ad laudem pertinet. Dixisses urbem tantae antiquitatis, tam nobilem, debuisse servari. Et Statius Theb. I. 401, *antiquam* vocavit. Idem Theb. VII. 203. *Quin etiam invitus magna ulciscendaque passis, Aut Lapithas Marti, aut veterem Calydona Dianae Expugnare dedi.*

Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem? Varias scripturas Codices ferunt: *Lapithas tantum et Calydona merentem: Aut Lapithis tantum aut Calydone merente: Lapithis tantum aut Calydona merentem: Lapithis tantum aut Calydona merentes: Calydone merentem: Calydona merente.* Heinsius coniecit: *Quod scelus aut Lapithis, tantum aut Calydoni merenti?* Heynius lectionem Cod. Medicei, a Wagnero quoque expressam, interpretatur, tamquam exquisitam et e Graeco ductam, ut *scelus merere* positum sit pro *per scelus*, *scelere*, *merere poenam*. Equidem hoc esse Latinum negabo, donec mihi exemplum ostendetur, si non plane simile, at non multum dissimile. Quid Latinum in tali sententia sit, apparet v. c. ex Ovid. Heroid. XIV. 63. *Quo mihi commisso non licet esse piae?* Lucanus VII. 847. *Thessalia infelix, quo tanto crimine, tellus Laesisti superos?* Valerius Flaccus V. 659. *Quod tamen aggressae scelus, aut quo crimine sontes?* Idem VII. 420. *Nec pater ille tuus tantis me op-*

Ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
Vincor ab Aenea. Quod si mea numina non sunt
Magna satis: dubitem haud equidem implorare quod usquam est.
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia coniunx:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coeant mercede suorum.

ponere monstris (Quid meritum?) aut tales voluit me pendere poenas. Talia, inquam, vere Latina sunt, non, quod [nunc in Virgilio fertur, *quod scelus merentes.* Facillimum erat emendatu: *Quo scelere aut Lapithas tantum aut Calydona merentem?* Si *scelus* sit Virgilii, pro *merentem* aliud participium addidit, quale v. c. *Quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydona luentem?* Ut Horatius, Carm. III. vi. *Delicta maiorum meritus lues.* Statius Theb. VIII. 318. *Quod, precor, ignari luimus scelus?*

Ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum Quae potui infelix. Quae hoc mihi imperare potui, quae rem, persona et maiestate plane mea indignam, suscipere potui, ut nihil inausum linquerem. Sed non video quid duri aut humilis in eo sit, quod Iuno, irata, omnia, quae possit, tentet. Habet et aliam significationem *quae potui*, nempe *quae satis potens fui*, ut nihil inausum linquerem. Ita Aeneid. I. 39. *Pallasne exurere classem Argivum potuit?* Statius Theb. V. 117. *Potuitne ultricia Graiis Virginibus dare tela pater?* Sed neque hanc significationem sententia patitur. Dignum Virgilio est: *Ast ego, magna Iovis coniunx, Quid potui? Infelix, quae memet in omnia verti, Vincor ab Aenea.* Pro *quae potui* in Menag. erat *quod.*

Quae memet in omnia verti. Videmus *memet*, *semet*, non tantum propria esse Comicis, quod Burmannus putabat ad Valer. Flacci VII. 319, et Lucan. IX. 1081. ubi *vosmet* ad Comicos abire iubet. Oudendorpius scilicet commendaverat, cui Burmannus erat iniquior, quamquam eum vocare suum discipulum amaret. Oudendorpius tamen honorem istum recusabat, testatus alicubi in annotatione MS. se paucas tantum Burmanni scholas audivisse.

Hac gener atque socer coeant mercede suorum. Locus est corru-

Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo;
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseis praegnans ignis enixa iugalis;
Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.
  Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit.
Luctificam Allecto dirarum ab sede dearum
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iraeque, insidiaeque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareae monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur:

ptus, quamquam minime videtur. *Mercedem* accipiunt, qui pro *malefactis digne puniuntur*, certe ex opinione punientium. *Hac mercede*, dicit poeta, coeant socer et gener, quam memoravit Iuno, ut propter illud matrimonium populi exscindantur. Haec erit merces soceri et generi. Hi debebant accipere mercedem, non populi, qui nihil commiserant. Legendum: *Hac gener atque socer coeant mercede: tuorum, Sanguine, Troiano et Rutulo, dotabere, virgo.* Sanguine *tuorum* est Latino, qui non recte deesse potest, quoniam et hic large propter Laviniam fusus est.

Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo. Orosius II. 4. *Sabinas maritorum et parentum sanguine dotavit.*

Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter. Sententia non est obscura. Hecuba non sola ignem peperit. Peperit et Venus. Haec autem sententia non bene expressa est: *Quin idem Veneri partus suus.* Servius reddit: »*Talis erit Veneri partus suus.*" Heynius: »Similis *ignis erit Veneri filius suus.*" Sed Paris et Aeneas non erant ignis matribus, imo regionibus, quas bello implicabant. Tum *idem* et *suus* non recte iunguntur, quia non differunt ita iuncta. Conieci quidem: *En Paris alter.* Sed ex aliis nihil extrico.

Tot sese vertit in ora. Odere eam, quia tam varios et terribiles oris formas sumit, et animum per eas declarat.

His acuit verbis. Servius: »*Irritavit et instigavit eius insaniam.*" Conf. Burmannus ad Valerium Flaccum I. 761.

Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco; neu connubiis ambire Latinum
Aeneadae possint, Italosve obsidere finis.
Tu potes unanimos armare in proelia fratres,
Atque odiis versare domos; tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Disiice compositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit poscatque simul, rapiatque iuventus.
  Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis

Tibi nomina mille, Mille nocendi artes. Interpretautur: tu es πολυώνυμος. Deorum enim potestates, vires, proprietates, facta, per nomina declarari. Dubito, an hoc in Furia ita sit, ut est v. c. in Iove, aliisque deis maioribus. Nam hi revera habent ista *nomina*, Furiae non habent. Asper quidem ex Euripidis Oreste explicat, in cuius Tragoedia dicit Furia, *non esse unius potestatis*, sed plurimarum, se Fortunam, se Nemesin, se Fatum, se esse Necessitatem. Sed et huius loci est alia ratio, et, quae Cerda memorat *nomina, luctus, curae, bella, insidiae*, alia, non sunt ipsa Furiarum nomina, sed *Personae* in comitatu, vel effectus studii, ut hominibus noceant. Quare in Virgilio *nocendi* tam ad *nomina* quam ad *artes* referendum puto. Mille tibi sunt *nomina nocendi*, mille *poenarum nomina*, quas hominibus infligere possis. Alterum *artes nocendi*, imitatur Claudianus in Rufin. I. 97. *Meque etiam tradente dolos artemque nocendi Edidicit.* Ubi edendum erat, quod in MS. legitur, *artes*. Idem in Eutrop. II. 176. *centumque vias meditata nocendi.* Sulpitius Severus de Vita Martini pag. 516. *Diabolus mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere.*

Fecundum concute pectus. Seneca Herc. Furent. 105. *Hoc agite. Poenas petite violatae Stygis: Concutite pectus.*

Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis. Exin, praecipue ob sequens *principio*, mihi non placet. Malim *excita. Excita, Gorgoneis Allecto infecta venenis. Venena*, ut recte Heynius animadvertit, sunt *serpentes*, quibus comas habet implexas. Sed his *venenis* Allecto non est *infesta*. Heynius putat Virgilium, cum semel *venena* posuisset, *infecta* quoque bene dicere. Equidem puto in tali re non ipsum vocabulum, sed vocabuli signi-

Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae,
Quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis
Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.
Huic dea caeruleis unum de crinibus anguem
Coniicit, inque sinum praecordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestis et levia pectora lapsus,
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inspirans animam; fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem,
Necdum animus toto percepit pectore flammam:
Mollius, et solito matrum de more, locuta est,

ficationem respici. Quanto melius esset *infesta*. Proprium erat *venenis infestis*, et quaevis arma, quibus aliquem hostiliter aggredimur, *infesta* appellantur. Mutata constructione, eleganter ipsa Furia dicitur *infesta venenis* petiisse domum tyranni.

Fallitque furentem, Vipeream inspirans animam. Amata non prius furebat, quam serpens animam vipeream inspiraverat. Praeterea exquisitior est Latinitas *fallit inspirans*, ut *fallit* absolute ponatur, et habeat vim Graeci verbi ἔλαθεν εἰσπνέων. Scribendum arbitror: *Fallitque furenti Vipeream inspirans animam. Clam furenti inspirat*, clam ei inspirat, et furentem facit. Ita Horat. Epod. III. *Num viperinus his cruor Incoctus me fefellit?* Livius sic saepe utitur hoc vocabulo. Atque haec elegantia ei est restituenda V. 2. *Hoc illud esse dictitantes, quod aera militibus sint constituta. Nec se fefellisse, id donum inimicorum veneno illitum fore.* Scribe: *nec se fefellisse id donum inimicorum veneno illitum.*

Toto percepit pectore flammam. Rom. *concepit*. Alterum vehementius. Et Ovidius Metam. XIV. 700, *totis perceperat ossibus aestum.* Totum locum imitatur Valerius Flacc. VI. 673. *non illa levi turbata metallo, Sed facibus, sed mole dei, quem pectore toto Iam tenet.*

Multa super natae lacrimans Phrygiisque hymenaeis:
Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret nataeque tuique?
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine, praedo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor,
Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbes.
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te iussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram quae libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere divos.

Nec matris miseret. Schraderus coniicit *miserae.* Miror in Schradero, veri sermonis poetici tam gnaro. Habet ista repetitio vim et gravitatem, quasi diceret: *miserere gnatae et tui, miserere matris.* Virgilius paullo ante: *nec purpura regem Picta movet, nec sceptra movent Priameia.*

At non sic Phrygius. Hinc apud Valerium Flac. II. 51. scribendum: *At non experti.* Sic erat in MS. Burmannus edidit *An non.*

Si gener externa petitur de gente Latinis. Wagnerus ad Aeneid. XI. 472. explicat ex VII. 255. *Hunc illum fatis externa ab sede profectum Portendi generum, paribusque in regna vocari Auspiciis.* *Latinis* ergo, ut Latinis una cum rege imperaret, ad utilitatem Latinorum. Sed mater hic tantum loquitur de *genero*, non de socio regni. Quidni accipimus *gener petitur a Latinis;* si parentes, si pater ex gente Latina generum petit externum. *Latinus* opponitur *externo*, cuius significatio ex opposito magis sentitur. Mater invita concedit. Si tamen, inquit, nos, Latini, Latina stirpe, externum petere generum debebimus, petamus Turnum.

Sic dicere divos. Med. a. m. pr. *poscere.* Sed *dicere* in oraculis est *praedicere, dicere ita fore.* Ovid. Metam. XV. 435. *Roma Immensi caput orbis erit. Sic dicere vates Faticinasque ferunt sortes;* et XV. 648. *certas ita dicere sortes.* Conf. Heinsius ad Ovid. Heroid. V. 33. Atque haec in tali caussa est prima notio, unde aliae sponte profluunt. Heynius annotaverat: »*Dicere* est *constituere:* imo, ait Wagnerus, est *dicere hanc esse deorum mentem.*

Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae.
His ubi nequidquam dictis experta, Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem.
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Impubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagae: non cursu segnior illo

Immensam sine more furit lymphata per urbem. Cod. Oudart. *ingentem.* Burmann. coniicit *incensam*, Heynius *immensum*, postquam vulgatum explicaverat ex consuetudine poetarum, qua rēs et urbes in maius augent. Nescio, cur hic ista urbs *immensa* appellaretur, de cuius magnitudine nulla usquam fiat mentio. Heynii *immensum* non recte cum *sine more* iungeretur. Burmanni *incensam*, nihili est. Si hic versus esset Virgilii, dixisset, credo, vel *attonitam*, vel *totam*, vel aliud. Sed non esse Virgilii censeo. Non enim convenit cum sequentibus. Quomodo enim furit per Laurentum, quae eadem agatur *per medias urbes populosque feroces?* Neque hoc dicitur de diverso, sed de eodem omnino tempore. Apparet ex comparatione: Tum regina, monstris excita, ceu turbo, per medias urbes agitur. Adde versum spurium, habebis hanc sententiam: *Tum regina, monstris excita, furit per urbem immensam. Ceu turbo, agitur per medias urbes.* Versu eiecto, perspicuus est verborum ordo: *Tum vero infelix, ingentibus excita monstris, Ceu quondam* —— *Dant animos plagae: non cursu segnior illo* sq. Longior media comparatio neminem offendat. Est ea indicium priscae simplicitatis, quales et alibi in Virgilio et Catullo inveniuntur. Verba *non cursu segnior illo* remissum orationis filum repetunt: sicuti *talis igitur turbo*, regina agitur.

Dant animos plagae. Heynius motum concitatiorem turbinis interpretatur: alii de puerorum animis ipso ludo incensis accipiunt. Et hoc verius puto, etiam quia statim sequitur post verba *mirata volubile buxum.* Si de *turbine* poeta dixisset, posuisset post *curvatis fertur spatiis.*

Per medias urbis agitur populosque feroces.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi,
Maius adorta nefas, maioremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, taedasque moretur:
Euoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum,
Vociferans; etenim mollis tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat; Furiisque accensas pectore matres
Idem omnis simul ardor agit, nova quaerere tecta.
Deseruere domos; ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent,
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum

Simulato numine Bacchi. Plane idem fecit Procne apud Ovid. Metam. VI. 594. *Concita per silvas, turba comitante suarum, Terribilis Procne, furiisque agitata doloris, Bacche, tuas simulat. Exululatque, Evoeque sonat.* Florus III. 19. *Fanatico furore simulato, dum Syriae deae comas iactat.* Et hoc me retinuit ab emendando *stimulata ut numine Bacchi.* Respexit hunc locum Statius Theb. V. 92. ubi mulier subito *Tollitur in furias, thalamisque insueta relictis Evolat; insano veluti Theumesia Thyas Rapta deo.*

Sacrum tibi pascere crinem. Post hunc versum in MS. Vratisl. additum erat hemistichium: *Reginam accensam.* Dativus *tibi* in re huiusmodi sacra est frequens. Iuvenal. Satyr. VI. 314. *ululantque Priapo.* ubi minus bene alii *Priapum* praeferunt. Statius Theb. VII. 678. *utinam ipse veniret* (Bacchus) *Cui furis.* Claudian. IV. Cons. Honor. 604. *Dubitassent orgia Bacchi Cui furerent.* Seneca Oedip. 439. *Tibi commotae pectora matres Fudere comam.* Agam. 724. *Cui nunc vagor vesana? Cui bacchor furens?* Sic Aristophanes in Lysistrata: ὀρχησάμενος θεοῖσιν.

Ast aliae. Med. a m. sec. *illae*, quod Wagnerus fere recepisset; atque erat recipiendum, sed versu transposito: *Deseruere domos: ventis dant colla comasque, Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas. Ast illae tremulis ululatibus aethera complent. Ipsa inter medias* sq. Prius vestitum aliarum mulierum descripsit, tum dixit, quid illae facerent, mox quid *ipsa*, princeps, regina mater.

Sustinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,
Sanguineam torquens aciem; torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quaeque, Latinae;
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, si iuris materni cura remordet:
Solvite crinalis vittas, capite orgia mecum.
 Talem inter silvas, inter deserta ferarum,
Reginam Allecto stimulis agit *undique Bacchi*,
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini:
Protenus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acrisioneis Danae fundasse colonis:
Praecipiti delata noto. Locus Ardea quondam

Natae Turnique canit hymenaeos. Canere debuisset Bacchum. Prae furore obliviscitur, et ostendit, quid vere velit.

Si iuris materni cura remordet. Claudianus B. Gild. 302. *Me quoque non impar naturae cura remordet. Ius maternum* explicavit Heinsius ad Ovidium Metam. VIII. 499.

Solvite crinalis vittas, capite orgia mecum. Iam ceperant orgia. Adhortatio igitur supervacua, sed furente digna: et qui monet, ut facias, quod iam facis, ille monendo laudat.

Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi. Allecto reginam in furorem egerat. Regina in illo furore se Baccham esse simulaverat, furorem Bacchae imitabatur. Stimuli *Bacchi* magis sunt, quos ipse Bacchus imprimit. Et *undique* unice versui explendo factum videtur.

Praecipiti delata noto. Wagnerus non ad Danaen, sed ad Allecto refert, eoque interpunctionem mutavit. Si ad Danaen referantur, otiosa sunt, ait, et languida. Ego haec nimis a *dea tollitur alis* remota esse credo, quam ut cum iis iungantur. *Dea tollitur alis ad muros.* sententiam habet iam absolutam, ut vs. 476. *Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis.* Dictum oportuisset: *Dea tollitur alis, ad muros Noto delata*, vel potius *alis sublata defertur.* Verba *praecipiti delata Noto* significant *iter maritimum*, Danaen trans mare eo venisse. Atque ita accepit Silius I. 288. de Zacyntho: *Mox profugi, ducente Noto, advertere coloni.*

Ardea quondam dictus avis. Fortuitum est, quod in Mythologia no-

Dictus avis: et nunc magnum tenet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto torvam faciem et furialia membra
Exuit: in voltus sese transformat anilis,
Et frontem obscenam rugis arat; induit albos
Cum vitta crinis; tum ramum innectit olivae;

men urbis *Ardeae* derivatur ab *ave Ardea*, et Virgilius hic vocabulo *avis* utitur. Nemo interea de lusu cogitabit. Romani nunquam aliter *avis* quam *maioribus* acciperent, quia hoc in huiusmodi antiquitate solemne est vocabulum, quia coniunctum habet *quondam*, et quia *avis*, pro alite, ultimam corripit.

Et nunc magnum tenet Ardea nomen. *Manet* est prior lectio Med. cui superscripta est *tenet*. In aliis quoque MSS. *tenet*, in aliis *manet* fertur. Wagnerus putat non facile dici posse, quomodo ex *manet* oriri potuerit *tenet*. Potuit, credo, ex male transposita ultima vocabuli syllaba. Saepe iam dixi de isto errorum fonte. Ita mox vs. 478. pro *feras* in Cod. Goth. scribi potuit *nefas*, et vs. 472. in Franc. *certanti* pro *certatim*. Sed MSS. in tali re equidem non moror. Dicant alii, quid velint: videndum puto, utra lectio melius loco conveniat. Huic melius convenit *manet*. Avi nostri hanc urbem vocaverunt Ardeam. Fuit potentissima. (Ovidius Metam. XIV. 574. *cadit Ardea, Turno Sospite, dicta potens.*) Nunc etiam illius nomen est illustre, sed nomen, nam ipsa non exstat. Urbs *funditus* deleta, magnum nomen *tenet*, nimium est: *manet* magnum nomen, quamvis solo aequata urbs, pulchre dicitur. Et est elegantia exquisita vereque poetica, *Ardea manet nomen magnum*, alterum *tenet*, vulgare et prosa. Et *tenet*, ut dixi, ponitur de urbe, quae exstat. Ut Synesius Epist. 136. *οὐδὲν ἔχουσιν αἱ νῦν Ἀθῆναι, ἀλλ' ἢ τὰ κλεινὰ τῶν χωρίων ὀνόματα.* Eaedem urbes per appositionem *nomina* appellantur. Formulae exempla inveniuntur apud interpretes ad Lucan. I. 313. et Graevium ad Ciceronis Paradox. IV. Atque ex hoc loco Virgilii poeta Grammaticus Ovidium versu auxisse videtur in Metam. XV. 430. *Quid Pandioniae restant nisi nomen Athenae?* Adde Simphosium Gallum in libro Aenigmatum: *Nomen habens hominum post ultima fata remansi, Nomen inane manet, sed dulcis vita profugit.* Quum igitur alia quaedam oppida non ipsa tantum, sed eorum etiam nomina sint deleta, Ardea manet nomen magnum et illustre, quod antiquae potentiae et famae est documentum.

Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos;
Et iuveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transscribi sceptra colonis?
Rex tibi coniugium et quaesitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.
I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Haec adeo tibi me, placida quum nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
Quare age, et armari pubem portisque moveri
Laetus in arma para, et Phrygios, qui flumine pulchro,

Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos. Dura constructio. Servius coniungit: fit Calybe, et Iunonis templi anus sacerdos. Burmannus: fit Calybe anus et sacerdos templi Iunonis. Heynius alterum durum, alterum solutae orationi propius putat. Ipse sic ordinat: sacerdos anus Iunonis et templi, probante Wagnero. Ego ex ANVS feci ARAE, et *Iunonis* mutavi in *Iunoni.* *Fit Calybe, Iunoni arae templique sacerdos.* Haec sunt Latina et iusto ordine composita. *Sacerdos Iunoni* pro *Iunonis* exquisitum. Terentius Andr. III. III. 17. *Pamphiloque ego sim pater.* vide ibi Ruhnkenium. Ita et Graeci, inprimis Attici, ut *ὁ τῷ Χρεμύλῳ θεράπων*, quod attigere Hemsterhusius ad Aristophanis Plutum pag. 2. et Valckenarius ad Eurip. Phoeniss. 88. *Ὦ κλεινὸν οἴκοις Ἀντιγόνη θάλος πατρί.* Ita rectum est *fit Calybe, sacerdos Iunoni.* Nec minus rectum, quod sacerdos adiunctum habet, *arae* et *templi*. Virgilius Aeneid. VIII. 179. *araeque sacerdos.* Silius I. 150. *Alcidae templi custos araeque sacerdos.* ubi et *Alcidae* est dativus. Calyben esse *anum*, dici non opus erat. Nam Alleeto se transformaverat in vultus *aniles*, frontem rugis araverat, albosque crinis induerat. Itaque nomine *anus* libentes etiam caremus.

Armari pubem portisque moveri Laetus in arma para. Non ferendum *armari et in arma moveri portis.* Wagnerus *laetus in arma* iungit. Putabam hoc Latine dici *laetus ad arma*, ut *fortis ad arma*, et similia, de quibus Burmannus ad Propert. II. VIII. 7. Sit autem Latinum, ut Graeci utuntur *εἰς*, offendor tamen, *laetus in arma para pubem armari.* Virgilius scripsisse videtur: *Armari pubem portisque moveri Laetus in arva para.* Portas relinquant et in *arva descendant*, egrediantur in campos et castra.

Consedere, duces pictasque exure carinas.
Coelestum vis magna iubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare coniugium et dicto parere fatetur,
Sentiat, et tandem Turnum experiatur in armis.
Hic iuvenis, vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classis invectas Thybridis undam,
Non, ut rere, meas effugit nuntius auris.
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Iuno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ verique effeta senectus,
O mater, curis nequidquam exercet, et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divom effigies et templa tueri:
Bella viri pacemque gerant, *quis bella gerenda.*

Coelestum vis magna iubet. Fortasse *magna* pro *res magnas*, magnum ac memorabile facinus a te exspectat, ut peregrinos ex Italia pellas.

Ne tantos mihi finge metus. Ut Troianorum adventum me audivisse dissimulem.

Verique effeta senectus. Interpretatur Ovidius Metam. VI. 37. ubi Arachne ad Minervam, quae itidem anum simulaverat: *Mentis inops, longaque venis confecta senecta, Et nimium vixisse diu nocet.* Ambros. I. Epist. 18. hinc sumsit: *veri effeta defendunt.*

Bella viri pacemque gerant, quis bella gerenda. Recte Wagnerus edidit *gerant*, pro *gerent.* Sunt opposita: Tibi cura sit tueri templa, viri bella gerant. Ovidius Heroid. XIII. 84. *Bella gerant alii, Protesilaus amet.* Metam. XII. 475. *columque, I, cape cum calathis, et stamina pollice torque: Bella relinque viris.* Caeterum *pacem gerens* eodem plane modo legitur apud Sallust. B. Iug. 46. *absens an praesens, pacem an bellum gerens, perniciosior esset;* ubi Ciacconius frustra aliquid deesse suspicabatur. *Gerere* pacem recte dicitur, pro *facere*, proprie *apportare*, ut mox ipsa Allecto dicit: *bella manu letumque gero*, et Fabius apud Livium XXI. 18. *Sinu ex toga facto, Hic, inquit, vobis bellum et pacem portamus: πόλεμον καὶ εἰρήνην φέρομεν.* Fieri tamen potest ut in nonnullis huiusmodi exemplis scribendum sit *regere* pro *gerere.* Ut Seneca Agam. 345. *Tu* (Iuno) *bella manu pacemque regis.* Licet etiam *gerere* idem saepe significet quod *regere*, ut

Talibus Allecto dictis exarsit in iras.
At iuveni oranti subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi; tot Erinys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura
Repulit, et geminos erexit crinibus anguis,

in *imperium gerere* et similibus. Illud *quis bella gerenda* primus vidit Heumannus esse insititium. Assensere Burmannus, Brunckius, alii. Defendit tamen Wagnerus. Sed si poeta dixit *viri bella et pacem gerant*, dicendum hic erat *quis bella et pax gerenda*, vel quis *ista*, *talia* gerenda. Et plane supervacuum est tale additamentum. Hoc vel in oratione prosa sentitur: *Tu deorum templa tuere. Viri bella pacemque gerant. Nam bella viris gerenda sunt. Hoc virorum est proprium.*

Tantaque se facies aperit. Heynius explicat *talis facies:* Wagnerus *facies in maius aucta.* Fortasse dubitari potest, an sic dicatur facies *parva*, *magna*, *tanta*. Et verbum *aperit* potius aliud substantivum requirere videtur, quale *rabies*. *Tantaque se rabies aperit.*

Geminos erexit crinibus angues. Servius *geminos* interpretatur *similes*. Burmannus coniicit *gelidos*. Heynius: »Quidni duo angues in capite inter ceteros extolli a dea poterant, ut alias unus exsurgit, v. c. Statius Theb. XI. 65. Ovidius, qui Maronem ante oculos habuit, Metam. IV. 494. *Inde duos mediis abrumpit crinibus angues* eaet. Haec Heynius." Sed difficultas non est sublata. Allecto potest angues in capite erigere, omnes angues, hoc est indicium summae rabiei. Ut apud Claudianum in Rufin. I. 65. *sic fata cruentum Mugiit, et tortos serpentum erexit hiatus, Noxiaque effudit concusso crine venena.* Si *geminos* erigit, hoc facit consilio quodam, ut apud Statium *unus erigitur: Crinalem attollit longo stridore cerasten. Coeruleae dux ille comae.* Vides discrimen. *Attollit Furia anguem, qui erat princeps* inter omnes, ut stridorem faceret, *quo protenus omnis Horruit audito tellus.* Loci quoque Ovidiani longe alia ratio est, quam Virgiliani. Erinnys excussit caesariem: *Inde duos angues abrumpit*, et manu pestifera raptos immisit; *at illi Inoosque sinus Athamanteosque pererrant.* Nihil tale hic facit Allecto, sed simpliciter *geminos angues erigit*, cuius rei causa erat explicanda. Si *geminos* Turno immisisset, ferrem. Sed Turno mox *facem* immisit. Quod igitur *angues* erigit, hoc fecit ad rabiem ostendendam, eoque requiruntur non *gemini*, sed cuncti. Idque veteres non effugit. Servius: »*Geminos*, similes. Nam *omnes*

Verberaque insonuit, rabidoque haec addidit ore:
En ego victa situ, quam veri effeta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit;
Respice ad haec: adsum dirarum ab sede sororum;
Bella manu letumque gero.
Si effata facem iuveni coniecit, et atro
Lumine fumantis fixit sub pectore taedas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit; arma toro tectisque requirit.

eam dixit erexisse, non *duos*. Constat ergo *geminos* esse corruptum, pro quo varia exstant epitheta. Nullum adhuc mihi in mentem venit, quod propius ad GEMINOS accedat, quam NIGROS. Ex NIGROS facile, transpositis literis fit GENIOS, ex GENIOS fit GEMINOS. *Nigros erexit crinibus angues*. Grammaticis hic arridebat *geminos*, quo Virgilium usum scirent VIII. 697. *geminos a tergo respicit angues*. Noti praeterea angues *gemini*, quos Hercules occidit. Iam recordatio similium locorum saepe librarios ad fraudem committendam perduxit. Wagnerus loca annotavit ad Aeneid. VII. 528.

Adsum dirarum ab sede sororum. Illud *adsum* habet antiquum colorem. Vetus poeta apud Ciceronis Tusc. Quaest. I. 16. *Adsum, atque advenio Acheronte*. quod est Euripideum ἥκω λιπών.

Ossaque et artus Perfudit. Assentior Heynio, rationem postulare *ora et artus*. Tum praefero *perfundit*, ut est in Rom. et aliis. Sudor, qui proruperat sub finem somnii, nunc excitatum *perfundit*.

Arma amens fremit; arma toro tectisque requirit. Locus perversa distinctione laborat. Nam quomodo Turnus, quem somnus iam deseruit, arma potest requirere in lecto? Hoc faciunt somniantes, quod egregie, ex hoc versu Virgilii, proposuit Silius VII. 325. *Ac dirum in somno, ceu bella capesseret amens, Clamorem tum forte dabat, dextraque tremente Arma toro et notum quaerebat fervidus ensem*. Dicat aliquis Turnum in lecto sub pulvinar habuisse gladium. Sed talem gladium non *requirimus*, ut requirimus *in tectis*. Scribe: *Arma amens fremit arma toro, tectisque requirit*. In toro etiam iacens fremit *arma arma*, et statim toro relicto, arma in tectis requirit. Quam elegans sit repetitio *arma arma*, non est quod dicam. Horatius Carm. I. 35. *neu populus frequens ad arma cessantes ad arma Concitet*.

Saevit amor ferri, et scelerata insania belli,
Ira super; magno veluti quum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aeni,
Exsultantque aestu latices; furit intus aquai

Conf. Burmannus ad Lotichium pag. 62. Ut Silius, ita et Statius h. l. ante oculos habuit, sed etiam consilio suo accommodavit, Theb. II. 120. ubi Laius, *se confessus avum. Illi rupta quies. Attollit membra, toroque Erigitur — fratremque requirit.*

Ira super. Donatus *super hic* interpretatur, ut Turnus irasceretur sibi, quod nondum iret ad bella. Cerda: »insuper, accessit demum ira.” Heynius: »superest, superat, ebullit, ut Graecum περὶ pro περίεστι.” Wagnerus: »super, insignem aliquam accessionem denotat. Ad hunc insanum belli amorem accedebat summa ira.” Idque ingeniose exemplis Virgilianis demonstrare studet. Sed ex istis primum tollo ea, ubi legitur *super omnia*. Nec *hos super advenit*, nec *legati super responsa ferunt* nostrae formulae plane similia arbitror. Ex opinione Wagneri in *ira* repetendum erit *saevit*. Repetamus: *Amor ferri et insania belli in Turno saeviunt. Ira super saevit.* Ne dicam de ingrata ellipsi, Latinum erat, credo, *ira super omnia saevit*, *ira superat*, vel simile. *Ira super*, significat, ira *superest*, *remanet:* ut Aeneid. III. 489. *O mihi sola mei super Astyanactis imago.* Equidem pro SVPER scribendum puto SVBIT. Ira Turnum occupat, similis aquae bullienti. Virgilius Aeneid. II. 575. seu quicunque sit auctor illorum versuum: *Exarsere ignes animo: subit ira cadentem Ulcisci patriam.* Statius Theb. III. 385. *omnibus ultro Pectoribus mens una subit.* IX. 861. *iuvenem Iam non ira subit, sed leti nuntius horror.*

Costis undantis aeni. Undantis est, quod Virgilius Georg. I. 296. vocat *undam trepidi aeni*. Ea illustravit Heinsius ad Ovidium Metam. XII. 279. Virgilius ante oculos fuit Valerio Fl. IV. 686. *Inde, velut mixtas Vulcanius ardor aenis Versat aquas, sic ima fremunt, fluctuque coacto Angitur, et clausum scopulos super effluit aequor.* Silius V. 605. *Ut multo accensis fervore exuberat undis, Clausus ubi exusto liquor indignatur aeno.*

Furit intus aquai. Servius: »Hanc diaeresim Tucca et Varius fecerunt: nam Virgilius sic reliquerat: *furit intus aquae vis*, quod satis asperum fuit.” Recte Heynius observat *aquae vis* esse mollius quam *aquai*, ac propterea legendum *aquae amnis*. Serviana enim in aliis MSS. et in glossa Cod. Moretani sic scribuntur: »*Aquae vis* apposuit Tucca, quia nimis aspere sonuit *aquae amnis*, quod

Fumidus atque alte spumis exuberat amnis;
Nec iam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis iuvenum, et iubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Haec ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit:
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formae movet atque iuventae;
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
  Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis.
Arte nova, speculata locum, quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus,
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obiicit, et noto naris contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quae prima laborum

Virgilius prius ibi posuit." Sed legi non potuit *furit intus aquae amnis Fumidus atque alte spumis exuberat amnis.* Fortasse fuit *spumis exuberat albis.* In MSS. igitur tres diversae lectiones fuisse videntur *aquae vis, aquai, aquae amnis.* Plurima auctoritas est pro *aquai.* Et si leges *aquae vis, atque* a principio enuntiati removetur. Virgilius enim dicere solet *atque fumidus amnis*, quod bene animadvertit Wagnerus.

Rutuli. Heynius miratur, cum Graeci scribant Ῥουτοῦλοι, Latinos utramque syllabam corripuisse. Poetae saltem corripuisse videntur. Sed eos pronuntiasse puto *Routli.* Itaque Virgilius unsquam hoc vocabulum, quo in versibus sexaginta et quinque utitur, si Index Erythraei est accuratus, in quinta sede, ubi Dactylus requiritur, adhibuit.

Arte nova, *speculata locum.* Mallem *Stygiis se concitat alis*, *Arte nova.* Erant Furiae mille *nocendi* artes. Nunc, quia Iulus venabatur, nacta erat novam nocendi artem. Speculata igitur locum, canes Iuli egit in cervum. Concitat se alis in Teucros, novamque artem meditatur. Venit ad Teucros novo consilio, nova arte. Et sic fere Iahnius et Wagnerus, quamquam aliter distinguant.

Caussa fuit, belloque animos accendit agrestis.
Cervus erat forma praestanti et cornibus ingens,
Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusque pater, cui regia parent
Armenta, et late custodia credita campi.
Assuetum imperiis soror omni Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens, mensaeque assuetus herili,
Errabat silvis; rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidae venantis Iuli
Commovere canes: fluvio quum forte secundo
Deflueret, ripaque aestus viridante levaret.

Tyrrheusque pater. In multis *Tyrrhus*, quod Wagnerus fere revocasset. Et melius erat. Nam et terminatio est magis Latina, et nomen *Tyrrhi* ex historia regum Albanorum servatum ab Aurelio Victore Orig. G. R. 16.

Ille, manum patiens, mensaeque assuetus herili. Eleganter, quia ex naturae veritate. Imitationum exempla apponam. Lucan. IV. 239. ferae mansuetae, quae *hominem didicere pati.* Lactantius Argum. Metam. Ovid. VII. XIII. *volucres indomitas ac leonem manum pati coegisset.* Ubi Burmannus alia annotavit, sicuti Oudendorpius ad Lucanum. Valerius Flaccus VII. 124. *Sic assueta toris et mensae dulcis herili Canis.* Ambros. Hexaem. V. 14. *Aliae aves ad manum se subiiciunt et mensae herili assuescunt, tactuque mulcentur.* Adde Burmannum ad Valerii Fl. V. 671. Orosius V. 18. *Animalia, quae manus hominum blande perpeti solita erant.* Quod autem Virgilius hic repetiit *assuetus*, cum supra iam dixisset *assuetum imperiis*, hoc Aeneidis non perfectae indicium est. Pro *assuetum imperiis* scripsissem *Imperiis facilem.*

Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat. Pulchre. Licet natura esset *ferus*, et legamus *pectebatque ferum*, factus est *domesticus.* Opposita ista illustravit Gronovius ad Senec. de Ira II. 31.

Deflueret, ripaque aestus viridante levaret. Cerda et Heynius accipiunt *cum defluxisset*, Wagnerus: »Aestus cervus levabat et fluvio defluens et in umbrosa ripa decumbens." Sed poeta dicit canes cervum com-

Ipse etiam, eximiae laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu:
Nec dextrae erranti deus afuit: actaque multo

movisse *cum deflueret*, hoc est ipso illo temporis momento, quo defluebat, et quo in ripa aestus levabat, eodem igitur momento quo natabat et decumbebat. Praeterea *cervus decumbens* commovetur, excitatur, excitur ex latibulis, ex sede, *defluens* minus recte *commovetur. Defluens* iam movetur. Utrumne librariorum incuria an ipsius Virgilii culpa acciderit, ignoro. Potuisset: *defluxerat amne secundo, Atque aestus forte in ripa viridante levabat.* Defluxerat *amne*, ut veniret ad ripam arboribus consitam, in quarum umbra recubabat, quum canes eum commovebant. *Defluere*, eleganter pro *natare* poni, annotavit Wagnerus. Adderem natare ex superiore loco in inferiorem. Recte Servius, *quia cursus fluminis post natantem videtur.*

Nec dextrae erranti deus afuit. Heynius: »*Non afuit*, sic ut dextra non aberraret." Wagnerus: »*Adfuit, ne erraret*, aut, accipiemus *errantem dextram* de Ascanio, fugientem et huc illuc erratico cursu se ferentem cervum oculis et arcu, sive *dextra*, sequente." *Errare*, credo, ubi de sagittando agitur, vix aliud significare potest, quam *non ferire.* Deus adfuit dextrae erranti, est *adfuit dextrae, quae errabat:* esset adeo; Ascanius *quidem errabat, sed deus adfuit*, vel *deus adfuit, sed Ascanius errabat.* Latinum erat *deus dextrae haud erranti adfuit*, vel, *dextrae haud erranti non afuit.* Virgilium scripsisse puto FORS AN pro ERRANTI. *Nec dextrae Fors an deus afuit*, id est, *Fors, vel potius deus, ipsa Furia, dextram Ascanii direxit.* Livius I. 4. *Forte quadam an divinitus super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis.* Ita coniecit Gruterus, pro *forte quadam divinitus.* Gronovius vocat coniecturam speciosam, additque Caesar. B. Gall. I. 12. *sive casu sive consilio deorum immortalium.* Virgilius Culic. 191. *Casus sociarit opem numenne deorum.* Suetonius Claud. 13. *Casu quodam an divinitus.* Idem tamen Gronovius vulgatum in Livio ex saniori, ut dicit, sententia illorum exponit, qui *Fortem ipsam divinae curae adsignant.* Sed non cogitavit vir magnus, Livium, quum dixerit *an divinitus*, idem dixisse, quod volebat, nempe *vel potius divinitus.* Adde Virgilium XII. 321. *Quis tantam Rutulis laudem, casusne deusne attulerit.* Ovidius Fast. II. 782. *Viderit, audentes Forsne deusne iuvent.* Ubi in *viderit* cogitandum est *Lucretia.* Auctor Ciris 278. *Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset.* Valerius Maximus VII. 2. *Directum est autem sive casu sive etiam coelestis numinis providentia.* Statius Theb. II.

Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque imploranti similis tectum omne replebat.
Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat agrestis.
Olli, pestis enim tacitis latet aspera silvis,

540. *Deum* et *Fortunam* coniunxit: *intervolat auras Hasta, sed audenti deus et fortuna recessit.* Fecit igitur hic Allecto, quod apud Lucanum I. 576. *saevi contorsit tela Lycurgi Eumenis.* Virgilius VI. 57. Phoebe, *Paridis derexti tela manusque Corpus in Aeacidae.* Iuno apud Senecam Herc. Furent. 118. *Stabo, et ut certo exeant Emissa nervo tela, librabo manum: Regam furentis arma. Pugnanti Herculi Tandem favebo.* Formulam *dei aderunt, haud aberunt,* illustravit Burmannus ad Valerii Flacci IV. 34.

Atque imploranti similis tectum omne replebat. Historiam cervi respexit Statius Silv. II. vi. 20. *Et volucres habuere rogum, cervusque Maronis.* ubi legendum puto *cervusque Maronem. Psittacus sepultus* est; vide carmen Ovidii: *Psittacus Eois ales mihi missus ab Indis Occidit, exsequias ite frequenter aves.* Cervus *habuit Maronem*, qui tristem interitum deflevit.

Conclamat agrestis. Clamore convocat. Vide Gesnerum ad Claudianum Rapt. Proserp. III. 4.

Pestis enim tacitis latet abdita silvis. Servius pestem accipit de *Furia*, a quo discessit Cerda, ipsos agrestes cogitans, reprehensus ab Heynio. Ego consequentiam non recte intelligo: *Agrestes improvisi adsunt, nam Furia latet in silvis.* Quid enim illud, quod Furia in silvis latebat, eo attinet, ut rustici improvisi adessent? Properabant ad clamorem Silviae. Silvia vocabat auxilium. Non opus erat, ut rustici a Furia in silvis latente, excitarentur, vel ad festinandum moverentur. Si cogito hanc difficultatem, et praeterea ambiguum et indefinitum in vocabulo *pestis*, tum etiam ipsum versum plane non necessarium, credere malim non esse Virgilii, eo magis, quod versu sublato, orationis cursus longe facilius expeditur.

Duros conclamat agrestis. Improvisi adsunt. Celeritas nunc in ipsis verbis clarius apparet. Virgilius hic Furiam non memoravit. Ad eam redit demum vs. 511. *At saeva e speculis* sq. Illud *at* est indicium rei vel plane novae, vel, post silentium, brevius an longius, repetitae. Quinque versus interiecti non sat magnum efficiunt intervallum, ut Furiae obliti esse videamur.

Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis; quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli; et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Contremuit nemus, et silvae insonuere profundae;

Telum ira facit. In aliis *fuit*, *dedit.* Inter Claudiani carmina fertur scholastica exercitatio. Aemulati sunt versum Virgilianum. Titulus, seu thema: *Rimanti telum ira facit.* Sequuntur quatuor hexametri: *In iaculum quodcunque gerit dementia mutat. Omnibus armatur rabies pro cuspide ferri. Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera saevit. Pro telo geritur, quidquid suggesserit ira.* Ex huiusmodi Scholasticorum versibus antiqui poetae saepe corrumpebantur. Quam facile v. c. Virgilius hinc additamento inquinari potuit. *Quodcunque repertum Rimanti, telum ira facit. Pro cuspide ferri Omnibus armatur rabies.* *Vocat agmina Tyrrheus* sq.

Tempus dea nacta nocendi. Valerius Flacc. III. 588, *tempus rata Diva nocendi.*

Tartaream intendit vocem. Rom. et Medic. a manu prima, ne alia MSS. commemorem, habent *incendit*, elegans et vere poeticum vocabulum, quod Wagnerus revocasset, si satis a Codd. accederet auctoritatis. Nimiam hanc puto religionem, quum et Codd. optimi habeant, in scriptura nullum prope sit discrimen, et alterum *intendat* longe humilius. Claudian. Rapt. II. 173. *Saxa ferit sceptro. Siculae tonuere cavernae — — Audiit et si quem* sq. Vocem *Tartaream* imitatur Valerius Fl. IV. 392. *et ecce Cum facibus spirisque et Tartareo ululatu Tisiphonen vidit.* Ubi cum in MS. legatur *pyrisque*, scribendum puto *hydrisque.* Ita Virgil. VII. 447. *tot sibilat hydris.* Valer. IV. 412. *apparent sparsaeque faces, disiectaque longe Verbera, et abruptis excussi crinibus hydri.*

Insonuere. Wagnerus praetulit alteri *intonuere*, et ingeniose de vocabulorum discrimine disputat, quae repeterem, ut alia multa, nisi vererer, ne annotationes meae ita in immensum crescerent. Mihi magis placet *intonuere*, quod plane conveniat antecedenti *contremuit.* *Terra tremit*

Audiit et Triviae longe lacus, audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini;
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolae, nec non et Troia pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. Non iam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve praeustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late

et contremit *tonitru*. Hic est *tonitru* buccinae, quo nemus contremuit.

Et trepidae matres pressere ad pectora natos. MS. Oudart. *ad ubera.* In tali metu *ubera* ad teneros affectus sunt aptiora. Quis novit an Virgilius scripserit *sub ubera.* Valer. II. 200. *Inde novam pavidas vocem furibunda per auras Congeminat: qua primus Athos et pectus et ingens Thraca palus, pariterque toris exhorruit omnis Mater, et adstricto riguerunt ubere nati.* Ubi neque intelligo quid sit *primus Athos*, et ridiculum puto *Athos exhorruit* et *pariter mater in toris exhorruit.* Valerium scripsisse iudico: *qua pulsus Athos et pontus et ingens Thraca palus, trepidansque toris exhorruit omnis Mater.* Notandum, quam similia sint PRIMVS et PVLSVS, quam PARITER et TREPIDANS. Adde Statium Theb. IV. 563. *ad ubera dulce prementem Pignus.*

Ascanio auxilium castris effundit apertis. Distinguendum censeo: *Troia pubes, Ascanio auxilium, castris effundit apertis. Effundit* pro *se effundit, effunditur.* Quam frequens iste sit in Virgilio usus activorum, ostendit Heinsius ad Aeneid. II. 207, et alibi. Appositio *Troia pubes auxilium* in scriptis poetarum obvia. Virgilius II. Georg. 130. *quo non praesentius ullum Auxilium venit.* Ovidius Remed. 598. *Auxilium multis succus et herba fuit.* Conf. Heinsius ad Ovid. Fast. II. 37.

Sed ferro ancipiti decernunt. Servius: »*Utrimque noxio.* Dicit autem *gladios* aut *bipennes.*" Non verum, credo. Nam *gladios* statim memorat. *Bipennes* vel *secures* cogitari non possunt. Modo enim *securim* ad tela, quae rimanti ira faciebat, retulit. Et Troiani alia arma habebant. Wagnerus interpretatur: »*Aequatis iam armis* decernunt, quo fit, ut certamen existat *anceps.*" Huius significationis exemplum non vidi. Cur non scribamus: *Et Marte ancipiti decernunt:* hoc est iusto proelio, ae-

Horrescit strictis seges ensibus, aeraque fulgent
Sole lacessita, et lucem sub nubila iactant:
Fluctus uti primo coepit quum albescere vento,
Paullatim sese tollit mare, et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.
Hic iuvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhei fuerat qui maximus, Almo,
Sternitur; haesit enim sub gutture volnus, et udae
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virum circa, seniorque Galaesus,
Dum paci medium se offert; iustissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant

quatis hinc inde viribus. *Mars* opponitur *certamini agresti*, ut mox *enses stipitibus*. Ipse Virgilius vs. 540. vocat — *aequo Marte*.

Fluctus uti primo coepit quum albescere vento. Malim: *Ut, fluctus primo coepit quum albescere vento, Paullatim sese tollit mare* sq.

Et udae Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam. Ineptum, meo quidem sensu, epitheton *udae*, etiam si cum interpretibus per Hypallagen ad *iter* referendum esse dicas. Saepe apud poetas inveni *vocis iter*, *vocis via*, nusquam *udae*. Martialis XI. 92. *Mors vocis iter properavit claudere blandae.* Et talia sunt addenda, quibus aliquid in *voce* singulare exprimitur, non *uda*, quod in medica descriptione gutturis vel alia ratione locum obtinere poterit, non potest, ubi telum in gutture haeserit. Vix dubito, quin Virgilius pro VDAE scripserit VNA. *Et una Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.* Haesit sagitta sub gutture, et *vocem simul et vitam* homini eripuit, *una vocem et vitam* interclusit, via spiritus ac vocis sanguine obsepta. Virgilius X. 486. *Ille rapit calidum frustra de vulnere telum: Una eademque via sanguis animusque sequuntur.* Claudianus legisse videtur, *uno Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.* Nam dixit in Laude Serenae 156. de Lucretia: *memorandaque concidit uno Ulta pudicitiam libertatemque cruore.*

Dum paci medium se offert. Medius, qui pacem conciliat. Vide interpretes ad Valerium Fl. V. 500. et Gesnerum ad Claudianum Cons. Mall. 249.

Quina redibant. Apud Probam Falconiam: *et bina redibant.*

Armenta, et terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit, et primae commisit funera pugnae,
Deserit Hesperiam, et, coeli conversa per auras,
Iunonem victrix affatur voce superba:
En, perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic, in amicitiam coeant, et foedera iungant,

Promissi dea facta potens. Liv. VIII. 13. *Dii immortales vos huius consilii potentes fecere.* Stat. Theb. XI. 57. *Iamque potens scelerum geminaeque exercita gentis Sanguine Tisiphone.*

Primae commisit funera pugnae. Proprie *pugna committitur*, hoc est, *initium pugnandi*, bellandi, fit. Conf. Burmannus ad Ovid. Metam. XII. 68. Statius Theb. VI. 143. *Cui superum nostro committere sanguine pugnas Dulce?* Idem Theb. III. 119. *primoque imbutas sanguine gentes.* Pulchre Lactantius ad Statii Theb. V. 643. »Consulenti responsum fuerat, Thebanum bellum ipsius *sanguine imbuendum.*" Idem hoc alibi interpretatur per *initiavit*, ut hic facit Servius.

Coeli conversa per auras. Multi Codd. *convexa.* Veteres *per* bis accipiendum esse putabant, vel *per auras*, id est, *coeli convexa*, vel *convecta* legebant. Medic. a m. pr. *conversa*, quod Wagn. recepit. Allecto, huc usque in terris versata, se ad coelum convertit. Canterus coniicit, *coeli convexa peragrans* vel *perrerrans*. Bothius *connixa.* Cerda cum Turnebo *convexam* explicat, ut amnis appellatur *devexus* Georg. IV. 293. Heynius volebat *coeloque evecta per auras.* Robertus Titius in Controversiis MSS. in Biblioth. Acad. Leidensis, l. 23. haec scribit: »*Locus non indiget emendationis, cum Maro dicat:* Alecto Italia abscedit, ac coeli oras deserit, interque abeundum, ac dum adhuc per oras fertur, *Iunonem victrix affatur voce superba.* Debet enim illud *per auras* ope interpretationis referri ad τὸ *affatur*, non est coniungendum cum τῷ *coeli convexa.* Non absimile videri potest, quod ait Nonnus Dionysiac. l. 20 ad calcem: τοῖον ἔπος κατέλεξε δι' ἠέρα ὑψιμέδων Ζεύς." Haec Titius, qui neque ipse difficultatem expediit. Nam non video quid nunc de *coeli convexa* sit faciendum. Interea illud *per auras affatur* non displicet. Si scribas *coeloque invecta*, omnia sunt Latina. Sed oratio Allectus et Iunonis per me abesse poterat. Non est pulchra. Laudarem poetam, si haec ita reliquisset: *Deserit Hesperiam. — Est locus Italiae medio* sq.

Dic, in amicitiam coeant. Si Iuno diceret, et hoc cuperet, in

Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros,
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas:
Finitimas in bella feram rumoribus urbis,
Accendamque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant; spargam arma per agros.
Tum contra Iuno: Terrorum et fraudis abunde est.
Stant belli caussae; pugnatur comminus armis;
Quae fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia coniugia et talis celebrent hymenaeos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super aetherias errare licentius auras
Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Talis dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit stridentis anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiae medio sub montibus altis
Nobilis, et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles: densis hunc frondibus atrum

amicitiam coirent. Nam caeteri dei volebant. *Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas*, est prosa. Et quomodo Furia de voluntate Iunonis dubitare poterat, quum Iuno vs. 339. dixisset; *sere crimina belli, Arma velit poscatque simul, rapiatque iuventus.*

Stant belli caussae. Horat. Carm. I. xvi. 18. *urbibus ultimae Stetere caussae cur perirent.*

Quae fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma. Ad fastidium brevi intervallo sanguis repetitur. *Sanguine* bellum imbuit, respersi *sanguine* Teucros, *sanguis* imbuit arma. Nec de armis, *quae sors prima dedit*, unice verum est. Nam pugnatum erat, omisso certamine agresti, *ferro ancipiti.* Et ipsa Iuno praemisit: pugnatur *cominus armis*, hoc est, iusto proelio. Ingratum denique in fine versuum continuorum *armis* — *arma.*

Stridentis anguibus alas. Nova et inaudita Furiae imago, cuius comae anguibus strident, non alae. Heynius rem ita posse accipi putat, ut angues inter volatum vento impulsi inter alas commotas strideant.

Urguet utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vortice torrens.
Hic specus horrendum, saevi spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit faucis: quis condita Erinys,
Invisum numen, terras coelumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus, caesosque reportant
Almonem puerum, foedatique ora Galaesi;
Implorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine caedis et igni
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;

Spiracula. Mira annotatio in Servianis: »Antiqui Codices *piracula* habent, quae dicta sunt *ἀπὸ τῶν περάτων*, hoc est, a finibus Inferorum."

Condita Erinys, Invisum numen, terras coelumque levabat. In praeclaris libris *condit*, in Pieriano et Wittiano *levavit.* Hinc, transpositis vocabulis, versus efficere possumus longe sonoriores: *numen Erinys Condidit invisum, et terras coelumque levavit.*

Almonem puerum, foedatique ora Galaesi. Versus suspectus. Finxit, ni fallor, Grammaticus ex vs. 531 sq. ubi mors Almonis et Galaesi memorantur. Cur *Almo* hic eximie *puer* appellatur, qui esset *natorum maximus* Thyrrhei? Cur *ora* Galaesi *reportantur?* Dicendum potius *foedatumque ora Galaesum.* Nam *foedatus* adiunctam fere habet corporis partem, qua quis *foedatus* est, diciturque inprimis de *vultu.* Et quid opus est narrari Almonem et Galaesum reportatos, quum legerimus eos fuisse *caesos*, et pastores hic *caesos reportent?* Denique et alii erant caesi. Virgilius dixerat: *Almo sternitur. Corpora multa virum circa, et Galaesus.* Requirebatur ergo: *Caesosque reportant, Almonem et puerum.*

Medioque in crimine caedis et igni Terrorem ingeminat. In MSS. *igni, igne, ignis.* Donatus interpretatur *ignis: spondens omnia caedibus et incendio peritura.* Iungit igitur *ingeminat terrorem caedis et ignis.* Pomponius *igni* interpretatur: *furore et seditionis impetu.* Wagnerus: *in medio irarum ardore et flagrante tumultu.* Non credo exemplum inveniri *ignis*, ita sine ad-

Stirpem admisceri Phrygiam: se limine pelli.
Tum, quorum attonitae Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis, neque enim leve nomen Amatae,
Undique collecti coeunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deum, perverso numine poscunt;
Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:

dito substantivo positi. Mallem pro IGNE scribere IPSE: *Medioque in crimine caedis et ipso Terrorem ingeminat.* Adest Turnus, ut in medio crimine caedis, dum pastores perpetratam a Troianis caedem accusant et terrorem spargunt, ipse quoque, ipse etiam, quasi iste terror non sufficeret, terrorem praeterea, insuper auget, quum dicit, Teucros in regna vocari sq. Illud *medio in crimine* habet etiam Valerius Fl. I. 696. *medioque in crimine patrem Liquerit*, hoc est, dum ipse Iason crimen rapti secum Acasti commiserat, abiit, suumque patrem furori Peliae reliquit. Heinsius legit *discrimine*, Burmannus cum aliis non recte accipit.

Se limine pelli. Iratus, limini non addit *Latini*, *Laviniae.* Recte Servius: *interiori familiaritate.* Laudat Iuvenalis *limine submoveor.*

Contra fata deum, *perverso numine poscunt.* Servius *perverso* interpretatur *irato.* Heynius: »Perversa, conturbata et infirmata Deorum voluntate." Neutram, credo, rationem Latinitas patitur. Cerda explicat *adversus* et *contrarius*, et affert ex Plauti Menaechmis V. v. 1. *Edepol nae hic dies pervorsus atque advorsus ei obtigit;* et Propertius IV. VIII. 64. *Et mea perversa sauciat ora manu.* *Perversus* apud Plautum non significat *adversus*, nam *adversus* sequitur. In Propertio est *scelesta manu.* *Perversus* semper cum vitio coniunctum est. Si inest notio *irati et adversi*, inest simul irati et adversi *pravo modo:* quod de diis hic non valet. Verum puto: *Contra fata*, *deumque adverso numine poscunt.* Pacuvius apud Ciceron. de Divinat. I. 16. *Solvere imperat secundo rumore*, *adversaque avi.* Ovid. Heroid. VII. 4. *Adverso movimus ista deo.* Virgil. X. 31. *Si sine pace tua atque invito numine Troes Italiam potiere.* *Numen deum*, ut Horat. Epod. XV. *Cum tu magnorum numen laesura deorum.*

Tecta Latini. Mediceus *tyranni.* Corruptum, puto, et transpositis imprudenter literis in *Latini*, unde fiebat *Tilani.* TYRANNI et LATINI non multum differunt. Neque erat, cur Burmannus *tyranni* stare posse arbitraretur, si pro *regis* scriberetur *reges.*

Ut pelagi rupes, magno veniente fragore
Quae sese multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; *scopuli nequidquam et spumea circum*
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Ut pelagi rupes, magno veniente fragore. Hunc versum pro spurio habent Heinsius, et Valckenaerius, neque in Cod. Mentel. Bigot. et uno Lips. legebatur. Heynius refert ad versus a poeta nondum satis absolutos et elaboratos. Wagnerus, postquam in omni hac comparatione quaedam iure reprehenderat, disputationem ita finit: »Aut emendanda haec sibi reliquit poeta, aut nescio unde adscita et illata sunt, et asterisci aut nulli horum versuum aut omnibus apponendi." Cur Wagnerus tertium exclusit? Nam si hic versus in tribus MSS. non apparet, quod in malo versu inprimis suspicionem interpolationis auget, eo facilius vicini versus per eandem manum additamentis inquinari potuerunt. Et si nos, centonibus rescissis, toti loco suum decorem restituere possimus, quanto similius vero est, hoc ipsum ante nos melius vidisse Virgilium? Scribe: *Ille, velut pelagi rupes immota, resistit: Quae sese, multis circum latrantibus undis, Mole tenet, laterique illisa refunditur alga.* In quibus nescio quid Virgilius non pro suo esset agniturus. Caeterum: *Ut pelagi rupes, magno veniente fragore;* elegantiam in repetitione nullam habent. Iam Heynius animadvertit orationem aliter fuisse instituendam, si venustas inde peteretur; iam, *magno veniente fragore*, et ipsa sunt humilia, neque differunt ab *undis latrantibus;* idemque mox in *fremunt* repetitur. Auctor accipere potuit ex VII. 677. *magno cedunt virgulta fragore.*

Circum latrantibus undis. Circum latrare et *circumlatrata tellus procellis*, imitatione poetarum comprobata. Virgilius incipit versum *Quae se tenet*, imitatus Homerum Iliad. XV. ἠΰτε πέτρη — ἥτε μένει.

Mole tenet. Ut alibi: *mole sua stat.* Ovid. Metam. IX. *Manet illa, suoque est pondere tuta.*

Scopuli nequidquam et spumea circum Saxa fremunt. Alii iungebant *mole scopuli.* Alii *et* delebant. Alii accipiunt, *undae fremunt circum saxa.* Sed ita, credo, scribendum erat: *scopulos nequidquam et spumea circum Saxa fremunt.* Wagnerus vulgata defendit, ut *ipsa saxa* circum fremant. Rogat tamen, an ea saxa aliquam vim habeant ad *rupem* oppugnandam? Debemus conficere ex eo, quod *saxa nequidquam* circum rupem fremunt. Neque Wagnerum effugit odiosa repetitio *circum.*

Laterique illisa refunditur alga. Si *alga* rupi *illiditur*, indicium est summae tempestatis, quae mare ex imo fundo commovet.

Verum ubi nulla datur caecum exsuperare potestas
Consilium, et saevae nutu Iunonis eunt res:
Multa deos aurasque pater testatus inanis,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium, votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies; omnisque in limine portus;

Aurasque pater testatus inanis. In uno Hamb. a manu prima *arasque.* Et facile permutabantur *aurae* et *arae*, quia *aurae* pronuntiatum ut *orae*, quod Franci ex Latina consuetudine retinuisse videntur. Et Marklandus coniecerat *aras*, Burmanno probante. Heynius coniecturam non probat, neque intelligit quid sint *arae inanes:* nihil autem esse frequentius, quam manibus ad coelum sublatis, *deos coelumque* testari, *inanes* perpetuum *aetheris* epitheton haberi. Et ego *auras* praefero. Mentio foederis religione consecrati non praecessit. Tum, ut in exemplis a Marklando allatis, addi solet *foederis laesi*, *polluti*, vocabulum. Qui Iovem testatur *sub divo*, hic testatur manibus sublatis: igitur rectius iunguntur *aurae* quam *arae*. Sed aurae *inanes*, sunt, *non audíturae.* Testatur auras precibus *non profecturis*, *frustra.* Nam aurae precantem non audiebant, neque Latini mutabant sententiam. Virgil. Eclog. II. 4. *haec incondita solus Montibus et silvis studio iactabat inani.* Aeneid. IV. 449. *Mens immota manet, lacrimae volvuntur inanes;* Didoni *nil profuturae.* Theognis apud Athenaeum XV. 3. *Πεφιλοσόφηκας γῇ τε κοὐρανῷ λαλῶν, Οἷς οὐδὲν ἔστιν ἐμμελὲς τῶν σῶν λόγων.* Quem locum eleganter cum Plauti Mercat. Prolog. 3. comparavit P. Victorius: *Aut nocti aut diei aut soli aut lunae miserias narrant suas, Quas pol ego credo humanas querimonias Non tanti facere, quid velint, aut quid non velint.*

Nam mihi parta quies; omnisque in limine portus; Funere felici spolior. Quae sententia requiratur, non diu quaerendum est. Heynius optime vidit: »Paratum sibi ait refugium in vicina morte, nec sibi eripi aliud, praeterquam ne, ut felix vixerit, ita felix moriatur. Multi fuerunt, qui uno die citerius vita discedere debuissent." Haec Heynius: et cogitabam dictum Laberii in Prologo: *nimirum hoc die Uno plus vixi, mihi quam vivendum fuit.* De sententia igitur constat. Sed quomodo talem sententiam ex verbis, uti

Funere felici spolior. Nec plura locutus

nunc leguntur, salva Latinitate, efficiemus? Illud *omnisque in limine portus* tantam habet difficultatem, ut recte explicari non possit. Vide discrepantes opiniones. Servius: »*Securitas omnis in portu est.*" Donatus: »*Portus erit mihi limen domus meae*, quod egressurus non sum." Pomp. Sabinus: »*Senex sum, et in portu mea vita est*, totus sum in aditu portus." Omitto alias. Multi per coniecturas malo mederi studuerunt. Hinc *omnisque*, *mortisque*, *omnique*, *navisque*; adeo ut Heynius, tandem desperans, hemistichium esse spurium statuat, idque iam Marklandus habebat suspectum. Wagnerus contra, interpretum errores hinc ortos putat, quod *omnis portus* pro genitivo acceperunt. Esse enim nominativum, et significare: *omne auxilium mihi ante pedes et paratum est seni.* Mihi neque ea ratio satisfacit. *Portus* quidem per metaphoram dicitur *auxilium*, tantum tamen de propria notione retinet, ut non omnia epitheta, quae bene *auxilio* addas, eadem addas *portui*. Nemo culpabit, *omne auxilium prope adest*, hoc est, *omne auxilii genus:* sed nemo unquam probabit, *omnis portus prope adest.* Spurium hoc esse hemistichium non credo, quia *portus* et *quies* in ea metaphora fere semper coniunguntur. Cicero Tusc. Quaest. I. 44. servavit Enniana: *Neque sepulcrum, quo se recipiat, habeat, portum corporis, Ubi remissa humana vita, corpus requiescat a malis.* Statius Silv. II. ii. 140. *At tua securos portus blandamque quietem Intravit non quassa ratis.* Seneca Agam. 591. *cum pateat malis Effugium, et miseros libera mors vocet, Portus aeterna placidus quiete.* Herc. Furent. 1072. *portus vitae, Lucis requies.* Claudian. Consul. Mallii 61. *Postquam parta quies, et summum nacta cacumen Iam secura petit privatum gloria portum.* Boethius Consol. Philos. III. 10. *Hic erit vobis requies laborum, Hic portus placida manens quiete.* In his Claudianus locum Virgilii ante oculos habuisse videtur, et tamen non video, quid inde ad Virgilium emendandum proficiam. Sentio rem verti in *omnisque*, pro quo sententia postulat verbum, quale est *versor*, *navigo*, *veni ad limen portus*, vel simile. Nam *parta quies* non significat revera iam esse partam ipsam quietem, sed *in eo* ut pariatur, cuius pariendae certus est: ut Eclog. III. 68, *parta meae Veneri sunt munera.* Aeneid. II. 783. *Illic res laetae, regnumque et regia coniux Parta tibi.* Sallust. Bell. Iug. 82. *iam parta victoria e manibus eripitur.* Latinus adeo dicit: quietem fere inveni, iam sum in limine portus, in ipsum portum mox intrabo, moriar. Nam mors est portus hominum, *πάντων λιμὴν τῶν μερόπων ὁ θάνατός*

Saepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanae coluere sacrum; nunc maxima rerum
Roma colit, quum prima movent in proelia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa:
Sunt geminae Belli portae (sic nomine dicunt)
Religione sacrae et saevi formidine Martis:
Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri
Robora; nec custos absistit limine Ianus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,
Ipse, Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul:
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes,
Aereaque adsensu conspirant cornua rauco,

ἰστιν, ut dicebat Sotades. Spolior *tantum* felici funere. *Limen portus*, ut *limen vitae*, *lucis*, de quo interpretes ad Silium XIII. 548. Sententiam igitur aperui et viam emendationis ostendi. Videant alii, quid possint. Paullinus Carm. 12. *Inque tuo placidus nobis sit limine portus;* pro *domo* accepit.

Rerumque reliquit habenas. Silius I. 144. *rerum Hasdrubali traduntur habenae.*

Reserat stridentia limina Consul. Heynius accipit *has*, *stridentia limina*, per appositionem. Wagnerus per negligentiam quandam poetae explicare videtur, quem primo scribere voluisse putat *has stridentes reserat.* Burmannus emendat *stridenti limine.* Mallem pro *Has* scribere *Huic*, nempe Iano, qui stat custos *in limine; huic Consul reserat stridentia limina.* Virgilius ritum antiquum explicat, qualem Numa instauravit. Ex hoc ritu *Ianus apertus* erat belli indicium. Et notae formulae *Ianum Quirinum clausit.* Virgilius *Belli portas* accurate descripsit: in fine dixit, Ianum in limine portarum stare custodem, custodem liminis, ne qua possit discedere. Huic Consul fores aperit. Corippus, in Laudem Iustini, legisse videtur *stridenti limine: Ianitor excelsam stridenti limine portam Imperio reseravit heri.*

Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
More iubebatur, tristisque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Foeda ministeria, et caecis se condidit umbris.
Tum regina deum coelo delapsa morantis
Impulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante;
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis

Hoc et tum Aeneadis. Statius Theb. II. 55. *hac et tum deus exsilit umbra.*

Ardet inexcita Ausonia. Fronto (Arusian. Messius) ed. Maii T. II. pag. 486. citat *in excitam.* Idque commendat Heinsius. Sed credo Frontonem sua memoria esse deceptum. Nam, quod Heynius putabat, esse lapsum librarii, hoc fieri non potuit, quia Fronto explicat formulam *ardeo in illam rem.* Sed quod sequitur, *atque immobilis ante*, satis ostendit verum esse *inexcita.* Et hoc Burmannus vidit.

Pars arduus altis Pulverulentus equis furit. Interpretes locum praetereunt, tamquam integrum. Mihi non talis videtur. Nam non credo esse Latinum *pars furit arduus*, sed *ardua* dicendum. Burmannus annotavit: »*Mars arduus* Cod. Zulich. et Menag. Credebat, credo, librarius non congrue dictum *pars arduus.* Sed Manilius I. 409. *Pars hominis tergo pectus commissus equino*, quod non potuit placere Bentleio, qui sine ulla auctoritate iubet reponi *pars iuvenis*, quia Chiron senex fuerit. Solent veteres varie construere vocem *pars* et cum singulari et plurali masculino. Livius XXXIII. 44. *utraque pars avidi certaminis erat.*" Haec Burmannus: sed minus accurate. Iam primum in Livio non *erat*, sed *erant* legitur. Sed hoc ad rem praesentem non pertinet. *Pars* cum plurali masculino construi, nemini sane incognitum est. Castigati scriptores hoc praetulisse videntur, ut maluerint v. c. *magna pars caesi*, quam *caesa*, et saepe vix aliter potuerant, quia praecedebat vel sequebatur *alii.* Hoc igitur non quaerebatur, sed quaerebantur exempla, nostro similia *pars arduus furit.* Bentleius quidem in Manilio non ferebat. Sed, quod timide de tanto viro dictum sit, Manilium non intellexit. Totus locus est inspiciendus: *Duplici Centaurus imagine fulget, Pars hominis, tergo pectus commissus equino.* Comma post *hominis* ponatur. *Pars hominis* est appositio *Centauri.* Centaurus habet duplicem imaginem, et est non integer, *non totus homo, sed pars*

Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars levis clipeos et spicula lucida tergent
Arvina pingui, subiguntque in cote securis;
Signaque ferre iuvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnae positis incudibus urbes

hominis, *commissus quippe* pectus tergo equino, habens pectus innctum tergo equino. Exemplum igitur Manilii nullum est. Si *pars* additum habet praedicatum numero plurali, iste numerus ponitur genere masculino, quando viri vel omnes vel plurimi cogitantur. Si *feminae* solae cogitantur, requiritur genus femininum. Si substantivum unice feminini generis cogitatur, adiectivum sequitur illud genus. Tacitus Annal. II. 24. *Pars navium haustae sunt, plures eiectae.* Genus in tali re accurate servatur. Loci Virgiliani longe diversa est ratio. *Pars it pedes*, rectum est: *pars it arduus*, non rectum est, quia desideratur legitimum substantivum, ad quod referri possit. Adest substantivum, sed diversi generis. Cum eo igitur adiectivum convenire debet, scribendumque erat *ardua*. Latinitas duplici modo restitui potest, vel: *Hic pedes ire parat; campis ille arduus altis* sq. Atque ita optime sequuntur *pars*, *alii*: vel: *Pars pedes ire parat; campis pars altus apertis Pulverulentus eques furit.* Multa ego habebam, quae dicerem ad talem scripturam commendandam, sed cuivis Latine scienti se ipsa satis commendat. Hoc, credo, omnes sentient, utramque a me propositam mutationem vulgatis longe esse meliorem. Hoc non omittendum, in Mediceo a manu prima pro *altis* scribi *artis*. Iam vide quam literarum ductus sibi sint similes ARDVVSARTIS et ALTVSAPERTIS. Sed *campis* semper ad *equitem* referatur.

Pars levis clipeos et spicula lucida tergent. In vulgato versuum ordine non ea rerum consecutio cernitur, quam, si animum diligenter intendas, probes. Melior fortasse versibus ita dispositis, elucebit: *omnes arma requirunt: Signaque ferre iuvat, sonitusque audire tubarum. Pars levis clipeos et spicula lucida tergent Arvina pingui, subiguntque in cote securis. Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas Umbonum crates, alii thoracas aenos, Aut levis ocreas lento ducunt argento. Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri Cessit amor, recoquunt patrios fornacibus ensis. Quinque adeo magnae positis incudibus urbes Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum, Ardea, Crustumerique, et turrigerae Antemnae. Classica iamque sonant* sq.

Positis incudibus. Ovidius Fast. IV. 473. *Antraque Cyclopum*, *po-*

Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerique, et turrigerae Antemnae.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum cratis; alii thoracas aenos,
Aut levis ocreas lento ducunt argento;
Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus ensis.
Classica iamque sonant; it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementis
Ad iuga cogit equos; clipeumque auroque trilicem
Loricam induitur fidoque accingitur ense.

sitis exusta caminis. Valerius Fl. IV. 286. *pervigil ut cum Artificum notat ipse manus, et fulmina Cyclops Prosubigit, pulsis strepitant incudibus urbes.* Ubi Cyclops notat manus, observat manus fabrorum, sintne diligentes ac sedulae, nec ne. Statius Silv. III. I. 130. *Non tam grande sonat motis incudibus Aetna, Cum Brontes Steropesque ferit.*

Alii thoracas aenos. Illud *alii* in praecedentibus est repetendum, *alii cavant, alii flectunt, alii ducunt.* Livius III. 37. *Virgis caedi, alii securi subiici.* Vide Gronovium.

Recoquunt patrios fornacibus ensis. Heynius: »Instrumenta illa rustica liquefacta recudunt. Hoc apud Lucretium V. 1292. *Inde minutatim processit ferreus ensis, Versaque in obscenum species est falcis aenae:* quod comparat Macrobius VI. I.'' Non est ea verborum sententia, quam vult Heynius. Omnis honos et amor, quem olim rustici ponebant in fabricando et exercendo vomere, aratro et falce, nunc ponebatur in fabricandis armis vario genere, et restituendis armis, quae habebant. Ita patrios enses in *fornacibus restituunt.* Macrobius Heynium in errorem duxisse videtur. Comparavit Lucretium cum his Virgilianis: *Recoquunt patrios fornacibus ensis, Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.* Macrobium sua memoria fefellit. Nam postremus versus non ex h. l. est petitus, sed legitur in Georg. I. 506. *non ullus aratro Dignus honos: squalent abductis arva colonis, Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.* Ea recte cum Lucretio comparari poterant, non quae hic in Aeneide leguntur. Et *enses recoquere* longe aliud est, quam rustica instrumenta *recudere.* Vide Bentleium ad Horatium I Carm. 35. et Cortium ad Lucanum VII. 148.

It bello tessera signum. Silius VII. 347. *Discurrit tessera castris.* Ubi plura interpretes.

Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
Qui bello exciti reges, quae quemque secutae
Complerint campos acies; quibus Itala iam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim, divae, et memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemtor divum Mezentius, agminaque armat.
Filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus, equum domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequidquam ex urbe secutos
Mille viros; dignus, patriis qui laetior esset
Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.

Cantusque movete. In plurimis Cod. *monete.* Wagnerus indicat, hoc Latine non dici. Quare aliquando scribendum putavi *vatemque monete*, quod etiam melius cum sequentibus convenit *qui bello exciti* sq.: *vatem monete*, ut ille canere possit, qui reges bello exciti sint. Vos monete vatem, nam meministis. Ita VII. 41. *primae revocabo exordia pugnae. Tu vatem, tu diva, mone, dicam horrida bella.* Conf. Burmannus ad Valerii Fl. II. 440. Fortasse tamen dicitur Latine *monete cantus meos*, pro *me canentem*, ut Phaedrus I. Prologo: *vitam monet*, pro *viventes*, homines.

Quae quemque secutae. Hic locus plane confirmat veram MSS. lectionem in Valerio Fl. V. 606. *Hos autem quae quemque manus, quae signa sequantur, Si memorem.*

Et meministis enim, divae, et memorare potestis. Heinsius ad Ovidium XIV. Metam. 813. haec, pro Ennianis, citat. Error, puto, memoriae.

Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura. Statius Theb. IV. 651. *Phoebe doce. Nos rara manent exordia famae.*

Dignus, patriis qui laetior esset Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset. Hic ego primum offendor repetito in fine utrinsque versus *esset.* Wagnerus quidem ad VI. 901. defendit, et alia attulerat ad V. 181. Si exempla inspicias, ea vel esse vitiosa et corrupta invenies, vel aliter comparata. De corruptis nihil dicam. Aliter comparata sunt v. c. V. 181. *Illum et labentem Teucri, et risere natantem, Et salsos rident revomentem pectore fluctus:*

Post hos insignem palma per gramina currum
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus; clipeoque insigne paternum
Centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram;

VIII. 396. *Similis si cura fuisset, Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.* In his enim similibusque ea repetitio habet suavitatem et aliquam vim. Quod secus est in his: qui laetior *esset*, et cui pater *esset*. Ex ESSET transpositis literis fit ETESS, hinc AETAS, quod facilius mutatum in *esset*, quia in fine proximi versus sequebatur *esset*. QVI facile corrumpi potuit ex QVOI, illudque in *qui* mutari debuit, quum legebatur *esset*. In altero versu, pro *cui*, in Rottend. erat *quo*, reliquiae pristini *quoi*. Habemus ergo, ni fallor, manum Virgilii: *dignus, patriis cui laetior aetas Imperiis, et quoi pater haud Mezentius esset.* Egregia sententia. Lausus erat dignus, cui adolescentia contigisset felicior, quod ad regnum paternum attinebat, nam pater erat *exsul et regno depulsus*. Sed idem Lausus, si dignus esset patre *feliciore*, etiam dignus erat *meliore*, dignus cui omnino non esset pater Mezentius, sed longe alius. Erat Mezentius et malus homo, et qui filium, sua ipsius culpa de imperio deiectus, infelicem fecisset. Hoc ipse fatetur X. 851. *Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen, Pulsus ob invidiam solio.* Signa imitationum cernuntur in Ovidio Metam. VIII. 847. *Filia restabat, non illo digna parente.* Valerius Fl. V. 459. *Dignus avo, quemque insontem meliora manerent.* Silius XII. 346. *Proles pulchra viri, nec tali digna parente.* Heynius Virgilium sic interpretatur: »Dignus qui meliore patre gauderet. Ad patrem declarandum *imperia* non minus valent, quam in filio *obsequium*.” Accepit igitur imperia privata, *patriam potestatem*. Sed ita Virgilius dixisset: dignus qui patrem haberet *meliorem et alium:* quod fere est tautologum. Et tum exspectassem *alium et meliorem*, neque significetur puerum quoque dignum fuisse initiis vitae felicioribus. *Imperia* pro *regnum* saepe usurpantur. Statius Theb. II. 179. *cui cedat Adrastus imperiis?*

Pulcher Aventinus. Viri *pulchritudo* unice fere spectabatur in robusto corpore, latis humeris, forti pectore. Hinc *pulcher* et *fortis* vir, sunt vicinae notiones. Interim opinionem Scaligeri, *pulcher* formari ex πολύχειρ, ingeniosam magis quam veram iudico. Protulit vir magnus eam ad Plauti Mil. Glor. IV. III. 13. eodemque hunc locum Virgilii retulit.

Cinctamque gerit serpentibus Hydram. Hydra serpentibus *cincta*, est Hydra plane integra, intacta, ab Her-

Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor,
Geryone exstincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu saevosque gerunt in bella dolones;

cule non petita, in cuius adeo insigni nec labor Herculis, nec virtutis memoria conspiciebatur. Pro CICTAM vel CINCTAM omnino scribendum puto SECTAM. *Sectamque gerit serpentibus Hydram.* Docte *sectam serpentibus* pro *sectis serpentibus.* Gerit in clipeo Hydram, ex cuius capitibus multi serpeutes erant recisi. Hydra, cum laude Herculis coniuncta, non alia forma proponitur. Horatius Carm. IV. 4. *Non Hydra secto corpore firmior Vinci dolentem crevit in Herculem.* Lucan. IV. 634. Hercules *Desectam timuit reparatis anguibus Hydram.* Silius III. 32. *In foribus labor Alcidae, Lernaea recisis Anguibus Hydra iacet.* Seneca Med. 701. *Et Hydra, et omnis redeat Herculea manu Succisa serpens.* Sed ante omnes huc facit Silius II. 158. quem locum ex Virgiliano expressum dicas: *Centum angues idem Lernaeaque monstra gerebat In clipeo, et sectis geminam serpentibus Hydram.*

Rhea sacerdos. Niebuhrius *Rea* scribendum putabat, tamquam a *reus.* Wagnerus non probat. Origo vocabuli esse videtur eadem, quae *Romuli* et *Remi*, et *Rumonis* (*Tiberis*, antiquissimo nomine) hoc est a ῥέω. *Rumon* significat *fluvius*, *Romulus* et *Remus* nati ex fluvio, hoc est ad fluvium, *heroes quidam* fluviatiles; *Rhea* uympha quaedam fluviatilis. Eadem dicitur *Silvia*, tamquam et Nympha Silvestris. Si Romani Orthographiam sequi novissent, scribere etiam debuisseut *Rhumon*, *Rhomulus*, *Rhemus*, *Rhoma.* Opinionem meam de origine et notione horum vocabulorum alibi exponam.

Pila manu saevosque gerunt in bella dolones. Gerunt, sc. »Aventini comites, quos paullo durius subintelligi, nou inficior. Nec monitum, unde ii fuerint, quos adduxit." Hoc annotavit Heynius. Vere, puto. Virgilius ubique nomina populi, vel comites ducum addidit. Nec sine magna uegligeutiae culpa abesse possunt. Quis ferat: *Post Mezentium, qui ducebat Agyllinos, Aventinus victores equos ostentat. Manu gerunt pila et dolones?* Virgilius multas Italiae nationes memoravit. *Sabellos* non videmus. Erant tamen olim fortissimi. Laudavit in Georg. II. 167. *Haec* (Italia) *genus acre virum Marsos, pubemque Sabellam, Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos*

Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipse pedes, tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum saeta, cum dentibus albis
Indutus capiti, sic regia tecta subibat,

Extulit. Scribamus igitur: *Pila manus saevosque gerunt in bella dolones Et tereti pugnant mucrone veruque Sabellae.* Post Mezentium et Agyllinos venit Aventinus. *Manus Sabellae*, quas secum ducit, miro armorum genere utuntur. Aventinus, quamquam natus in silva collis Aventini, rex esse potuit Sabellorum, filius Herculis, dignus, qui populo forti praeesset. Neque *veru* proprium fuit Sabellis telum. Virgilius, ut vidimus, etiam Volscis tribuit. Caeterum Gronovius ad Senecae Herc. Furent. 779. iungit *saevos in bella.*

Ipse pedes, tegumen torquens immane leonis. Haec de vestitu Aventini multas habent difficultates. Longum est omnium opiniones referre. Memorabo coniecturas. Heynius: *Ipse pedes tegumen Nemeaei immane leonis*, vel *Gaetuli immane leonis.* Vir doctus: *tegumen tollens.* Heynius etiam vs. 668. *indutus capiti sic regia tecta subibat*, spurium arbitrabatur. Bothius pro *indutus* legit *indutis.* Waardenburgius *induitur*, et post *capiti* interpungit. Wagnerus autem omnia habet non modo integra, sed etiam praeclara. *Ipse pedes* est, vel venit, aut, quod longe praestat, *ipse subibat.* Poeta *torquens* — *indutus* sine copula posuit, ut in re horrida horridam orationem faceret. Haec Wagnerus. Ego totum hunc locum ita scribendum ac disponendum esse coniicio:

Ipse, pedes, tegumen rictus immane leonis Terribili impexum seta, cum dentibus albis Indutus capiti, atque humeros innexus amictu Horridus Herculeo, sic regia tecta subibat. Distinxi *ipse, pedes*, ut iungantur *ipse subibat*, pedes, postquam nempe de curru descenderat, in quo *sedens* advenerat. *Ipse* oppositum *Sabellis, Ipse, rex. Ipse, pedes* opponi non potest. Nam sic Sabelli esse debebant *equites.* Neque *ipse venerat pedes*, sed in *equis in curru.* Nunc ad pedes descendit, et regia tecta subibat, ut regem v. c. salutaret. Mutavi TORQVENS vel TORCVENS in RICTVS. Virgilius prius describit ornamentum capitis, tum caeteri corporis. Et haec sunt distinguenda. Ita distinxit XI. 680. *Cui pellis latos humeros erepta iuvenco Pugnatori operit. Caput ingens oris hiatus Et malae texere lupi cum dentibus albis.* Ibi Virgilius *humeros et caput*, ut hic *caput et humeros* memoravit. In vulgatis omnia turbantur. *Torquet tegumen*, quod, ut alibi *retorquet*, non nisi de humeris dicitur. Tum

Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus;
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur:
Ceu duo nubigenae quum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem
Linquentes cursu rapido; dat euntibus ingens
Silva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Praenestinae fundator defuit urbis,
Volcano genitum pecora inter agrestia regem

de *capite* loquitur, mox iterum de *humeris*. Et *tegumen* optime de *capitis humani* operimento. Virgil. VII, 688. *lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti.* Induit igitur Aventinus rictus leonis immanes, pro eo ornate *tegumen immane*, induit, inquam, *capiti*. *Rictus tegimen*, per appositionem. Sic Ovid. Metam. III. 52. *tegumen direpta leoni Pelli serat*. Art. Amat. III. 112. *Cui tegumen septem terga fuere boum*. *Rictus leonis*, pro *pelle*, quae caput ambiit. *Rictus* et *hiatus* idem est. *Hiatus* ita notum est. Valer. Flaccus I. 34. *Cleonaeo iam tempora clusus hiatu Alcides*. Vide Burm. atque ita Hercules saepe in numis conspicitur. Adde Salmas. ad Tertull. de Pallio pag. 48. qui scripsit: *hiatus crinibus infarsus*. *Rictus* eodem modo ponitur apud Silium II. 156. simili Virgilianae sententia, ut hinc esse appareat adumbrata: *Exuviae capiti impositae tegumenque leonis Terribilem attollunt excelso vertice rictum.* Statius Theb. IV. 304. *Ille Lycaoniae rictu caput asperat ursae.*

Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu. *Amictus Herculeus* est *pellis leonina*. Indutus erat una pelle. *Capite leonis* caput induerat suum Aventinus, reliqua pellis parte, humeros. Ut nunc legitur, dicas eum habuisse duas pelles. Et *tegimen capitis* tam erat amictus Herculeus, quam tegimen humerorum. Virgilius ita dicere debuisset: *Horridus Herculeo amictu innexus*, omissis *humeris*, vel etiam omisso *innexus*. Sic ea cum antecedentibus bene coniungerentur, non, ut nunc leguntur.

Volcano genitum pecora inter agrestia regem. Bryantius hunc et sequentem versum habebat suspectum. Neque Heynio placent, quia oratio, bis interpositis, est paullo abruptior, et illa *omnis quem credidit aetas*

Inventumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus. Hunc legio late comitatur agrestis:

languent. Wagnerus ex Servio defendit, qui narrat, Caeculum se iactasse Vulcani filium. Quod quum populi vicini non crederent, Vulcanus eorum coetum flamma circumdedit. Sic creditus est Caeculus Vulcani filius. Ego quidem illud in oratione abruptum non video. Quod Servius narrat, sumsit ex Catonis Originibus, ut nunc cognovimus ex Scholiasta Maii. Virgilius autem multa ex Catone antiqua de priscis Italiae oppidis mutuatur. Quare et haec de Praenestinae arcis conditore Virgilii esse videntur. Scholion, quod Maius edidit, hoc est: »Cato in Originibus ait, Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse, ideoque Vulcani filium existimasse: et quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum. Hic colle (Maius legit *collectitiis*, melius puto *collectis*) pastoribus Praeneste fundavit. Hunc Varro ab Depidiis pastoribus educatum, ipsique Depidio nomen fuisse, et cognomentum Caeculo (tradit) libro, qui inscribitur *Marius aut de Fortuna.*" Ex Varrone emendandus est Servius: *erant etiam duo fratres, qui Divi appellabantur.* Scribendum *Depidii.* Ferebatur igitur in Latina Mythologia haec de Caeculo fabula, quam Virgilius, ut multas alias, carmini inseruit. In vocabulo *regem* interpretes non offendisse miror. Cerda accipit pro *regnantem.* Fortasse eo referenda est annotatio Heynii: »*genitum inter pecora*, non *regem inter pecora*." Ut nunc est, accipiendum: *venit et Caeculus, quem regem* omnis aetas credidit Vulcano genitum. *Regem*, praesertim ita a *quem* separatum, valde otiosum est. Et Latinitas fere postulat, ut putemus eum *regem natum* fuisse, statim et *natum* et *regem.* Scribamus potius *pecora inter agrestia regis.* Natus erat in agro, *apud pastores regii pecoris*, inter pecora regia. Hoc refert indolem mythorum. Ita Cyrus a pastore regii pecoris, et Romulus Remusque a Faustulo educati sunt: idemque de Oedipo et aliis traditum. *Omnis aetas* mihi non placet, ut neque Heynio placuit. Interpretatio Servii est futilis: »*post dubitationem, et quia varia aetas in spectaculis fuit.*" Dubitaverant nempe vicini populi, quibus Caeculus spectacula dabat, an filius esset Vulcani. Et tamen hoc *omnis aetas* significare potest: auctor Elegiae ad Liviam 203. *omnis adest aetas.* Pro *omnis*, aliquid requiritur, quale est hoc Silii I. 26. *sic credidit alta vetustas.* Potuisset Virgilius: *quem pristina credidit aetas*, vel *olim quem credidit aetas*, quem vetus aetas credidit; vel simili ratione, semper meliore, quam vulgata, quae nunc accipienda sunt: *quem semper et olim crediderunt, et hodie credimus.*

Quique altum Praeneste viri, quique arva Gabinae
Iunonis, gelidumque Anienem, et roscida rivis
Hernica saxa colunt; quos dives Anagnia pascit,
Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clipei currusve sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit; pars spicula gestat
Bina manu; fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; vestigia nuda sinistri
Instituere pedis: crudus tegit altera pero.
At Messapus, equum domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Iam pridem resides populos, desuetaque bello
Agmina, in arma vocat subito, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.
Ibant aequati numero, regemque canebant:

Dives Anagnia pascit. In MSS. quibusdam *pascis*, quod merito praetulit Heinsius. Et melius est, etiam ob sequentia: *Quos*, *Amasene pater*.

Hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos. Mirum *acies* et *Faliscos Aequos*. Hi habent arces, arva, montem, locum, lucos, hoc est *habitant*. Hi habent *acies* et *Faliscos*, non convenit. Atque haec ipsa, *habent acies* et *habent Aequos Faliscos*, etiam dissimilem verbo *habent* significationem assignant. Melius erat omnia per idem coniungi, v. c. *Hi Fescenninos colles*, *aequorque Faliscum* sq.

Ibant aequati numero, *regemque canebant.* Laetos quosdam clamores ad honorem regis tollebant. Non enim de iustis carminibus cogitandum puto. *Carmina* magis de mortuis, heroibus, canebantur. Exempla collegi ad Horatii Epod. IX. Veteres autem et laetum huiusmodi clamorem et carmina *cani* dicunt. Sic et Tacit. German. 3. *Primumque* (Herculem) *omnium virorum fortium*, *ituri in proelia*, *canunt*. *Sunt illis haec quoque carmina*, *quorum relatu*, *quem barritum vocant*, *accendunt animos*. Qui locus sic explicandus est: *haec*, *proelia* scilicet, *illis quoque carmina*, carminum argumenta sunt, quorum carminum relatu sq. *Ibant aequati numero*, non multum differre vide-

Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
Quum sese e pastu referunt, et longa canoros
Dant per colla modos; sonat amnis, et Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto
Misceri putet: aeriam sed gurgite ab alto
Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,

tur ab, aequati *ad numerum* ipsorum carminum, quae erant pro musica. Explicari potest ex dicto Agesilai apud Plutarch. Apophthegmat. Lacon. Oper. Moral. T. I. pag. 841. *Ἐπιζητοῦντος δέ τινος διὰ τί Σπαρτιάται μετ' αὐλῶν ἀγωνίζονται, ἔφη· Ἵν', ὅταν πρὸς ῥυθμὸν βαίνωσιν, οἵ τε δειλοὶ καὶ οἱ ἀνδρεῖοι φανεροὶ ὦσι.*

Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto Misceri putet. Locus difficilis. Heynius haerebat in *tanto*, malebatque *tali*. Wagnerus bene de *numero* accepit, qui hic cum multitudine avium comparatur. Ego non satis intelligo *misceri*. Pro *congredi*, *pugnare*, non potest accipi. Neque enim *misceri*, per se positum, pro *pugnare* invenitur, sed alia adiiciuntur; neque *aeratae acies* pugnabant, sed ad *pugnam proficiscebantur*, nec dum sciebant ubi hostes essent. Sententia postulare videtur: *Nec quisquam putet*, nec diceres, *οὐδέ κε φαίης*, tanta agmina, ingentem illam hominum multitudinem *esse aeratas acies*, sed potius *densas nubes avium*, quae a mari ad litus urguentur. Si igitur scribamus: *Nec quisquam aeratas acies haec agmina tanta Misceri putet;* hoc est, nec diceres *haec agmina tanta esse aeratas acies* — aliquid ad meliorem intelligentiam profecimus. Pro *esse* ornatius dicitur *misceri*, haec *tanta agmina inter se mixta esse* tamquam aeratas acies. *Agmina* esse subiectum, apparet ex addito pronomine. Donatus *misceri* interpretatur *confundi*. Sic etiam melius legeretur *haec agmina tanta*. Et *volucres raucae* essent *grues*, *anseres*, quae aves in volando ordinem servant. Locus manet difficilis. Pro *ex agmine tanto*, apud Pomp. Sabinum legitur *ex nomine Lani*, isque cogitabat de *Lamo* duce Laestrygonum. Praeterquam quod hinc sententia nulla exit, prima in *Lamus*, et Graece et Latine, corripitur. Quod Virgilius, etiam in ficto nomine, IX. 334. secutus est.

Agmen agens Clausus. De *Clauso* videndus Heins. ad Ovid. Fast. IV. 305.

Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferaeque Mutuscae;
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricae horrentis rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque, et flumen Himellae;
Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia, et Hortinae classes, populique Latini;
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Saevus ubi Orion hibernis conditur undis,

Infaustum interluit Allia nomen. Servius putat Virgilium *Allia* metri caussa scripsisse, cum debuissel *Alia*; sed primam in *Alia* corripi, ut corripuit Lucanus. Hinc Niebuhrius Virgilium habel auctorem duplicatae literae, quia alioquin hoc vocabulo uti non potuisset. Ego semper eam rem non ita esse credidi. *Alia* et *Allia* diversam habet orthographiam ex diversa pronuntiatione, his literam *s* lenius, illis gravius efferentibus. Lenissime efferri non poteral ob sequens *i*. Sive scribas *Alia* sive *Allia*, prima semper producilur, ut in *alium* et *allium*. Virgilius exempla habuit, quae sequeretur, hodie deperdita. Si invenisset primam correptam, et ipse corripuisset. Metri necessitas non coegisset adeo, ut aliquid novaret. Quid impediebat, quominus scriberel: *Quosque Alia infaustum nomen secat.* In Lucani VII. 633. (si inepta illa particula sit Lucani) *Non istas habuit pugnae Pharsalia partes Quas Aliae clades* — multi scribunt *aliae.* Idque vere. Nam el quae sequuntur, ea ad cladem Alliensem accommodari non possunt, et Lucanus VII. 409, in eodem libro, dixerat: *Et damnata diu Romanis Allia fastis.* Praeterea videndum an *clades Alias* pro *Aliensis* dicalur. Non memini statim. Et *clades Cremerae* apud Florum I. 13. est incertum, nam verosimilius legitur *temere.* Caeterum *Alias* ipsum nomen, etiam si clade non fuisset infame, erat infaustum. *Alius* significal *infelix*, ut ἕτερος. *Alia* sors, fortuna, diversa ab ea, *quam optamus.* In MSS. quidem el monumentis scribitur et *Alia* el *Allia.* Vide Arntzen. ad Aurel. Vict. de Viris Illustr. 23. Ipsi veteres diverso modo scribebanl, sed primam semper producebant.

Vel quum sole novo densae torrentur aristae,
Aut Hermi campo, aut Lyciae flaventibus arvis.
Scuta sonant, pulsuque pedum conterrita tellus.

Vel quum sole novo densae torrentur aristae. Viri docti olim emendarunt *vel quam.* Heynius ingratam putat orationem *vel quam sole novo densae.* In Menag. *vel quot.* Wagnero indice, poeta, eum dicendum esset *vel quam multae sunt aristae*, orationem, ut nunc legitur, invertit. Ratio comparationis pendet e praegresso *quam*, quo spectat particula *vel*, et multitudinis notio est in epitheto *densae.* Voluit ergo Wagnerus: *vel* (quam) *densae* (sunt, torrentur) *aristae*, *quum torrentur sole novo.* Oratio semper manet intricata. Virgilius suum *fluctibus* dedit verbum, nempe *volvuntur:* dedit et *aristis*, *torrentur.* Addidit tempus in fluctibus, *ubi Orion conditur;* in aristis, *ubi novus est sol.* In fluctibus dicit *quam multi;* in aristis, *vel;* hoc est, *quam multae*, *quanta multitudo.* Sed pro *multae* posuit *densae.* Hactenus omnia sibi invicem respondent. Respondebunt et alia, si scribas: *Vel sub sole novo densae torrentur aristae.* Ita in I. Aeneid. 431. *Qualis apes — Exercet sub sole labor.* Persius Satyr. V. 54. *Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti Rugosum piper.* Sol *novus* et *recens* est sol integris etiam viribus, cuius calor semper crescit, needum, absoluto medio cursu, minuitur. *Sol novus* et *recens* plane idem est atque *ardens.* Virgilius cogitasse videtur Catulli Epithal. 354. *Namque velut densas prosternens messor aristas Sole sub ardenti flaventia demetit arva.* Vidit et *densas aristas*, et *arva flaventia.* Horatii est: *Pono sub curru nimium propinqui solis.* Caeterum ex illis *sub sole* recentiores fecerunt adiectivum *subsolare.* *Subsolaria* sunt apud illos *humana*, *terrestria*, opposita *divinis*, *coelestibus*, ut Graece *τὰ ὑπουράνια* et *ἐπουράνια.* Paullus Epist. ad Ephes. III. 10. *ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, διὰ τῆς ἐκκλησίας, ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ.* Ubi fortasse Apostolus ipse scripsit *ἐν τοῖς ὑπουρανίοις.*

Lyciae flaventibus arvis. Schraderus *Libyae*, idemque Heynio in mentem venerat. Et notior est *Lybiae* fertilitas, quam *Lyciae.* Quod *Lycia* vicina est Hermi campo, hoc pro *Lybia* facere puto. Poetae, duo exempla ita separatim per *aut — aut* ponentes, sumunt potius regiones longis intervallis remotas, quam propinquas.

Pulsuque pedum conterrita tellus. Revocavit Heynius. In aliis MSS. *tremit excita tellus*, vel *gemit*, ut quidem annotavit Heins. ad XII. 334. Mihi *conterrita tellus* minus placet. Non enim recte conveniunt: *Scuta*

Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hostis,
Curru iungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris; et quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque iuxta
Aequora; quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Volturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclydes illis
Tela: sed haec lento mos est aptare flagello.
Laevas caetra tegit; falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas quum regna teneret,
Iam senior; patriis sed non et filius arvis
Contentus, late iam tum dicione premebat
Sarrastis populos, et quae rigat aequora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent atque arva Celennae,
Et quos maliferae despectant moenia Abellae:
Teutonico ritu soliti torquere cateias;
Tegmina quis capitum raptus de subere cortex;
Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis.
Et te montosae misere in proelia Nersae,

sonant et *tellus est conterrita.* Repetendum est *et tellus sonat:* quod Wagnero, idque iure, elumbe videtur, ut verbum *sonat* adiunctum sit participio verbi fortioris *conterrita.* Virgilium dedisse arbitror: *pulsuque pedum gemit excita tellus.* **CONTERRITA** corruptum videtur ex **GEMITEXCITA.** Atque hoc plane est Homericum: *ὑπὸ ποσσὶ μέγα στοναχίζετο γαῖα.* Valerius Fl. III. 527. *Ipsa citatarum tellus pede plausa sororum Personat.* Ubi poeta loquitur de Nymphis venantibus. Scribendum est *pulsa. Plausa* diceretur de *saltantibus.* Ammian. Marcell. XXIV. p. 300. *Excita undique humus rapido turbine portabatur.* Quod de pulvere accipiendum videtur.

Quae rigat aequora Sarnus. Citavit Orosius IV. 15. *qua rigat*, in Codice Rom. et aliis.

Ufens, insignem fama et felicibus armis:
Horrida praecipue cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.
Armati terram exercent, semperque recentis
Convectare iuvat praedas, et vivere rapto.
Quin et Marruvia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comtus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum
Evaluit; neque eum iuvere in volnera cantus

Horrida praecipue cui gens. Valerius Fl. VI. 492. *Lilia per vernos lucent velut alba colores. Praecipue.* Ne quis putet *praecipue* esse tantum orationis prosae.

Spargere qui somnos cantuque manuque solebat. Frustra coniecerunt *cantuque herbisque.* Heynius vere interpretatur de *tactu manuum*, quo angues domantur et sopiuntur. Et satis quidem constat, veteribus non incognitam fuisse artem, qua, tangendo manibusque corpus mulcendo, somnum conciliamus, quem nunc Magneticum appellant.

Neque eum iuvere in volnera cantus. Unum MS. *Neque enim.* Heynius *non male* dicit. Peius tamen vulgato. *Non valuit neque eum iuvere* magis una actio sunt. Pro *volnera*, MSS. omnia habere videntur *vulnere*, etiam Med. priore lectione, cui superscriptum *ad volnera.* Heinsius et Burmannus non dixerunt, qui Codd. habeant *volnera.* Wagnerus e Palatino enotatum invenerat, et *vulnere* ultimae syllabae verbi *iuvere* deberi existimat. Equidem iam propter MSS. *vulnere* praeferrem. Sed idem magis Latine exprimit, quod quaeritur. Cantus non *iuverunt in vulnere*, quum erat vulneratus, non iuverunt in dolore et periculo. *Iuvit in vulnera* vulgo significat *ad vulnera alteri infligenda* vel *ipsi accipienda. In* cum accusativo *consilium* indicat rei, quae adiicitur, faciendae. Virgilius VII. 13. *Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.* Ubi in MS. erat *nocturno in lumine*, quam vulgarem rationem vocat Heynius, habens, credo, alterum exquisitius, ac nihil amplius. *Nocturno in lumine* significat, Circem, praeter lumen nocturnum, inter lumen no-

Somniferi, et Marsis quaesitae montibus herbae.
Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,

eturnum vel in lucida nocte, etiam urere cedrum. Bene Arusianus, seu Fronto: »*In illam rem*, pro *causa illius rei*. Virgilius VII. Aeneid. *Urit odoratam nocturna in lumina cedrum*. Sallustius Hist. Fragm. Lib. I. *Nimiumque partium decus in mercedem corruptum erat*. Idem: *Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat*." Atque haec annotatio non legitur in Frontone, quem Mains edidit, sed in MS. Biblioth. nostrae Academiae, unde Burmannus Anthol. Lat. T. I. pag. 173. in lucem protulit. Recte autem Fronto: »*in illam rem*, pro *causa illius rei*." hoc est *propter illam rem*, *ut illam rem*, *rei illius usum nanciscamur*. Burmannus non bene corrigit *pro usu illius rei*. Circe urit cedrum luminis caussa. Non ita dixeris: cantus *non iuvere* Umbronem *vulneris caussa:* esset enim, ut *vulnera acciperet*, vel *daret*. Manil. IV. 83. *Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres*. Statius III. 583. *Gladios in saeva recurvant vulnera*. Silius XIV. 548. *Non plectro ratis aut frangendae in vulnera prorae parcitur*. Alia multa exempla attulerunt viri docti, Gronovius ad Tacitum Annal. II. 17. Heinsius ad Claudian. in Rufin. I. 152. Oudendorpius in Miscell. Observ. T. V. pag. 169. Nam Oudendorpium esse, apparet ex Appnl. T. II. pag. 16.

Quaesitae montibus herbae. Alia MSS. *in montibus*. Pluralia ista, sine praepositione, maius spatium significare videntur, quam si praepositio esset adiecta. *Marsis montibus*, per omnes, qua late patent, Marsos montes.

Te liquidi flevere lacus. Tria MSS. supplent *nemorosaque Tempe*.

Virbius: insignem quem mater Aricia misit. Et pater et filius appellantur *Virbii:* contra morem aevi antiquissimi, ut animadvertit Wagnerus. Putat totam historiam sive a Virgilio sive ab aliis ante Virgilium conturbatam esse, qui *Ariciam matrem* proprie acceperint, non de *patria terra*. Hinc eos, scientes Hippolyti matrem fuisse Hippolyten Amazonem, alterum finxisse Virbium, filium Hippolyti, sub Virbii nomine ad superos reducti. Alia, praeter hanc, difficultas est in *proles pulcherrima bello* et *insignem*. Iungemus *pulcherrima bello*, *it bello*, an *insignem bello?* Probabimus *insignem* sic nude positum? Variae sunt interpretum opiniones, neque conveniunt Heynius et Wagnerus. Ego, minima mutatione, ex VIRBIVS elicui VIRIBVS. *Ibat et*

Eductum Egeriae lucis, humentia circum
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae.

Hippolyti proles pulcherrima bello, Viribus insignem quem mater Aricia misit. Ibat bello, in illo bello; vel *ad bellum*, quod satis cognitum scribendi genus. Proles *pulcherrima*, patre nimirum pulcherrimo natus. Sed pulchritudo non erat idonea satis caussa, cur mater eum ad bellum mitteret. Erat et *insignis viribus*. Mater eum misit, inscio fortasse patre, qui equos odisset. Et bellum sine equis vix gerebatur. Hos tamen filius nunc exercebat. Nomen filii non additur. Quod erat *filius Hippolyti*, hoc ipsum sufficit, ut inter bellatores Italicos memoretur *filius Hippolyti illius*, de quo tam mira narrantur. Nomen esse potuit incognitum. Ipse pater vivebat *ignobilis*, et filius in lucis Egeriae eductus circa litora, in locis solis, latebat. Et *solus* ad bellum videtur profectus, saltem sine exercitu: neque postea in Aeneide memoratur. In Aeneid. IX. 580. locus est nostro simillimus, ubi laudatur *filius Arcentis. Stabat in egregiis Arcentis filius armis, Pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Hibera, Insignis facie: genitor quem miserat Arcens Eductum matris luco, Symaethia circum Flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici.* Ibi Servius annotavit: »Stabat Arcentis filius Arcens in armis egregius: nam non congruit, ut, huius filii praetermisso nomine, bis fiat patris commemoratio.» Sed recte Heynius iunxit *genitor Arcens*. Virgilius hic non potuit scribere *Virbius*. Dixisset enim: *Ibat bello filius Hippolyti Virbius, qui Hippolytus, in Italiam traductus, Virbius appellatus est.* Adiecisset, puto, aliquid de eodem patris et filii nomine. Porro *insignis* unquam sine *re*, qua quis insignis est, invenitur. Ita Lib. IX. 579. *Insignis facie, genitor quem miserat Arcens. Vires* in bellatore praecipua commendatio. Virgilius VI. 771. *Qui iuvenes quantas ostentant, adspice, vires.* Livius VIII. 8. *Viribus ingens, bellatorque primus.*

Humentia circum Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae. Locum vidit Silius IV. 366. *quos miserat altis Egeriae genitos immitis Aricia lucis — at non dabat ultra Clotho dura lacus aramque videre Dianae.* In qua manifesta imitatione, *Ariciam* accepit pro *patria*, non pro *matre* proprie dicta. *Humentia litora* expressit per *lacus*. Ego in Virgilio pro *circum* scribendum puto *circa: Eductum Egeriae lucis: humentia circa Litora.* Circa (lucos Egeriae) sunt lacus Triviae. *Ara* non esse potest *circum litora*, sed *multae arae. Pinguis et placabilis* non ita interpretari scio, ut castigato poeta digna sint. Pro *pinguis* requiri videtur aliud substantivum cum *et ara* cohaerens: v. e. *lucus ubi et placabilis ara Dianae. Lucus et ara* in hac re con-

Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercae
Occiderit, patriasque explerit sanguine poenas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Aetheria et superas coeli venisse sub auras,
Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae.
Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae,
Ipse repertorem medicinae talis et artis
Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphae Egeriae nemorique relegat:
Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum

iungi solent. Sed *lucis* praecedit. Fortasse et *humentia litora* non satis accurate dicta sunt. Nam qui ignorat situm locorum, is *mare* intelliget, cum sint *lacus* Triviae, Dianae. Melius igitur, quam vulgatum, esset: *humentia circa Litora sunt stagni et placabilis ara Dianae. Litora*, de fluvio et lacu, poetae usurpant. Bene etiam de lacu, quae a Strabone vocatur *λίμνη πελαγίζουσα*. Gaudebo, si quis corrupta feliciore coniectura sanet. Veterum testimonia de situ regionis et cultu Dianae indicavit Rupertus ad locum l. Silii Italici. Callimachum in *Αἰτίοις* eandem rem tractavisse narrat Servius. *Pinguis et placabilis* multas habent difficultates, quas, ab Heynio motas, Wagnerus non expediisse videtur. Si peculiaris fuerit caussa, cur ara hic appelletur *pinguis*, additum aliquid oportuisset, unde illud intelligeremus. Et *placabilis* dea esse potest tam victimis humanis, quam immolatis animalibus.

Repertorem medicinae talis et artis. Lactantius Instit. I. 19. *Clamat summus poeta, eos omnes, qui inventas vitam excoluere per artes, apud inferos esse, ipsumque illum medicinae artis repertorem ad Stygias undas fulmine esse detrusum.* Ibi MSS. Lips. habent *medicinae repertorem talis et artis.* Cellarius, in iis putans latere mendum, Virgiliani versus non meminerat. Veteres autem dicebant *ars medicina.* Virgilius separavit, ut per *artem* aliquid excellentius significaret. Pulchrius putarem *medicinae talis;* pro *et artis* inveniri potuisset epitheton *fulminis.* Eratosth. Catast. 6. Aesculapium *τέχνῃ ἰατρικῇ χρώμενον, ὡς καὶ τοὺς ἤδη τεθνηκότας ἐγείρειν.* Ex Lactantio etiam confirmatur *ad undas*, pro quo MSS. plurima *in undas* ferunt.

Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam templo Triviae lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi; quod litore currum
Et iuvenem monstris pavidi effudere marinis.
Filius ardentis haud secius aequore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est:
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram
Sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignis;
Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis,

Versoque ubi nomine Virbius esset. Nomen *Hippolyti*, quod *equorum* admoneret, servari non poterat. Praeterea latere debebat.

Quod litore currum Et iuvenem monstris pavidi effudere marinis. Marklandus volebat: *quod litora circum, Heu, iuvenem*, quia *currus* non dicitur *effundi*, sed *everti*. Wagnerus accepit pro: *evertere currum et iuvenem effudere*. Virgilius semper hoc servat, ut *effundi* hominem dicat. Ita Aeneid. X. 574. equi, *motu versi, retroque ruentes Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.* Sed Marklandi coniectura novas difficultates parit. Equi enim Hippolytum *effuderunt litore, in litus*, non *effuderunt* circum litora, sed *traxerunt.* Et illud *heu* valde ieiunum est, nullique bono, nisi versui fulciendo. In vulgatis etiam hoc reprehendo. Potest aliquis *curru effundi*, et tamen salvus abire. At in Hippolyto, tam miseris modis dilacerato, plus factum est. Ipse Virgilius modo vocavit *turbatis distractum equis.* Nec laudo *currum et iuvenem.* Effuso curru, *iuvenis* etiam effunditur. Ferrem in familiari sermone *hominem et currum evertit*, non in tali caussa. Poeta versum longe meliorem facere potuisset: *quod litora circum Attoniti monstris iuvenem traxere marinis*, vel *rapuere.* Ad vulgata magis accederet: *per litora curru Quod iuvenem monstris pavidi effudere marinis.*

Haud secius. Heynius: »Etsi equi a luco parentis arcebantur.” Putabam: etsi, propter calamitatem paternam, equos nunquam tangere debuerat. Neque equos exercuit in luco parentis vel Dianae, sed in aequore campi, in bello. Dixerat Virgilius: *equi arcentur.* Ergo non licuit filio Hippolyti religionem mutare. Dixerat: *equi* effundere *currum;* iam recte sequitur: tamen filius *equos et currum* exercet.

Tam magis illa fremens. Primo miror *illa fremens.* Debuerat, credo,

Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.
At levem clipeum sublatis cornibus Io

illam frementem, quia praecedit *Chimaeram*. Nunc ad *galea* erit referendum, quod vocabulum et per alia hinc seiunctum est, et *triplici iuba crinita* dicitur, quae cum *fremens et effera flammis* non conveniunt. Ipse Virgilius mox de Camilla: *non illa colo* sq. Deinde hic modestiam desidero, quam Seneca et alii saepe in Virgilio laudavere, quando, ne nimium sonare videretur, *putas*, *credas* in comparationibus utitur. *Putes*, *dicas Chimaeram magis fremere*, *quo magis pugnae crudescunt*, ferrem. Quanto modestius Statius, caeterum satis audax, Theb. X. 658. *ipsa insanire videtur Sphynx*, *galeae custos*, *visoque animata cruore Emicat effigies*. Ammianus Marcellin. XVI. pag. 76. *Texti circumdedere dracones*, *velut ira perciti*, *sibilantes*.

At levem clipeum sublatis cornibus Io. Cerda: »Levis clipeus, in quo levis est vacca, sine cornibus, quae inde sublata, id est, *ablata*." Heynius, ea interpretatione merito reiecta, *Io sublatis cornibus* ornate scriptum arbitratur pro *Io cornuta*. Quod nec ipsum esse verum puto. Vacca *sublatis cornibus* non aliam significat, nisi quae cornua irate et hostiliter tollit, vel, quod Cerda volebat. Hoc si Virgilius voluisset, vitasset ambiguum, scribendo *demtis cornibus*, *teneris*, vel simile. Quamquam ne vel sic quidem bonam praeberet sententiam. *Cornua sublata* sunt minantium. Horatius Epod. VI. *Cave, cave*. *namque in malos asperrimus Parata tollo cornua*. *Cervi tollentes cornua* apud Claudianum de Laud. Stilich. II. 353. sunt alta habentes cornua, qualia vaccis non tribuuntur. Et cur Io cornua tolleret, et vacca, et timida, cui additus erat custos Argus? Divide vocabulum *sublatis*, et habebis elegantiam vere poeticam: *At levem clipeum sub latis cornibus Io Auro insignibat*. Io aurea insignibat clipeum, non amplius virgo, sed sub cornibus, iam saetis obsita, iam bos. Io *sub cornibus*, *in cornibus*, *cornibus instructa*, *cornuta*. Virgilius Georg. III. 116. *sub armis*. Talia sunt *sub arcu*, *sub hasta*. Conf. Salmasium ad Scriptor. Augustos T. II. pag. 344. et Burmannum ad Ovidium Metam. VIII. 313. Sabinus, apud A. Gellium Noct. Att. VII. 4. explicat *mancipia*, *iure belli capta*, *coronis induta venire*, et idcirco, *sub corona* venire. Virgilius ante oculos habuisse videtur versus Moschi Eidyll. II. 43. quod interpretes non effugit. Ἐν τῷ δαίδαλα πολλὰ τετεύχατο μαρμαίροντα reddit *argumentum ingens*, *insignibat levem clipeum: χρυσοῖο τετυγμένη Ἰναχὶς Ἰὼ*, *Io auro*: ex Ἰναχὶς pulchre addidit *patrem* cum *urna*. Εἰσέτι πόρτις ἐοῦσα, φυὴν δ' οὐκ εἶχε γυναικὸς ita mutavit, ut, quam

Auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densentur campis, Argivaque pubes,
Auruncaeque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranae acies, et picti scuta Labici:
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere collis,
Circaeumque iugum; quis Iupiter Anxurus arvis
Praesidet, et viridi gaudens Feronia luco;
Qua Saturae iacet atra palus, gelidusque per imas

Moschus dixit etiam esse bovem uec dum recepisse formam mulieris, Virgilius appellaverit Io, sed non amplius virginem. *Sub latis cornibus* est Moschi figura *βοὸς εὐκεράοιο*. Emendavi Virgilium, vocabulo diviso. Similes errores in aliis libris tollendi supersunt multi. Venit in mentem Schol. Iuvenal. Satyr. VI. 51. *Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae, Quarum non timuit pater oscula.* Schol. *quia e terre muntur mulieres.* Scribe: *quia et irrumantur mulieres.*

Ium saetis obsita, iam bos. Statius Theb. VI. 276. *Io post tergum: iam prona, dolorque parentis, Spectat inocciduis stellatum visibus Argum.* Appul. I. Metam. p. 95. *Inter medias frontes lapideus Actaeon simulacrum, iam in cervum ferinus.* Lactant. Instit. I. 11. *Io, Inachi filiam, quae, ut iram Iunonis effugeret, iam saetis obsita, iam bos, tranasse dicitur mare.* In alia re Ovid. Metam. XIV. 166. *Talia quaerenti iam non hic fusus amictu, Iam suus, Fatur Achaemenides.*

Caelataque amnem fundens pater Inachus urna. Alia in clipeo etiam erant caelata, et Io quidem ex auro. Atque ita in operibus iisdem varia memorantur metalla, seu colores. Scribendum puto: *Aerataque amnem fundens pater Inachus urna.*

Rutulosque exercent vomere collis. Iam supra *Rutulos* memoravit. Wagnerus ita explicat, ut primum nominibus ipsis populorum narratis, deinde loca, quae populi incolunt, narret. Negligenter tamen dictum foret, credo: *Rutuli, qui Rutulos colles habent.* Hic potius scriberem: *durosque exercent vomere colles*, ut referatur ad eosdem, qui circa Numicium habitant.

Quaerit iter vallis atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentis aere catervas,
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervae
Femineas assueta manus; sed proelia virgo
Dura pati, cursuque pedum praevertere ventos.
Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeris nec tingueret aequore plantas.

Florentis aere catervas. Coniecturas *aetate*, vel *fulgentes*, *flaventes*, Heynius et Wagnerus non probant. Omnia, quae clarissime nitent, *florere*, *virere* dicuntur. Graecis ἄνθος πυρὸς, ἀκμή, φλὸξ ἐμαράνθη, *flos flammae* apud Lucretium. Vide Scaliger. ad Manilium pag. 471. et Colvium ad Appul. Metam. VIII. pag. 550.

Illa vel intactae segetis per summa volaret Gramina. Wakef. corrigit *infractae*. Heynius ingeniosum esse concedit, quia Homerus dixerat in simili comparatione οὐδὲ κατέκλων. Ego putabam Virgilium hoc in sequenti versu expressisse, nec *teneras cursu laesisset aristas*. Sed recte idem Heynius animadvertit *infractae segetis* esse *valde fractae*. Mallem tamen pro *intactae* aliud epitheton. Nunc enim est: volaret per summa gramina segetis, nec segetem tangeret, nec segetem laederet. Verba *nec laesisset aristas* indicant, nihil praecessisse, ex quo appareat, segetes *non laesas* fuisse, quamvis Camilla pervolaret. Et talia sunt poetarum exempla, ab Heynio laudata. In nullo simile tautologum invenitur. Ovidius: *Et segetis canae stantes percurrere aristas.* Claudianus: *Segetemque levi percurrere motu — nec proterat ungula culmos.* Statius: *Raraque non fracto vestigia pulvere pendent.* Calpurnius: *Tangeret ut faciles, sed non curvaret aristas.* Quid Virgilius pro VELINTACTAE scripserit, dictu difficile. Scribere potuit ETLACTENTIS. *Illa et lactentis segetis per summa volaret Gramina.* Seges *lactens*, ut Georgicis *frumenta lactentia*, de quo vide Burmannum ad Ovidii Fast. I. 351. Virgilius sumsit exemplum non maturae segetis, sed *in herba crescentis*, *tenerae*, quae imago cogitationem celeritatis auget, ut nec *tenerae* aristae laedantur. Cerda hic annotavit: *pessimo illi, quibus censendi ius est, amputant a Virgilio hos quatuor versus.*

Illam omnis tectis agrisque effusa iuventus
Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem,
Attonitis inhians animis: ut regius ostro
Velet honos levis humeros, ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem praefixa cuspide myrtum.

Turbaque miratur matrum et prospectat euntem. Nemesianus Cyneg. 277. *omnis euntem Nereidum mirata suo super aequore turba.*

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER OCTAVUS.



Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu;
Utque acris concussit equos, utque impulit arma:
Extemplo turbati animi; simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, saevitque iuventus
Effera. Ductores primi Messapus et Ufens,
Contemtorque deum Mezentius, undique cogunt
Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et, Latio consistere Teucros,
Advectum Aenean classi, victosque Penatis
Inferre, et fatis regem se dicere posci,
Edoceat, *multasque viro se adiungere gentis*

Undique cogunt Auxilia. Supra hi ductores memorantur, sed cum suis quisque copiis. Hic cogunt auxilia ex Latio. Ergo nunc aliquid novi narratur.

Multasque viro se adiungere gentis. Waguerus Quaest. XL. 2. haec scripsit: »At nullam dum societatem inierat Aeneas in Italia. Quare etiam propterea vituperandus poeta, quod

Dardanio, et late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his coeptis, quem, si Fortuna sequatur,
Eventum pugnae cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium. Quae Laomedontius heros

eo potissimum loco mentionem de legatione ad Diomedem missa iniicit; neque enim tum necesse videri Latinis poterat auxilia quaerere adversus hostem non ita validum. At omnis haec res a poeta inventa, ut materies inde splendidae orationis lib. XI. suppeditaretur." Wagnerus hoc retulit ad alia exempla *Virgilii dormitantis*. Nec equidem scio, quomodo defendam; nec credere possum, Virgilium adeo incogitantem fuisse, ut ea hic narraret, quae omnem caeterarum rerum veritatem plane everterent. Aeneas vix in litus Laurens appulit. Nullum omnino socium habet. Statim dicitur propter belli metum, et talia per Latium geri videns, ingentibus curis fuisse agitatus. In somnio via prima salutis ei ostenditur, *societas* cum Euandro. An Virgilius, qui haec statim subiungat, hic scribere potuit *multas gentes se Aeneae adiungere?* Nec profecto legati ista fingerent, ad metum Diomedis augendum: magis enim a foedere contra Aenean averterent. Neque postea in oratione ad Diomedem hoc argumento usi sunt. Quare potius ista ab aliena manu adiecta reor. Ostendunt et sequentia *late Latio increbrescere nomen.* Aeneas paucos dies in Laurenti litore fuerat, et iam nomen late per Latium increbuerat! Ipse Euander, tam vicinus, nihil de Aenea cognoverat. Et, expulsis spuriis, oratio aptius connectitur: *qui edoceat venisse Aenean, dicere se regem posci Latinorum. Quid Aeneas his coeptis struat, Diomedem non posse latere.* Dicat aliquis, *Latium* hic tantum dici *regnum Latini.* Obstant *multae gentes*, et *talia per Latium.*

Quem, si Fortuna sequatur, Eventum pugnae, cupiat. Eventus pugnae vel *felix* est vel *infelix*, vel, si neutrum, *incertus*, dubius. Caesar B. Gall. VII. 49. *Eventum pugnae exspectabat.* Eventum pugnae felicem in sua quisque caussa cupit. Dubium igitur non esse poterat, *quem eventum pugnae* Aeneas cuperet, neque erat, cur cuperet felicem, si Fortuna sequeretur. Legendum: *quid, si Fortuna sequatur Eventum pugnae, cupiat.* Quid struat, qui in Italiam venerit, quid cupiat, si in bello vicerit, non est obscurum. *Eventus pugnae*, pro *fructus pugnae, praemium*, non dicitur, credo.

Talia per Latium. Quae Laomedontius heros Cuncta videns. Melius, puto, interpungetur: *Talia per Latium quae Laomedontius he-*

Cuncta videns magno curarum fluctuat aestu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunae,
Omnia pervolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat: et terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Quum pater in ripa gelidique sub aetheris axe

ros Cuncta videns. Sic Aeneid. X. 298. *quae talia postquam effatus.* VII. 21. *Quae ne monstra pii paterentur talia Troes.* VI. 888. *Quae postquam Anchises natum per singula duxit. Talia per Latium,* scilicet *gerebantur*, duram esse ellipsin iudico. Mitius est: *talia per Latium geri videns.* Caeterum Virgilius hinc melius novum librum incepisset. Apparatus bellici inimicorum in superiore libro absoluti erant.

Perque omnia versat. Interpretatur Silius VII. 141. *simul omnia versat, Miscetque exacuens varia ad conamina mentem.* Silius ipsam hanc comparationem imitatur, quod iam ab aliis est notatum. Adde Ruhnkenium Epist. Critica II. pag. 219, qui loca similia Dionis Chrysostomi et Aristaeneti contulit.

Alituum pecudumque genus. Comment. Cruquii ad Horat. Carm. I. 1. » Polymneia. Haec etiam una est Musarum, dicta, quasi multae memoriae: et est epenthesis; sicut in illo Virgilii: *Alituum pecudumque genus Polymneia cantat.*" Quae Burmannus ita affert, ut olim hunc versum in Virgilio exstitisse credere videatur. Sed Scholion Commentatoris, ut saepe accidit, ex duobus in unum conflatum est. Ad epenthesin tantum pertinent *alituum pecudumque genus.* Alia ad *Polymneia.* Cuius etiam exemplum e Virgilio laudavit. Fertur enim Epigramma Virgilii de nominibus ac muneribus Musarum, in quo ultimus hic versus est de *Polymneia* vel *Polyhymnia: Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.* Sed illi Commentatores varios de eodem argumento habebant lusus. Ex tali lusu est *Polymneia cantat.* Difficile est, Grammaticis, ubi versum citant Virgilianum, qui nunc non legitur, habere fidem. Saepe ex memoria citabant, interdum ex poetis aequalibus, qui *Virgilii*, in scholis poeticis, appellabantur, interdum etiam ipsi versus fingebant. Quod in Virgilianis hodie non apparet, et tamen

Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondis
Visus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crinis umbrosa tegebat arundo;
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
O sate gente deum, Troianam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, aeternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus; certi, ne absiste, Penates;
Neu belli terrere minis. Tumor omnis et irae
Concesscre deum.

Virgilianum erat, est *mis*, apud Quintilianum, de quo Heinsius ad XI. 406. (quamquam alii in Quintiliano malint legere *mi*, de qua re vide Burmannum ad Propert. II. XXII. 21.) et *plena deo* apud Senecam Suasor. pag. 28. unde Faber conficiebat opera Virgilii ad nos non integra pervenisse. Si Schol. Statii Theb. II. 315. citavit: *Inclusitque dolor lacrimas;* si Schol. Horatii Satyr. II. IV. 42. citavit: *pastus siliquis et arundine longa;* hi memoria decepti sunt, cui varii variorum poetarum versus inhaerebant, unde saepe unum ex duobus vel tribus conflabant.

Seramque dedit per membra quietem. Vulgaris formula est: *Seraeque dedit sua membra quieti.* Attius in Bruto: *Cum iam quieti corpus nocturno impetu Dedi, sopore placans artus languidos; Visus est in somnis pastor ad me appellere.* Qualia exempla Virgilius tam saepe ante oculos habere solet. Horatius Satyr. II. II. 80. *sopori membra dedit.* Ovid. Metam. VI. 489. *Hinc placido dantur sua corpora somno.* Ubi plura Burmannus. Heynius *dare quietem per membra* ea ratione explicat, qua *somnus diditur per corpus.* Heynius se hoc monuisse dicit, quia plerique verba tenent, caussas sermonis ignorant. Egregium omnibus interpretibus praeceptum. Praesens tamen exemplum mihi non ita expeditum videtur. *Didere* est *dividere, spargere.* Quamquam non legi *somnus per corpus diditur,* ratio tamen non repugnat. Sed, si rectum sit *diditur*, non sequitur et rectum esse *somnus datur per corpus.*

Concessere deum. Servius: »Mire quidam conclusit hunc versum, dicens: *concessere deum profugis nova moenia Teucris.*"

Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit;
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis

Iamque tibi. Etiam Heynius omnia, quae notavi, pro spuriis habet. Hunc autem versum etiam legit Silius VIII. 179. *Ne falsa putes haec fingere somnum.* Burmannus iam vidit.

Litoreis inventa sub ilicibus sus. Augurium iisdem verbis compositum iam reperitur Aen. III. 390, 391, 392, 393. Wagnerus putat in vaticinio minime reprehendendam esse eorundem versuum iterationem. Credam, si v. e. sit oraculum ab Apolline editum, et ab eodem homine, inprimis a nuntio, relatum. Helenus in lib. III. ita quidem proponit, ut eum ex Apolline cognovisse intelligamus, ipsa tamen verba sunt Heleni. Tibi *dicam* signa, inquit, *tu condita mente teneto.* Nunc Tiberis idem vaticinium repetit, et ne syllabam quidem mutat. Aeneas mox vs. 81. suem invenit: *Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum, Candida per silvam cum fetu concolor albo Procubuit, viridique in litore conspicitur sus. Quam piue Aeneas tibi enim, tibi, maxima Iuno, Mactat.* Vides, quam Virgilius eandem rem, libro III. narratam, oratione variata exposuerit. Aeneas, viso hoc monstro, *miratur.* Si Tiberis ante paucas horas praedixisset, adeo *mirabile* Aeneae videri non poterat. Nunc *mirabile* videbatur, quia statim vaticinii, ab Heleno proditi, non meminerat. Sed memoriam repetens, statim facit, quod Helenus monuerat III. 435. *Unum illud tibi, nate dea, praeque omnibus unum Praedicam — Iunonis magnae primum prece numen adora; Iunoni cane vota libens, dominamque potentem Supplicibus supera donis.* De Iunone placanda admonuit Tiberinus, et praeceptum Heleni confirmavit. Ergo suem, quae finem laborum denuntiabat, Iunoni, omnium laborum caussae, mactat. Virgilius non dicit Aenean meminisse Heleni. Sed lectores intelligunt. Et mira vis est pietatis in ipsa celeritate. Videt monstrum, miratur, mactat Iunoni.

Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum. Idem iam dixerat: *Hic tibi certa domus, certi, ne absiste, Penates.* Et versus aberat a Mediceo et Gudiano. Omitto repetita, *certa laborum*, *certi Penates*, *haud incerta cano.* Damnant versum quoque Brunckius et Schraderus.

Ex quo ter denis. Et hos duos versus Heynius malebat sublatos. Sunt,

Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.

ait, molesti, et a Tiberini persona et consilio ac tempore alieni. *Ex quo* alii interpretantur *ex quo portento, secundum quod portentum:* alii, *ex quo tempore, quum:* alii, *ubi.* Wagnerus: »*triginta annis* post conditum Lavinium Ascanius novam fundabit urbem, ab hac ipsa sue nomen habituram." Sed quid *Alba condita* ad *labores* Aeneae? Requies ipsi Aeneae praedicitur. Requiem invenit condito Lavinio. Albam non vidit. Iam *ex quo*, per Latinitatem ita accipere oportet, ut Aeneas requiem habiturus esset condito Lavinio, sed postquam etiam condita esset Alba. Ergo, si videre Albam debuisset, requiem nondum triginta annis visurus erat. Sunt autem: *Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis* cet. ficti versus ex Aeneid. I. 269. Ascanius — *Triginta magnos volvendis mensibus orbes Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini Transferet, et longam multa vi muniet Albam.* Ascanius triginta annos regnabit, et interea Albam condet. Itaque versus istos ex libro I. noster poeta non intellexit, eorumque sententiam ita expressit, ut, quid voluerit, vix ipse scivisse videatur. Virgilius, credo, scripsisset: *Exin ter denis* sq. Atque hic etiam reprehendo iteratum, *locus urbis* Lavinii, Ascanius condet *urbem*, et languide appositum *Albam.* Sensit et hoc Heynius, qui praeferebat scripturam MS. Goth. *clari condet cognominis urbem.* Sed *urbem* praecedit. Meliorem facere potuisset versum hunc: *Exin ter denos orbes volventibus annis Ascanius clari condet cognominis urbem.*

Ascanius clari condet cognominis Albam. Sus erat *alba*, hinc urbs *Alba.* Quod *album* est, est *clarum*, ergo *Alba* habet cognomen *clarum*, *albi* nempe coloris, qui erat in sue. Sed in ipsa quidem *sue* nihil erat *nobile;* et ridiculae sunt etymologiae. Melius Propert. IV. 1. *Et stetit Alba potens albae suis omine dicta.*

Nunc qua ratione quod instat. Wagnerus putat orationem, *Tumor omnis et ira Concessere deum. Nunc qua ratione* sq. inter se non bene esse aptam, et requiri *sed* pro *nunc.* Si requireretur, non dubitarem reponere. At non requiritur. Nexus orationis hic est: *Hic est certa domus. Ne timeas apparatus bellicos hostium. Dei, Iuno inprimis, sunt placati. Dicam, quid tibi nunc agendum sit, quid porro faciendum, ut instantia feliciter geras. Docebo qua ratione nunc expedias:* non, *Nunc docebo.* Brevius potuisset: *Nunc te confer ad regem Euandrum.*

Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, et posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum:
Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina;
Hos castris adhibe socios, et foedera iunge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea; primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem

Ipse ego te ripis et recto flumine ducam. Interpretes hic laborant. Servius: »Non ad naturam alvei referendum est: nam ait, *et longos superant flexus:* sed recto fluminis itinere, quia non sunt erraturi. Est et alia expositio, ut *recto flumine*, edomito, frenato et in tranquillitatem redacto intelligamus." Cerda coniicit *tecto.* Ita etiam erat in Cod. Menag. Schraderus: *silvis et tecto flumine.* Quod elegans Heynio visum, qui *ripis* parum commode dictum putat pro *secundum*, *intra ripas*, *alveo.* Neque ego assequor, quid hic significet *te ducam ripis.* Tiberinus Aeneau ducturus erat *recto flumine*, id est recta via per medium flumen, vitatis ripis flexuosis. Apposite Lucanus V. 416. *Nec maris amfractus, lustrandaque litora nobis, Sed recti fluctus, soloque Aquilone secandi.* Atque eadem fere est interpretatio Serviana. Sed ripae Tiberis non erant *rectae*, non carebant *flexu*, sic uti Claudianus in Eutrop. II. 267. de Marsya dicit, cuius ripas Lucanus III. 207. vocat *rectas.* Virgilius vs. 95. dicit Troianos et Aenean *longos flexus* in Tiberi *superasse*, hoc est, *praetervectos esse*, quod fieri poterat, si Tiberinus eos *recto* flumine duceret: sed eos recto flumine et simul ripis ducere non poterat. Sic enim Aeneas et ripas legere et per medium alveum vehi debuit. Vitiosum est *ripis.* Quid substitui possit, non video. Bonus tamen esset versus: *Ipse ego labentem recto te flumine ducam:* Si *ripis* non est vitiosum, pro *recto* legi poterit *certo.* Ducam te per ripas, *certo tamen flumine*, tuto, ac navigabili. Ita Valer. Flaccus VIII. 190. *Sequemur Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo Perferat.*

Iunoni fer rite preces. De formula *preces ferre*, vide Burmannum ad Valerium Flaccum IV. 547.

Mihi victor honorem Persolves. Imitatur Silius IV. 736. *Nobis per-*

Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem,
Caeruleus Thybris, coelo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit.

solves meritos securus honores. Namque ego sum, celsis quem cinctum montibus ambit Tmolo missa manus, stagnis Thrasymenus opacis.

Pinguia culta secantem. In Cod. Moret. *ruentem.* Corruptum puto ex *rigantem.* Tiberis culta non *ruit*, nisi cum *diluviem meditatur agris*, ut dicit Horatius Carm. IV. 14.

Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit. Omitto interpretationes veterum et recentiorum. Burmannus et Heynius rem melius gessere. Explicant: *Circa has easdem oras surget aliquando magna Urbs Roma, Exit*, pro exibit, *caput urbium, mihi domus*, quatenus in ea consecrabor et tamquam deus colar. Ego primum contendo hoc vaticinium convenire potius Aeneae; quum Tiberinus omnia dicebat ad Aenean confirmandum eumque futurae gloriae erigendum. Quod ad ripas fluvii, unde *domus Tiberino exiret*, hoc nihil ad Aenean, nisi quatenus auctor Romae haberi posset. Sed hinc falsa sententia prodit, haec: *Victor mihi persolves honorem. Ego sum Tiberinus. Tu mihi condes urbem Romam; is erit honos, quem mihi persolves.* Deinde *Roma* non potest dici *domus Tiberini*, neque in tot aeternae urbis praeconiis, quorum plena sunt carmina, unquam dicta est. Burmannus rem ita absolvit: » *Roma domus fluvii*, vide Heinsium ad Horatium I. Od. VII. *domus Albuneae resonantis*, ex Pindaro." Quid D. Heinsius ad Horatium? »*Pindarus urbes et locos, fontibus et fluviis cognomines, quales in Sicilia et Italia olim fere urbes fuerunt, οἰκήματα ποταμῶν vocavit.* Locus Pindari est Eid. β Olymp. *Etiam vicinas fluviis urbes domos fluviorum vocabant. Ita Ausonius urbem Alexandriam* domum fluminis *appellat, propter Nilum.*" Heinsius Pindarum longe aliter interpretatur, atque Burmannus putat. Sequitur Aristarchum. Sed verior erat interpretatio, quam subiicit, *vicinas fluviis urbes* appellari *domos fluviorum.* Atque ita Pindarica: καμόντες οἳ πολλὰ θυμῷ Ἱερὸν ἔσχον οἴκημα Ποταμοῦ, erant reddenda: *qui consederunt ad sacram fluvii domum*, ad locum, ubi Acragas habitabat, ad fluvium Acragantem. *Urbs* adeo est *domus fluvii*, eoque verius ita appellari potest, quia sunt eiusdem nominis, et *Acragas*, in forma pulchri iuvenis, praecipuis honoribus colebatur. Aeneas et Troiani καμόντες πολλὰ θυμῷ Ἱερὸν ἔσχον οἴκημα Θύμβριδος. Romulus et Remus postea etiam *tenuerunt domum*

Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto,
Ima petens: nox Aenean somnusque reliquit.

Tibridis, quia Roma ibi, ubi habitabat Tiberis, erat condita. Atque eatenus *Roma* et *domus Tiberis* sunt eaedem. Sed ulterius haec non sunt proferenda, nedum ut dicatur, *nova domus* Tiberi *nascitur*, *exit*, *quae domus erit caput mundi*. Roma eo nomine non fuit domus Tiberis. *Domus* fluviorum sunt *antrum*, *fons*, ipsa *flumina*. Vide Burmannum ad Claudianum de Probo et Olybr. 213. Tiberis *domum* babuit ante Lavinium et Romam. Alia itarum est dicendi figura, quando per *fluvium*, *urbem potentem*, caput regionis, *ad fluvium sitam*, significamus. Ita de Babylone Euphrates, de Nineve Tigris, et alia inveniuntur. Ovidius Metam. II. 259. *Cuique fuit rerum promissa potentia Thybrim.* Ab ista figura rursus separandum illud, quando Tiberis a Graecis nominatur, ut a Dionysio Perieg. 353. *ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων*, *Hesperidum regnator aquarum* apud Virgilium. Nullam igitur video probabilem caussam, cur Tiberinus dixisset: *Hic, ad oras meas, ad flumen meum, ubi habito, magna olim mihi condetur domus, terrarum caput*, nisi Romani Tiberim habuissent pro maximo omnium deo, *urbis auctore* et custode unico, cui templa et aras prae caeteris deis exstruxissent splendidissimas. Tam honoratus Tiberis non erat. De templis et aris nihil fere memoriae proditum; et sera est inscriptio apud Fabrettum pag. 432. *Priscus*, evocatus Augusti, *primus omnium aram Tiberino posuit.* Servius quidem ad Aeneid. VIII. 63. narrat Tiberim in sacris *serram* appellari; et ad VIII. 72. invocari in precibus: *Adesto, Tyberine, cum tuis undis:* sed haec nihil ad tantos honores, de quibus hic agitur. Quare locum Virgilii sic esse emendandum arbitror: *Hic tibi magna domus, celsum hic caput urbibus exit.* Hic, ubi nunc stas, in ripis meis, tibi nascetur *magna gens*, *Iulia*, *tua domus*, *ex te orta*. Ipse Virgilius hanc interpretationem mire confirmat Aeneidos IX. 448. *Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.* Recte cum his iungitur *caput urbium*, quia Roma sub Augusto praecipue ita nominabatur: *tibi exit magna domus*, *urbibus exit caput;* *magna* domus, *celsum* caput, suo quodque substantivum epitheto. Et si dicam *urbibus*, melius intelligitur universale, quam *celsis urbibus*. Roma est domina *terrarum*, *gentium*, *urbium*, non *magnarum*, *celsarum*, sed simpliciter, hoc est *omnium*.

Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto. Non est necessarium nomen loquentis. Tiberinus vs. 31. satis perspicue indicatus est. Et Virgilius, nomen loquentis ante vel post *dixit* unsquam repetiit, quamquam

Surgit, et, aetherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustinet, ac talis effundit ad aethera voces:
Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus unde est,
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Aenean, et tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus, miserantem incommoda nostra,
Fonte tenet, quocumque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.

illo *dixit* fortasse tricies hoc modo utatur, ut sermonem esse finitum significet. Praeterea minus pulchre *Fluvius* (etiamsi prima vocabuli litera sit maiuscula) se condit *lacu*, ille inprimis, quem supra cognovimus Tiberinum, se *attollere fluvio amoeno.* Pro *fluvius*, in MS. Gudiano a manu prima erat *fluvio*, unde Heinsius *lacu et fluvio*, Heumann. *fluvii*. Verum censeo: *Dixit*, *deinde lacus flavo se condidit alveo.* Quam perpetuum ac sollemne Tibridis epitheton sit *flavus*, ostendere nihil attinet. Exempla sunt apud interpretes ad Horatii Carm. I. 2. *Tibridis alveus* si similibus illustranda putes, vide Heinsium ad Ovidii Metam. XV. 624. Fast. V. 637. *Tibris arundiferum medio caput extulit alveo.* Ipse Virgilius: *Nilus se condidit alveo.*

Aetherii spectans orientia Solis Lumina. Non eleganter lectum *aetherii*, quia sequitur *ad aethera.* Wakefieldi coniectura *aerii*, non multum iuvat. Vitiosum puto *ad aethera.* Caeterum hinc non probari potest, quod Burmannus ad Valerii Flacci V. 333. volebat, veteres *somnia expianda narrare Soli.* Nam erant huiusmodi somnia mali ominis, tristia; hoc somnium Aeneae, laetum. Itaque preces fert Nymphis et Tibridi, conversus ad orientem, et manu haustam ex fluvio aquam tenet, tamquam donum numinibus aquaticis, postquam se prius abluerat.

Sustinet. Bene Wagnerus revocavit pro *sustulit*.

Talis effundit ad aethera voces. Precatur Nymphas et Tiberim. Hi non erant in coelo, sed sub aquis. Pro ADAETHERA scribendum arbitror PECTORE. Aeneid. V. 482. *Ille super talis effundit pectore voces.*

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum. Fronto pag. 267. servavit verba M. Aurelii: *Tiber amnis dominus et fluentium circa regnator aquarum;* et Ennii: *Postquam consisti se fluvius qui omnium princeps.* Atque huc pertinent elegantis-

Adsis o tantum, et propius tua numina firmes.
Sic memorat, geminasque legit de classe biremis,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Iuno,
Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, et tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.

simi versus Dionysii Periegetae 351, quos etiam admiratur D'Orvillius in Siculis I. pag. 201. *ἧς διὰ μέσσης Θύμβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει, Θύμβρις ἐϋῤῥείτης, ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων, Θύμβρις, ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην, Ῥώμην τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων, Μητέρα πασάων πολέων, ἀφνειὸν ἕδεθλον.* *Regnator* illustrat Burmannus ad Valerii Flacci II. 621.

Propius tua numina firmes. Silius IV. 127. *Adsis o firmesque tuae, pater, alitis omen.* Et Palmerius in Virgilio *omina* corrigebat.

Procubuit, viridique in litore conspicitur sus. Facilius: *Conspicitur, viridique in litore procubuit sus.* Hoc est, quod Helenus l. III. 389 sq. dixerat: *Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus — iacebit.*

Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis. Mitis, placidus, de fluviis: vide Oudendorpium ad Lucani I. 403. Virgilium cogitabat Appul. Metam. I. 61. *lenis fluvius, in speciem placidae paludis ignavus ibat.* Hegesippus de Excidio Hieros. III. 26. *Frigidior placidae paludis aequora, eo ipso, quod non in stagni morem sternitur aqua.*

Remo ut luctamen abesset. Mallem cum Heynio *et. Remis luctari* est apud Ovidium IV. Trist. V. 19.

Iter inceptum celerant rumore secundo. Bene sic edidit Wagnerus. *Rumone* videtur esse Grammatici, doctrinam ostentantis. Heynius iungebat *labitur rumore secundo.* Quod *rumor* derivat a *ruendo*, non sequor. Est a sono fictum vocabulum, eiusdem ori-

Labitur uncta vadis abies; mirantur et undae,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum fluvio, pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridisque secant placido aequore silvas.

ginis atque *Rumon*, *Rhoma*, *Rhenus*, *ruo*, *ῥέω*. Radix est vocalis, *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, quae significant *fluidum*. Litera *r* praefigitur ad motum fluidi indicandum. *Rumorem alii* interpretantur *motum aquae*, alii *clamorem laetum*, *celeusma*. Heynius pro illo citat Ausonium Mosellae 22. *Interlabentis tacito rumore Mosellae.* Sed hinc non plus efficitur, quam Ausonium ita accepisse. Virgilius imitatur Pacuvium, cuius versus reperiuntur apud Ciceronem de Divinat. I. 16. *Inter se strepere aperteque artem obterere extispicum; Solvere imperat secundo rumore, adversaque avi.* Ibi *rumore secundo* non aliter accipi potest, quam de *clamore laeto solventium*, nam et opposita sunt *clamor hominum laetus* et *adversa avis*, et *rumor aquae* non auditur, nisi cum iam navigant. Igitur Virgilius, imitatus Pacuvium, *rumore secundo* eadem significatione posuit. Versum Pacuvii facies leniorem, scribendo: *Inter se strepere aperteque deterere artem extispicum.*

Variisque teguntur Arboribus. Wagnerus haec satis otiosa putat. Et sunt. Nam qui navigant *tecti arboribus*, hi *silvas secant*, per silvas transeunt. Fortasse minuetur illud otiosum, si, quod sequitur, *viridesque secant placido aequore silvas*, cum Servio interpretemur: *adeo perspicuam fuisse fluminis naturam*, *ut in eo apparerent imagines nemorum*, *quas Troianae naves secabant.* Servius laudat Terentianum: *Natura sic est fluminis*, *Ut obvias imagines Nemorum receptet in suam Lucem.* Ita quidem Broukhusius legebat pro *in lucem suam.* Santenius in Praefat. ad Terent. Maurum p. VII. *nemorum* delet, quae vox a nonnullis editionibus Servii abest. Ita prodit versus: *Receptet in lucem suam.* Scaliger in Anthol. Burm. T. I. p. 257. tractavit illa Maecenatis apud Senecam: *Amne silvisque ripa comantibus*, *vide ut alveum lintribus arant*, *versosque vado remittunt hortos.* Putat Maecenatem voluisse dicere, quod Virgilius *viridesque secant placido aequore silvas*, et legit *remigant.* Vere, credo, vir magnus correxit *remigant.* Praeterea scribendum videtur: *amne silvis ripaque comantibus.* Silvae in amne et in ripa comant. Navitae arant alveum lintribus, et remigant hortos versos vado. Imagines hortorum, quae ver-

Sol medium coeli conscenderat igneus orbem:
Quum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident; quae nunc Romana potentia coelo
Aequavit; tum res inopes Euandrus habebat.
Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadae magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes iuvenum primi, pauperque senatus,
Tura dabant; tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas videre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, et tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse;

sae, *in caput*, in vado apparent, versa figura redduntur, remigant, *remis vehuntur per imagines versas hortorum.* Verba Maecenatis leguntur in Senecae Epist. 114. Sed pro *versosque*, in editione quidem Lipsii, *versoque.* Si Virgilius scripsisset: *versasque secant placido aequore silvas*, locus esset magis perspicuus, et nemo ita interpretari dubitaret, ut Servius interpretatus est. *Remigant versos hortos* et *secant versas silvas*, idem est: sed *remigant* insolentius. Ad talem interpretationem etiam ducunt verba *placido aequore.* Virgilius Eclog. III. 25. *nuper me in litore vidi*, *Cum placidum ventis staret mare.* VIRIDIS et VERSAS non multum differunt. *Virides* silvae, de reddita silvarum ex aquis imagine, vix dici possunt. Sententia igitur loci haec erit: *Superant longos flexus riparum*, *arboribus florentium*, *quarum imago in speculo aquae redditur.*

Ac rara domorum Tecta vident. Tecta *rara* etiam esse possunt ingentia et magnifica. Neque accurate opponuntur *rara* iis, quae *nunc coelo aequata* sunt. Scribe: *parva domorum Tecta.* Ea conveniunt rebus, quas *tunc inopes Euandrus habebat.* Silius VI. 630. *qua fulgent moenia Romae. Tunc — Arcadius locabat — Inter desertos fundata Palatia dumos Paupere sub populo.*

Atque inter opacum Allabi nemus. Ut videre rates, atque Troianos allabi; rates, et eos, qui in navibus sunt, allabi et remigare, remigando allabi.

Et procul e tumulo: Iuvenes, quae caussa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferaeque manu ramum praetendit olivae:
Troiugenas ac tela vides inimica Latinis;
Quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus. Ferte haec, et dicite, lectos
Dardaniae venisse duces, socia arma rogantis.
Obstupuit tanto percussus nomine Pallas:
Egredere o quicunque es, ait, coramque parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhaesit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.
  Tum regem Aeneas dictis affatur amicis:
Optime Graiugenum, cui me Fortuna precari,
Et vitta comtos voluit praetendere ramos;

Lectos Dardaniae venisse duces. In aliis MSS. *viros.* Bene Wagnerus *duces* edidit. Et *viri lecti* esse poterant omnes socii in biremibus: at non erant. Neque *omnes* societatem rogabant, sed *legati*, lecti, duces. Non modo *lecti*, sed etiam *duces* suam vim habent, quasi sit: *lecti viri*, *duces Dardaniae.* Illud *duces Dardaniae* neminem offendat. Sic VIII. 499. *Maeoniae delecta iuventus.* Valerius Flaccus IV. 735. *Lectos, fama est si nominis unquam Haemonii, subiisse viros.* Ubi, quum in MS. erat *Haemonie*, legendum: *Haemoniae venisse viros.*

Cui me Fortuna precari. Ego signum distinctionis post *precari* delendum arbitror. Arcte iungenda sunt *precari et ramos praetendere.* Qui ramos praetendunt vitta comtos, hi speciem precantium praebent. *Cui* magis pendet a *praetendere*, quam *precari.* Idem est: *cui ramos precantes praetendere*, *ramos supplices*, *Fortuna voluit.* Virgilius hic scribere non potuisset *quem precari*, ob sequens *praetendere.* Potuisset *quem precari — cui vitta* sq. Servius explicat, antique dici *cui* pro *quem*, et Graece, ut *εὔχου Ἀπόλλωνι;* deinde et hyperbaton statuit, ut sit, *tibi* praetendere ramos et precari.

Non equidem extimui, Danaum quod ductor, et Arcas,
Quodque ab stirpe fores geminis coniunctus Atridis;
Sed mea me virtus, et sancta oracula divom,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Coniunxere tibi, et fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros; Electram maxumus Atlas
Edidit, aetherios humero qui sustinet orbis.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit;
At Maiam, auditis si quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, *coeli qui sidera tollit.*

Sed mea me virtus. Vir doctus in Observ. Miscellaneis coniicit: *Sed tua me virtus, tua terris didita fama, Cognatique patres et sancta oracula divum.* Idque confirmari poterat ex Terentii Heaut. I. 1. 4. *Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas, Facit ut te audacter moneam.* Horatius Satyr. II. v. 32. *tua me virtus tibi fecit amicum.* Vulgatum tuentur Heynius et Wagnerus. Tenendum in illo superbiae metu, quod dicit Tacitus Agric. 1. de iis, qui suam ipsi vitam narrabant: *idque fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrabantur.* Virgilium imitatur Statius Theb. I. 644. *mea me pietas et conscia virtus Has egere vias.*

Tua terris didita fama. Dedita et *debita* sunt errores. Silius I. 186. *fama in populos iurati didita belli:* vide interpretes. Variavit Seneca Herc. Furent. 192. *Alium multis gloria terris Tradat.* Agam. 930. *Sceptra terris nota.*

Fatis egere volentem. Ac propterea Fata, quae me agebant, volens secutus sum. Hoc est, quod Cleanthes precatur: *Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ καὶ σύ γ' ἡ Πεπρωμένη, Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος. Ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος.*

Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus. Insigniter lapsus est poeta, qui Aenean hoc dicentem faciat. Sic vere iudicat Wagnerus de verbis *ut Graii perhibent.* Rufinianus de Schematibus: *Electram Graii perhibent Atlantide cretam.* Corrupte quidem, sed in quo veritas latet. ELECTRAMVTGRAII fere referunt ELECTRAMATREVT. *Electra matre, ut perhibent, Atlantide, cretus.* Cretus matre Electra, Atlantis filia.

Coeli qui sidera tollit. Schol. Horatii *torquet.* Ita Virgilius alibi

Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus, non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me, me ipse, meumque
Obieci caput, et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello
Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant,
Et mare, quod supra, teneant, quodque alluit infra.
Accipe, daque fidem. Sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, et rebus spectata iuventus.
  Dixerat Aeneas. Ille os, oculosque loquentis
Iam dudum, et totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrum,

loqui solet. Additamentum puto. *Idem Atlas* sufficit. Atlas, qui humero sustinet orbes aetherios, idem Atlas qui sidera coeli tollit, est inepta tautologia. Ut omittam *tollit*, pro *portat*.

Genus amborum scindit se sanguine ab uno. Exquisitius quam *descendit sanguine ab uno*, ut aliquis coniicere poterat. Genus se quidem *scindit*, sed, ut duo fluvii brachia, ex uno fonte oritur. Statius Theb. I. 224. *quis sanguinis auctor Ipse ego. Perseos alter in Argos Scinditur, Aonias fluit hic ab origine Thebas.* Antigonus in Mirandis: Lycus narrat *τὸν Ἱμέραν, ἐκ μιᾶς πηγῆς σχιζόμενον, τὸ μὲν ἁλυκὸν τῶν ῥεῖθρων ἔχειν, τὸ δὲ πότιμον.*

Tentamenta tui pepigi. Difficile PEPIGI. Facilius PETII. Ut Ovidius Metam. III. 341. *tentamina sumsi.* Ennodius I. 2. locum respexit: *His fretus, non legatos nec verba precantum Callida fucatis artibus elicui.*

Me, me ipse, meumque Obieci caput. Statius Theb. I. 621. *me, me, divum optime, solum Obiecisse caput fatis praestabit.*

Et mare, quod supra, teneant, quodque alluit infra. Haec plane sapiunt glossam Geographicam. *Omnis Hesperia* satis est. Mare *superum* et *inferum*, tenue dictum. Et Aeneas sic loquitur, tamquam Italiam plane nosset, et pictam in tabula ostenderet. Melius apud Statium loquitur regionum peritus Theb. II. 182. *Quas Doricus alligat undis Isthmos, et alterno quas margine summovet infra.*

Ut te, fortissime Teucrum, Accipio agnoscoque lubens. Silius XVI. 189. *Tum laetus volvens oculos adversa per ora, Quam te, Darda-*

Accipio agnoscoque libens! ut verba parentis,
Et vocem Anchisae magni voltumque recordor!
Nam memini Hesionae visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protenus Arcadiae gelidos invisere finis.
Tum mihi prima genas vestibat flore iuventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden; sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens iuvenali ardebat amore
Compellare virum, et dextrae coniungere dextram.
Accessi, et cupidus Phenei sub moenia duxi.
Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quae nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo et, quam petitis, iuncta est mihi foedere dextra;
Et, lux quum primum terris se crastina reddet,
Auxilio laetos dimittam, opibusque iuvabo.

nida pulcherrime, monte serena Accipio, intueorque libens. Heinsius ex Virgilio Ovidium emendavit Metam. VII. 651. *ex ordine tales Adspicio agnoscoque*, pro *noscoque.*

Hesionae visentem regna sororis. Bryantus versum delebat, propter ingratum *visentem invisere.* Nec tollitur ingratum, si cum Servio *visentem* interpretaris *visere cupientem.* Fortasse tolletur, si pro *invisere* scribas *quoque visere.* Priamus *visens* regna Hesionae, *visit* etiam Arcadiam. Pro *petentem*, malim *profectum.* Nihil est, quod me quidem in his versibus offendat: *Nam memini Hesionae visentem regna sororis, Laomedontiaden Priamum, Salamina profectum, Protenus Arcadia gelidos quoque visere fines.*

Ergo et, quam petitis, iuncta est mihi foedere dextra. Aeneas petiit *dextram Euandri*, non *Euandrus Aeneae.* Dedit suam dextram Aeneae, et iunxit, dum haec ipsa verba loquitur. Scribendum est: *iuncta est tibi foedere dextra.* Historicus haec ita explicasset: Ergo dextram tibi foedere iungo (et dicens, dextram iunxit) et auxilio laetos eras dimittam. Servius aliter exponit: »Iuncta est mihi dextra, antiquis amicitiis per Anchisae hospitium." Minus recte: neque hoc erat *foedus.*

Interea sacra haec, quando huc venistis amici,
Annua, quae differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et iam nunc sociorum assuescite mensis.
Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili;
Praecipuumque toro et villosi pelle leonis
Accipit Aenean, solioque invitat acerno.
Tum lecti iuvenes certatim araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus,
Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.
Postquam exemta fames, et amor compressus edendi,
Rex Euandrus ait: Non haec sollemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Imposuit: saevis, hospes Troiane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.

Hanc tanti numinis aram. Melius fortasse: *hanc*, *quanti numinis*, *aram*. Non colimus hanc aram ex vana superstitione. Quale enim ac quantum sit numen, cognosces. Si dicit *tanti numinis aram*, loquitur, tamquam Aeneas Herculem, Caci interfectorem, iam plane novisset; qui si novisset historiam, dubitare non posset, utrumne sacra illa et honores essent meriti an immeriti, utrumne pietas an superstitio vana aram consecrasset.

Vana superstitio veterumque ignara deorum. Statius Theb. I. 560. *non inscia suasit Religio: magnis exercita cladibus olim Plebs Argiva litant.* Manifesta imitatio. Praecedit: *Forsitan, o iuvenis, quae sint ea sacra, quibusque Praecipuum caussis Phoebi obtestemur honorem, Rex ait, exquirent animi.* Loci Virgiliani interpretatio fertur in libello Mythographi, quem edidit Maius T. III. Classic. Auctor. pag. 184. *Neque enim vel ideo Herculem colimus, quia omnem religionem veram putemus, vel quia deos ignoremus antiquos.*

Meritosque novamus honores. Recte Heynius, *novare* de sacro *anniversario* accipit. Supra usurpatur *im-*

Iam primum saxis suspensam hanc adspice rupem:
Disiectae procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu;
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Caede tepebat humus; foribusque affixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Volcanus erat pater; illius atros
Ore vomens ignis, magna se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus aetas
Auxilium adventumque dei. Nam maxumus ultor,
Tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentis; vallemque boves amnemque tenebant.

posuit, de caussa et initio religionis, de primo sacro, quod singulis annis, et nunc, novabant, instaurabant.

Iam primum. Cod. Roman. et Pal. et alii *Iam pridem*. Hoc commendari poterat, quasi ardorem et studium laudandi Herculis in Euandro magis ostendens, quam *iam primum*. *Vel statim adspice hanc molem.* Habet saepe eandem vim, atque *iamdudum*.

Solis inaccessam radiis. Valerius Flaccus IV. 177. *Litore in extremo spelunca apparuit ingens, Arboribus super et dorso contecta minanti; Non quae dona deum, non quae trahat aetheris ignem.* Ubi legendum: *Non quae dona die. Die* pro *diei*: quod satis illustratum ad Virgilii Aeneid. I. 636. Pro *inaccessam*, Schol. Statii *inadspectam*; quo vocabulo Statius utitur, idque in Virgilio legisse videtur. Melius *inaccessam*.

Pallida. In Mediceo a manu prima *squallida*. Et sic Bentleius coniecerat. Praefero alteri. Alioquin Virgilius scripsisset: *tristi stillabant pallida tabo*, quod conveniret cum *caede recenti*.

Auxilium adventumque dei. Heynius miratur neminem maluisse *adventusque*. Sed hoc peius foret vulgato. Virgilius dicit: tandem aliquando deus aliquis nobis auxilio venit. Is erat Hercules. *Aetas adventusque dei* significaret Euandrum duplex habuisse auxilium et *aetatis*, et *dei*. Virgilium cogitabat Silius VII. 171. *Attulit hospitio — pes dexter et hora Lyaeum — laetus nec senserat hospes Advenisse deum.*

At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor a stabulis praestanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante iuvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versisque viarum

At furiis Caci mens effera. In aliis MSS. *furis.* Et sic in suis inveniri annotavit Bronkhusius. Quae MSS. tamen qualia fuerint, non recte teneo. Viri docti stant hi pro *furiis*, illi pro *furis.* Hoc miror neminem animadvertisse, quam affectatum sit: *mens Caci* quatuor tauros a stabulis *avertit*, totidem iuvencas, et cauda in speluncam *traxit.* Mens Caci *nihil reliquit intentatum*, et alia similia, usu probata sunt. *Mens boves cauda trahit*, est ridiculum. Disputavi de huiusmodi *mentis actionibus nimis corporeis* ad Horatii IV. Carm. 9. quibus nunc adde Perroniana p. 211. Et laudo Fabrum, qui in Epist. II. 69. in Ovidii Metam. IV. 765. non ferebat coniecturam Heinsii: *epulis functos diffudere animos.* Exempla, inquit, eam in rem sunt nulla, et ratio stat contra. An Valckenaerius ad N. T. pag. 407. bene reprehenderit illud Petri Epist. I. I. 13. *τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ἀναζωσάμενοι*, quaeri potest, quoniam linguae Hebraeae in hoc genere alia est natura, neque illi *cordis genua* dicere verentur. Graeci quidem et Romani non ita loquuntur. Quare locum Virgilii sic esse scribendum censeo: *At furis Caci manus effera — avertit. Furis*, ut dixi, erat in multis MSS. et omnes fere poetae, historiam narrantes, vocabulis *furti* et *furis* utuntur. Burmannus ad Propert. IV. IX. 14. *furis* etiam praefert, quia paullo post in Virgilio *furiis* sequitur, unde fortasse in locum priorem irrepsit. MENS et MANVS quam saepe in MSS. permutentur, nemo non vel ex sola scriptura conficiet.

Aut intractatum scelerisve dolive fuisset. Seneca Thyesta, 220. *Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas. Quid enim reliquit crimine intactum? aut ubi Sceleri pepercit?* Scribendum puto: *Fas est in illo fratre, quidquid est nefas.* Wagnerus edidit *intractatum.* In aliis MSS. *intentatum.* Dicunt: *inausum* et *intentatum* est tautologum, et *inausum* gravius, quam *intentatum.* Vere.

Forma superante. Quae tauros, quamquam praestanti corpore essent, forma superabant. Pulchros tauros, iuvencas etiam pulchriores.

Ne qua forent pedibus vestigia rectis. Si pedes recti esset impressi. Ablativus absolutus.

Versisque viarum Indiciis raptos, saxo occultabat opaco. Wakefieldus,

Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, quum iam stabulis saturata moveret

tractos et *raptos* tautologum putans, corrigit *raptor*. Si supra legimus *furis Caci*, citius sequeretur *raptor*. Mutemus interpunctionem: *Cauda in speluncam tractos versisque viarum Indiciis, raptos saxo occultabat opaco. Rapti boves* sunt furto ablati. Cacus hos cauda et versis viarum indiciis in speluncam tractos, rapuit, furatus est, et occultavit in saxo.

Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant. Wakefieldus habet pro adulterino. Heynius forte abesse posse concedit. Poterat sane, sed cum detrimento. Euandrus pulchre hanc partem historiae finit. Atque ita Cacus se rem praeclare gessisse putabat, nec furtum deprehendi posse credebat. Nulla enim vestigia ad antrum ducebant. Nescio cur interpretes difficultatem in *quaerenti* invenerint. Iam olim invenisse videntur, quum in MSS. *quaerentem*, *quaerentes quaerente*, legatur. *Quaerentum*, quod in principio annotationis Heinsianae conspicitur, videtur error typothetarum pro *quaerentem*. Heinsius interpretatur, vestigia *se ferebant quaerenti*; Wagnerus: *quaerenti* nulla ad speluncam ferentia signa apparebant. Utrumque Latinum est: *quaerentem* dicitur, *quando quis quaerit*, *occupatus est in quaerendo*. Sed *quaerenti*, est tempore non finito: *si quis aliquando quaerat*, *quaerere velit*. Formula ab Historicis et Geographis frequentata. Vulgo dativus iungitur cum verbo *est*, Graece et Latine. Pausanias I. 28. καταβάντι ἐς τὸ πεδίον Ἱππόδρομος ἐστι. Livius XXXII. 4. *Thaumaci*, *a Pylis sinuque Maliaco per Lamiam eunti*, *loco alto sita sunt.* Sed iungitur dativus etiam cum aliis verbis, unde apparet, *quaerenti* significare, *si quis quaerat*. Tacitus Hist. III. 71. *Erant antiquitus porticus in latere clivi*, *dextrae subeuntibus.* Suetonius Vespas. 1. *Locus etiam nunc ad sextum milliarium a Nursia Spoletium euntibus in summo monte appellatur Vespasiae.* Thucyd. II. 96. ἀνίστησιν ἔπειτα τοὺς ὑπερβάντι Αἷμον Γέτας: supra nominaverat Thracas ἐντὸς τοῦ Αἵμου. Primus, quantum scio, hoc dicendi genus illustravit Gronovius ad Livium I. 8. deinde alii, hunc auctorem secuti, alia addidere, in quibus Oudendorpius ad Caesar. B. Gall. VII. 2. Quocunque modo caussam huius dativi explices, non multum errabis, si dicas esse dativum *commodi*. Verbum *ferebant* absolute ponitur, ut *via fert*, *ducit*, similia. Ovidius Fast. I. 549. retulit ad Herculem ipsum: *Nulla videt taciti quaerens vestigia furti.*

Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu nodisque gravatum

Impleri nemus, et colles clamore relinqui. Schraderus coniicit *relicti*, nempe *implebantur clamore*. Burmannus exponit: *colles a bubus relinqui*, superari boum mugitu, praeteriri. Atque ita se esse expositurum iam promiserat ad Lucani VII. 83. Idem ad Valerii Flacci III. 685. exposuerat: *boves tam vehementer clamantes*, ut ulterius extendant mugitum, quam colles porrigebantur. Pius ibidem accipiebat *colles clamore fractos*. Quantopere veteres hic laboraverint, apparet ex Servianis. Et tamen oratio videtur simplicissima, *boves relinquunt colles cum clamore*; sed ea Heynio nimis tenuis videtur. Et sane idem saepius est repetitum. Boves discedentes *mugiunt*, *boves implent nemus querelis*, *boves relinquunt colles clamore*. Schraderianum *relicti* hoc habet incommodum, quod non eleganter *nemus querelis*, *colles clamore* impleantur. Aliud, credo, olim legebatur. In Servianis videmus memorari *echo* et *vocis imaginem*. Hoc et naturae huius rei, et collibus egregie convenit. Ita et oratio variatur. Scribendum puto CLAMARE PROPINQVI, pro CLAMORE RELINQVI. *Discessu mugire boves, atque omne querelis Impleri nemus, et colles clamare propinqui.* Boves discedunt inter magnos mugitus. Nemus omne querelis impletur, propinqui colles, ubi erat spelunca Caci, iis querelis resonant, ictique resultant, adeo ut voces mugientium in speluncam penetrarent. Ita mox: *Consonat omne nemus strepitu collesque resultant.* Impletur nemus *querelis*, ut Ovidius Metam. VI. 547. *Implebo silvas et conscia saxa querelis*; ubi plura attulit Burmannus. *Colles clamant*, eleganter, pro *resonant*, βοόωσιν ἠϊόνες apud Homerum, *litora mugiunt*. Virgilius I. Georg. 261. *Scopulisque illisa reclamant aequora*. Statius XI. Theb. 116. *clamant amnes, freta, nubila, silvae.* Hinc *clamor montium*, et alia satis cognita.

Hic vero Alcidae furiis exarserat atro Felle dolor. Dura oratio: *dolor exarserat Alcidae, furiis atro felle*. D'Orvillius coniiciebat: *Hic vero Alcidae furiis exarsit et atro Felle dolor*: ut Aeneid. XII. 946. *furiis accensus et ira terribilis*. Nec sane ferendum *exarserat*, coniunctum cum *hic*, id est *tunc*. Ego corrigendum

Robur; et aerii cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum videre timentem
Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit, ruptisque immane catenis
Deiecit saxum, ferro quod et arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit obiice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius; omnem*que*
Accessum lustrans, huc ora ferebat et illuc,

puto: *Hic vero Alcides furiis exarsit; et atro Felle dolens, rapit arma manu nodisque gravatum Robur.* *Alcides* erat in Veneto.

Aerii cursu petit ardua montis. Male Burmannus *aetherei*. Vide Waguerum. *Ardua montis* illustrat Schol. Statii ad Theb. III. 262. »*Parto, qua deficit coelum, ut Homerus* ΡΙΕΒΙΟ λΟCΤΕ ΤλCCVΝλΙΟ ΒΕλΟΙC ΤΕCΝΙΟΙ, *significans intervallum, quo terra separatur a coelo.* Sic et *abrupta montium* dicimus, et *Olympi ardua.*" In Graecis figuris latere puto Homeri Iliad. A. 591. *ΡΙΨΕ ΠΟΔΟΣ ΤΕΤΑΓΩΝ ΑΠΟ ΒΗΛΟΥ ΘΕΣΠΕΣΙΟΙΟ.*

Turbatumque oculis. MSS. quaedam *oculi*. Gudianum *oculos*. Unice verum puto *oculi*, quod iam Servius cognovit. Quamquam oculi sint mentis indices, in metu tamen subito, et aliae corporis partes animum turbatum, non minus quam oculi, ostendunt, adeo ut non videam, cur in Caco *oculi* eximie appellentur. Tum *nostri* non placet. *Videre* inprimis debuit *Euandrus*, rex, cui salus omnium erat curae. Scripsisset certe *vidimus*. Sed multo elegantius *nostri oculi*, cum admiratione, *vidimus his oculis*, quod nos videre vix ipsi credebamus. Ovidius Metam. VII. 679. *Si non formosius isto Viderunt oculi telum iaculabile nostri.* Lucas Euangel. II. 30. *ὅτι εἶδον ὀφθαλμοί μου τὸ σωτήριόν σου.* Ubi plura interpretes. Caeterum comparo Valerii Flacci IV. 276. *Ille dies aegros Amyci sudoribus artus Primus et arenti cunctantem vidit hiatu.*

Pedibus timor addidit alas. Silius XII. 455. *pennas addente pudore Atque ira simul.*

Accessum lustrans. Neminem fore arbitror, quin, si vel unus Codex, neque is caeteroquin optimae notae, hunc locum ita referret, ut indicavi, illud vulgatis longe sit praelaturus. Aliquando putavi, omnia, quae nunc legimus, esse Virgiliana, sed partim in margine scripta, et a Vario et Tucca in unum composita. Sed tales coniecturae sunt admodum in-

Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
Limina nequidquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, praecisis undique saxis
Speluncae dorso insurgens, altissima visu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona iugo laevum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avolsam solvit radicibus; inde repente
Impulit: impulsu quo maximus insonat aether;
Dissultant ripae, refluitque exterritus amnis.
At specus *et Caci detecta apparuit ingens*

certae, incertiores saltem, quam quae ex sensu oriuntur, tacite elamante, Virgilium ita, ut nunc legitur, scribere potuisse. Ipsi versus sunt Virgilio digni, sed hoc loco indigni. Hercules *lustrat omnem accessum*, ad speluncam, ut intraret, et *ter totum montem* circumiit. Recte. Sed iterum *lustrat*, non est Virgilianum. Quid autem dicemus de *furens animis* et *fervidus ira?* Pro *omnemque* in multis Codd. erat *omnem*. Si additamentum sit Grammatici, exemplo esse potuerunt illa Aeneid. IX. 57. *Huc turbidus atque huc Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit. Dentibus infrendens*, legitur et lib. III. Aeneid. 664. Eiectis spuriis, restat: *Omnemque Lustrat Aventini montem*. Elegantius absit copula. Interpunctio autem sic instituatur: *Ecce furens animis aderat Tirynthius; omnem Lustrat Aventini montem* sq. Facti celeritas magis apparet. Semel Aventini montem lustrasse sufficiebat. Unum modo esse aditum vidit. Neque opus erat montem circumire, ut ad fores speluncae veniret. Hunc ter tentat, ter fessus resedit. Pulchre opponuntur *ter tentat*, *ter resedit*. Illud *ter* nunquam bis repetitur. Vide Georg. I. 281. IV. 384. Aeneid. II. 792. III. 566. IV. 690. VI. 700. X. 685. X. 885. Octies Virgilius usus est, ut hic; semper repetitum semel.

Caci detecta apparuit ingens Regia. Spelunca, a sole inaccessa, semper tepens recenti caede, domicilium unius furis, non appellatur *regia*, nisi ironice. Ironia autem a tota Euandri oratione aliena est. Comparant tamen Virgilii I. Aeneid. 140. *Illa se iactet in aula Aeolus*. Sed *aula* et *regia* non semper idem significant. Et Neptunus ibi *aulae* vocabulo utitur *iratus*, et *ridiculi* causa. Silius VI. 215. *aulam* adhibuit de *antro serpentis*. non satis apta imitatione,

Regia, *et* umbrosae penitus patuere cavernae:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, et regna recludat
Pallida, dis invisa; superque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem, neque enim fuga iam super ulla pericli,
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine caeca,
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem

ut bene animadvertit Ernestus. Et cui bono in unum illa congesta *specus*, *et ingens regia*, *et umbrosae cavernae?*

Umbrosae penitus patuere cavernae. Statim repetitur *penitus.* Schraderus corrigit *late*, ex versu Enniano: *Tum cava sub montem late specus intu' patebat.* Ursinus iam laudaverat Ennium ex XVI Annalium. Sed *late patet specus*, aliud, puto, est, quam hic requiritur. Vulgo enim significat, quod Virgilius supra dixit: *spelunca vasto submota recessu.* Wagnerus iudicat *penitus* non sine vi repetitum, quia poeta miraculum miraculo confert. Ego pro **VMBROSAEPENITVS** legendum puto **VMBROSAEQVEINTVS.** *At specus umbrosaeque intus patuere cavernae.*

Trepidentque immisso lumine Manes. Alii praeferunt: *trepidant immisso lumine Manes.* Sed tum metus est, ne comparatio sic accipiatur: *non secus ac, si terra dehiscat*, *Manes trepidant.* In quo vis comparationis non quaerenda est. Et *Manes trepident* arcte cohaeret cum *barathrum cernatur*: nam ita lumen immittitur, et Manes trepidant. Similes aliorum comparationes monstratae sunt ab interpretibus ad Silium V. 617.

Fumiferam noctem. Editio Veneta *flammiferam.* Melius, puto. *Nox fumifera* potius dicendum erat *fumus noctifer.* Sed et *fumus* praecedit, et sequentia, per epexegesin addita, *commistis igne tenebris* indicant noctem *flammiferam*, non *fumiferam.* Valerius Fl. VII. 566. dixit *ardentes tenebras.*

Praecipiti iecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus aestuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, et angit inhaerens
Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revolsis,
Abstractaeque boves abiurataeque rapinae
Coelo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
Terribilis oculos, voltum, villosaque saetis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignis.
Ex illlo celebratus honos, *laetique minores*
Servavere diem, primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Incendia vana vomentem. Aliquot Codd. *moventem.* Vir doctus commendat, quia *vomere* iam antecessit, et *movere* est exquisitius et proprium in tali re. Heynius probat. Et ego praeferendum iudico, inprimis ob *vana.* Non enim per se considerandum *incendia movere*, sed iunctim *vana movere incendia.*

Corripit in nodum complexus. In nodum, more nodi, est, ita complectitur manibus, ac si manus essent nodus. Eam praepositionis vim explicavit Oudendorpius ad Appul. Metam. III. pag. 191. Ruhnkenius in Praefat. Lexici Scelleriani cum Graecismo recentiore comparavit, v. c. ἐς λέοντα θυμοῦται. Propius accedit Anacreonteum Od. XV. Amor, non amplius habens sagittas, ἑαυτὸν ἀφῆκεν εἰς βέλεμνον. Adde annotationem Wyttenbachii ad Eunapium pag. 53.

Abiurataeque rapinae. Vetus glossarium, quod edidit Maius ex Vatic. *abiurae, furatae.* Maius bene coniecit: *abiuratae.*

Laetique minores Servavere diem. Additamentum et glossa grammatica, interpretatio festi ex antiquitate Romana. Erant haec nova sacra. Ipse Euandrus ante aliquot annos instituerat. Ipse etiam vivens hunc diem servabat. *Minores* non dici possunt nisi de posteritate Euandri, dudum mortui. Ne Pallantem quidem in summa senectute ita loqui decebat.

Primusque Potitius auctor, Et domus Herculei custos Pinaria sacri. Potitius *primus hunc honorem Herculi instituit*, et *gens Pinaria hoc sacrum curat;* vel, et *gens Pi-*

Hanc aram luco statuit, quae Maxuma semper
Dicetur nobis, et erit quae maxuma semper.

naria cum Potitio est auctor, quae gens sacrum curat, quod postremum tamen, quippe nullam hic habens rationem, non urgebo. Sed haec est loci sententia, historiae tamen contraria. Livius I. 7. *Ibi tum primum Euander, bove eximia capta de grege, sacrum Herculi, adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis ac Pinariis, quae tum familiae maximo inclytae ea loca incolebant, fecit. Potitii ab Euandro edocti, antistites sacri eius per multas aetates fuerunt, donec tradito servis publicis solemni familiae ministerio, genus omne Potitiorum interiit.* Citavi potissimum Livium, quia Virgilius in primis rerum Romanarum initiis eosdem, quos Livius, sequitur auctores. Apparet Euandrum fuisse sacri auctorem, non Potitium. Et quomodo *domus Pinaria* eximie *custos sacri* appelletur, cum, quia sero ad primum sacrum venerint, institutum sit, ne extis solemnium vescerentur? Eaque domus, diu ante Potitios, exstincta esse videtur. Nec bene *domus Pinaria* memoratur, quum *Pinarium ipsum* etiam vixisse credibile sit, ut vivebat *Potitius*, qui mox *primus ibat* inter sacerdotes. Alii hanc historiam sacri Herculei paullo aliter narrant. Hos si audias, crescunt difficultates.

Hanc aram luco statuit. Sana ratio cuiusvis linguae postulat, ut dicamus: *Potitius et domus Pinaria hanc aram statuit.* Atque ita multi interpretes accipiunt. *Hercules* ante *statuit* subaudiri, durissimum est: additum cuperem et *Hercules* et *sibi*. Pomponius eleganter emendabat *statui*.

Quae Maxuma semper Dicetur nobis, et erit quae maxuma semper. Heynius haec, et *hanc aram luco statuit* eiicit, quia nihil esse potest ieiunius et poeta magis indignum. Marklandus resecat *et erit quae maxuma semper:* Wagnerus defendit ex nota formula *dici haberique*. Versus: *Dicetur nobis et erit quae maxuma semper;* a duobus MSS. aberat. Sed hoc per negligentiam potuisse fieri, concedo. Heynius ieiunum esse sensit, non explicavit. Declarabo, quid mihi videatur. Dicit Euander: »Hanc aram appellabimus Maximam. Ergo nunc primum hoc nomen imposuit. Atqui statim *Maximam* fuisse nominatam constat. Scriptum oportebat, *quae Maxima dicta est.* Nunc subaudire cogimur: *ut appellavimus Maximam, ita semper appellabimus.* Sed quid illa, *quae semper Maxima dicetur?* Huius arae nomen nunquam mutabimus, huic arae *nunquam aliud nomen dabimus.* Nihil hoc profiteri attinet. Nomina, aris templisque semel data, non mutantur nisi rarissime, idque in melius et honorificentius, nec nisi alio nomine adiecto. Poterat v. c. *ara Herculis* nominari *optuma*

Quare agite, o iuvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris,
Communemque vocate deum, et date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor quum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit,
Et sacer implevit dextram scyphus. Ocius omnes
In mensam laeti libant, divosque precantur.
  Devexo interea propior fit Vesper Olympo.
Iamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, et mensae grata secundae

maxuma. In peius Euander non erat mutaturus. Neque etiam, si religio ita tulisset, in illustrius? Sed *Maxima* est nomen proprium *arae*. Appellari potuisset aliqua ara *Minima*. Iam lusus in nomine est puerilis. Apparet vel ex primis vocabulorum literis, *Maxima* et *maxima*. Ara ista vocabitur *Maxima* et erit *maxima*. Melius Ovidius I. II. 1. *Maxime, qui tanti mensuram nominis imples*. *Maxime*, qui, ut *Maximus* appellaris, re quoque et factis *maximus* es.

Tantarum in munere laudum. Heynius: *in honorem tanti facinoris*. Wagnerus: *in sacrificio ob facinus instituto*. Vere Wagnerus. Heyniana interpretatio postularet *in munera*. Cingite comas, *ut Herculem* propter tantas laudes *muneretur*. Atque hoc nimium esset de iis, qui tantum sacrificii erant participes. *In munere*, ut *in honore*, vel *in honorem* dictum factumve. Schol. Statii Theb. VIII. 224. »Paeanes versus sunt in Homero Apollini dicti propter exstinctum Pythonem." Ubi scribendum *in honorem Apollinis dicti*. Nisi fortasse respexerit Homericum: *καλὸν ἀείδοντες Παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν.*

Communemque vocate deum. Bene explicavit Burmannus ad Valerii Flacci IV. 761. nisi quod addit: »*ita Mars* communis, *κοινὸς* Graecis." Et Graeci et Romani colebant Martem. Utrique populo tam erat *communis*, quam Iupiter. Sed Mars *communis*, propter incertos proeliorum exitus appellatur, idem quod *dubius*, *anceps*, *varius*.

Pellibus in morem cincti. Vocabulum *pelleus*, quo hic utitur Servius, in *pelle cinctus* mutat Hemsterhusius.

Instaurant epulas. Horum versuum quam impedita sit interpretatio, ostendit Heynius, et tandem in eam venit opinionem, ut putet Virgilium eos posuisse ad marginem superiorum: *Ocius omnes In mensam laeti libant, divosque precantur*. His eiectis, ait,

Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic iuvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercae
Monstra manu geminosque premens eliserit anguis;

bene procedit oratio. Equidem propter aliam quoque causam eiiciendos censeo. Sunt contrarii naturae rerum hoc die gestarum. Aeneas sole exorto iter incepturus erat. Videt albam suem et foetum. Mactat Iunoni. Meridie urbi Euandri propinquant. Euander et Arcades sacra faciebant Herculi. Post sermones hinc inde habitos et moram interpositam, Aeneas et Troiani ad mensam veniunt; celebratur convivium. Fame exemta, Euander caussam sacri sollemnis exponit. Finita narratione, Hercules bibitur, vinum libatur. Interea Vesper propior fiebat, quo tempore hymnus Herculi circum altare canebatur. Surgunt, mensam relinquunt: ibant sacerdotes, duce Potitio, Salii; chori iuvenum ac senum ad aras accedebant ad hymnum canendum. Canitur. Vides in hoc rei gestae ordine non fuisse caussam instaurandis epulis, neque tempus. Mensam non reliquerunt, nec coena fuit sublata, neque altera illata.

Mensae grata secundae Dona ferunt. Mensae secundae heroieis temporibus incognitae. Neque usus iste probatur ex Aeneid. I. 723. Nam ibi tantum fiebat libatio, reliquum tempus audiendis poetae cantibus et vario sermone teritur; nulla edendi mentio. Cibus autem iam erat *remotus.* Dictum oportebat, alterum cibum, mensas secundas fuisse illatas.

Cumulantque oneratis lancibus aras. Obscure *lancibus oneratis*, ture, an extis. Iam supra Herculi *tura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.* Exspectaveram *iterum cumulant*, vel simile. Suspicio versuum interpolatorum augetur, quia in Cod. Menag. legimus hoc ordine: *Tum Salii — Populeis adsunt — Instaurant epulas — Dona ferunt.* Wagnerus pro his versibus ita disputavit, ut mala caussa non melius defendi potuerit. Spurios habet etiam Böttigerus Opusc. pag. 17.

Prima novercae Monstra manu geminosque premens eliserit anguis. Servius dicit: *monstra et angues unum sunt.* Ego figuram hendyaduoin non libens huc admiserim, quia etiam caeterae Herculis laudes fuere *monstra novercae devicta.* Aegre quoque careo illius rei significatione, quae in hoc facto fuit praecipua, quod Hercules tantum facinus perpetravit *parvulus in cunis.* Versum certe multo elegantiorem esse omnes fatebuntur, si scribas: *ut pri-*

Ut bello egregias idem disiecerit urbis,
Troiamque Oechaliamque; ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Iunonis iniquae,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembris,
Hylaeumque, Pholumque, manu, tu Cresia mactas
Prodigia, et vastum Nemea sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento;
Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus,
Arduus arma tenens; non te rationis egentem

ma novercae Monstra manu geminos infans eliserit angues. Infinita sunt poetarum loca de hoc argumento, *aetas Herculis* nusquam omissa, neque recte omitti poterat. Nam quae laus *geminos elisisse serpentes*, illi, qui Antaeum et leonem Nemeaeum suffocavit, nisi serpentes *eliserit infans?* Apponam versus, qui ex Virgilio ducti videntur. Martialis XIV. 177. *Elidit geminos infans, nec respicit, angues. Iam poterat teneras hydra timere manus.* Statius Silv. III. 1. 47. *Parvus adhuc, similique tui, cum prima novercae Monstra manu premeres, atque exanimata doleres.* Atque Herculis infantis, qui *ludens*, ἀθύρων, angues strangulat, olim fuere statuae et picturae pulcherrimae, quae poetis, nisi iam suus cuique sensus dictaret, necessitatem *infantiae* non omittendae dictare possent. *Elidere* autem, ne quis etiam *premens* requiri putet, sic solum sufficit. Vidimus iam in Martiale. Adde multa exempla apud Bentleium ad Horat. Carm. III. 27. In iis unicum est Senecae Herc. Oct. 1236. *colla elisa pressi.* Aliud reperi in Silio VI. 236. *nunc vasto pondere gaudet Elisisse premens.*

Tu nubigenas, invicte, bimembris. Elegantissima orationis obliquae in directam conversio, quam hinc imitati sunt Ovidius Metam. IV. 14. VII. 434. Statius Theb. I. 709. et Claudianus Praefat. de Raptu Proserpinae II. 29.

Arduus arma tenens. Wagnerus rectissime comma inter *arduus* et *arma* sustulit.

Non te rationis egentem. Anguis circumstans afficere non potuit, ut prae metu mentem et consilium amitteres. Citavit Fronto pag. 512. Ovid. Trist. II. 395. *egentem mentis Oresten.* Valerius Flaccus IV. 303. *Sensit enim Pollux rationis egentem.* Sulpitia Satyra 15. *tacitos et iam rationis egenos.* Hercules tamen quaedam monstra timuisse fingi-

Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Iovis proles, decus addite divis,
Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant; super omnia Caci
Speluncam adiiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus aevo,
Et comitem Aenean iuxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilisque oculos fert omnia circum,
Aeneas, capiturque locis; et singula laetus

tur a Seneca in Apocoloc. pag. 848. *Hercules primo adspectu sane perturbatus, ut qui etiam non omnia monstra timuerit.* Ubi fortasse legendum: *non omnia monstra non timuerit;* id est *quaedam timuerit.*

Salve, vera Iovis proles. Imitatur Valer. Flaccus IV. 327. *Salve, vera Iovis, vera o Iovis, undique, proles, Ingeminant.* Ubi in MS. est *veri Iovis.* Mallem: *Salve, vera Iovis, salve Iovis, undique, proles, Ingeminant.* Solet enim illud *salve* repeti. Virgilius VI. Aen. 80. *Salve, sancte parens, iterum salvete recepti Nequidquam cineres.* Quamquam alii haec aliter distinguunt. Memorabile ad illum locum est Scholion, quod Maius edidit. Quum enim in Catulli Epithal. 22. vulgo legatur: *Heroes, salvete, deum genus, o bona mater:* Scholiasta h. l. ita citavit: *Salvete deum gens, o bona matrum Progenies salvete iterum.* Unde ego Catullum ita scriptum reliquisse coniicio: *O nimis optato saeclorum tempore nati Heroes salvete, deum genus, o bona matrum Progenies salvete, iterum salvete, bonarum.* Eleganter et antique *progenies bona bonarum matrum.* Ipse Catullus Carm. LXI. 186. *Vos bonae senibus bonis Cognitae bene feminae.* Horatius Carm. I. 16. *O matre pulchra filia pulchrior.* Nota sunt Graeca καλὸς καλοῦ.

Varioque viam sermone levabat. Nonnulli Codd. *levabant*, quod arridebat Heinsio. Non iniuria. Nam et Aeneas *singula exquirit.* Et hoc vulgo fit, ut sua quisque verba ad viam levandam afferat. Ovidius Metam. IV. 39. *Utile opus manuum vario sermone levemus.* Sedulius in Carm. Paschali: *Interea dum rite viam sermone levamus.* Formulam variavit Statius Theb. VIII. 216. *Corda levabat Exhaustus sermone dies.* Seneca de

Exquiritque auditque virum monumenta priorum.
Tum rex Euandrus, *Romanae conditor arcis:*
Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,
Gensque virum truncis et duro robore nata:
Quis neque mos neque cultus erat; nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens, et regnis exsul ademtis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quae perhibent, illo sub rege fuere

Brevit. Vitae 9. *Sermo iter facientes decipit.* Affectatum est hoc Appuleii Metam. I. p. 17. *Iugi, quod insurgimus, aspritudinem fabularum lepida iucunditas levigabit.*

Romanae conditor arcis. Nihil omnino hoc ad rem praesentem facit. *Romanae* est inepta prolepsis. Euandrus condidit *Pallanteum.* Ibi multis saeculis post fuit Palatium, ut vocat Servius. Appellemus Palatium *arcem Romanam.* Euandrus non condidit hanc arcem. Addit Servius: Virgilius *subtiliter videtur significare, Romam initium ab Euandro ducere.* Neque hoc verum est. Virgilius ubique dicit Romam a Romulo et Remo conditam. Bene mox narrat Virgilius Euandrum ostendisse Aeneae varia loca, quae postea, Roma florente, facta sunt celeberrima. Bene videbant armenta mugire in *foro Romano*, in eo loco, ubi nunc est *forum Romae.* Sed ea multum differunt a *conditor arcis Romanae.*

Asper victu venatus alebat. Proprium erat: *asperos victu.* Silius III. 280. *mensis asper populus victuque maligno.* Valerius Flaccus IV. 611. *Gens Chalybum duris patiens cui cultus in arvis.* Ubi Heinsius volebat *victus.* Tacitus de Morib. German. 46. *Idemque venatus viros pariter ac feminas alit.*

Latiumque vocari Maluit. Hoc genus appellavit Latium, homines Latinos, pro *indigenis*, seu Aboriginibus. Vocabulo *Aborigines* uti non potuit. Usus est *indigenarum.* Quare illud potius scribendum erat litera initiali maiuscula *Indigenae.* Indigenae sunt Fauni et Nymphae et homines, dei et homines.

Saecula: sic placida populos in pace regebat;
Deterior donec paullatim ac decolor aetas
Et belli rabies et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae;
Saepius et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque immani corpore Thybris:
A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis, matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphae monita, et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta; dehinc progressus, monstrat et aram,
Et Carmentalem Romani nomine portam
Quam memorant, Nymphae priscum Carmentis honorem
Vatis fatidicae: cecinit quae prima futuros
Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Retulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.

Saepius et nomen posuit Saturnia tellus. Ea tellus, quam Aborigines habitabant, quo postea venit Saturnus, qui Latium appellavit, saepe nomen mutavit, et pro Latio, Ausonia, pro Ausonia deinde aliis nominibus fuit insignita.

Romani nomine portam Quam memorant. Bene Wagnerus reduxit *Romani*, pro *Romano.*

Quem Romulus acer Asylum Retulit. Ex quo luco, quem lucum Romulus nobis tradidit, sed nomine Asyli.

Parrhasio. In Rom. *Parnasio.* Contra Geographiam et metrum. Ego scribendum puto: *Arcadio. Lupercal, Arcadio dictum Panos de monte Lycaei.*

De more. Heynius: »*de more Arcadice*, ad exemplum Panis Lycaei nomine ab Arcadibus ducto." Longe facilius *de monte*, quod erat in Rom. Cod. et coniecit Schraderus. Ovidius Fast. II. 423. prorsus confirmat *de monte Arcadiae. Quid vetat Arcadio dictos a monte Lupercos? Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet. De more* magis interpretere, de consuetudine in festo Lupercalium.

Nec non et sacri monstrat nemus Argileti,
Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Iam tum religio pavidos terrebat agrestis
Dira loci; iam tum silvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus, incertum est, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iovem, quum saepe nigrantem

Testaturque locum. Servius: »*Monstrat locum*, quo, tamquam ad testimonium vocato, crimen laesi iuris hospitalis a sua domo removeat." Laudat Wagnerus. Heynius accipiebat pro simplice *monstrat*. Mallem totus versus abesset. Sapit glossam. Magis etiam, si scribis: *Testatur locus et letum docet hospitis Argi.* In aliquot Codd. Pier. erat *mortem docet.*

Quis deus, incertum est, habitat deus. Seneca Epist. 41. *In unoquoque bonorum virorum Quis deus, incertum est, habitat deus.* Lipsius putabat esse Ovidii.

Quum saepe nigrantem Aegida concuteret dextra. Ex nostra quidem linguae ratione dicendum erat: *credunt se Iovem saepe vidisse*, tunc quum aegida concuteret. In sermone Latino et Graeco nihil hic est alieni. Nota sunt *quum extemplo, quum praesertim, ὡς τάχιστα, αὐτίκα.* Conf. Wagner. ad X. 723. Servius distinguendum putabat, *dextra nimbosque cieret*, quia Iupiter clypeum, aegida, tenet sinistra. Confer disputationes Heynii et Wagneri, qui Servianum bene reiecit. Ego rem ita expediendam esse arbitror. *Aegis* illa est clypeus Iovis. Iupiter, si quando gravem iram in pectore concepit, *hanc* aegida *quatit*, et quatit manu *dextra*, quia maior est in dextra manu vis. Iam varius est *quatiendi* modus, et discernenda sunt *concutit*, *percutit*, *incutit*. *Dextra concutit*, vehementissime quatit, vibrat ipsum clipeum; *percutit* autem *dextra* manu, pugno, dum tenet sinistra; *incutit* hominibus, ἐπισείει. Omnes motus sunt indicia Iovis irati, et strepitus efficiunt *tonitru*. *Incutit* aegida certis quibusdam hominibus et populis, quos propter aliquod scelus terrere vel punire vult. Tale est Homericum: ἐπισσείησιν ἐρεμνὴν αἰγίδα πᾶσιν· quod imitatur Lucianus in Timone pag. 101. καὶ ἡ αἰγὶς ἐπεσείετο καὶ ἡ βροντὴ ἐπαταγεῖτο. Iste strepitus figurate tonitru et tempestatem significat: ideo et Virgilius addit *nimbosque cieret.* Ad hanc rationem constituenda sunt poetarum

Aegida concuteret dextra, nimbosque cieret.
Haec duo praeterea disiectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri, passimque armenta videbant
Romanoque Foro et lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad sedes: Haec, inquit, limina victor
Alcides subiit; haec illum regia cepit.

loca. Valerius Flaccus I. 81. *turbidus atro Aethera coeruleum quateret cum Iupiter imbre.* Ubi Heinsiana coniectura *Aegida coeruleam* admitti non potest, licet Burmannus eam et esse elegantem et multis adstrui posse arbitretur. *Imber* non *quatit aegida*, sed *quatitur ex aegide*. Claudianus in Eutrop. II. 160. *Sic fatus, clipeo, quantum vix ipse deorum Arbiter, infesto cum percutit aegida nimbo, Intonuit.* Heinsius edidit *aegida*, cum in aliis quibusdam Mss. inveniretur *aethera*. Burmannus sensit omnia non plane esse recta, nam rogat: quid significat *aegida nimbo percutere?* et explicat *nimbo infesto* per ablativum absolutum, additque Heinsium in Valerio melius correxisse *aegida*. Incogitanter. Nam Valerii *aegida quatit imbre*, et Claudiani *percutit aegida nimbo*, tam similia sunt quam lac lacti. Res levissima viros excellentes fefellit. Muta distinctionem: *Sic fatus, clipeo, quantum vix ipse deorum Arbiter infesto, cum percutit aegida, nimbo, Intonuit.* Mars clipeo intonuit, quantum vix ipse Iupiter infesto nimbo intonat, cum percutit aegida; cum aegida concutit dextra et nimbos ciet. Alia poetarum loca prudens omitto.

Lautis mugire Carinis. Frustra *latis* et *laetis*. Hic, ubi nunc forum Romanum et splendidae illae Carinae sunt, tunc boves mugiebant. Caussam erroris Serviani attigit Oudendorpius ad Appuleii Metam. III. pag. 223.

Victor. Hercules *victor* postea Romae suas habuit aedes. Vide Heinsium ad Ovidii Fast. 1. 562.

Alcides subiit. Pulchre *subiit*, *demisso capite*, quia humilis domus: quare mox loquitur: *angusti subter fastigia tecti Ingentem Aenean duxit.* Ovidius Metam. V. 282. *subiere minores Saepe casas superi.* Fast. IV. 531. *Ceres — parvos subitura penates.* Ita MS. Vatic. pro *initura*, quod in aliis locis rectum esse potest. Burmannus discrimen non sensit.

Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge deo; rebusque veni non asper egenis.
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Aenean duxit, stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursae.
Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequidquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Volcanum alloquitur, thalamoque haec coniugis aureo
Incipit, et dictis divinum adspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita casurasque inimicis iguibus arces:

Effultum foliis et pelle Libystidis ursae. In Goth. *spoliis.* Eleganter: idque coniectura assecutus est Schraderus. Si de sedili ageretur, reciperem. Ita Euandrus supra Aenean collocavit in *pelle leonis.* Sed hic est lectus, in quo Aeneas noctem transigeret. Lectum non modo pellis ursae, sed etiam folia commendant.

Dum bello Argolici vastabant Pergama reges Debita. Dum reges iam urbem *vastant*, urbem ceperunt, et serum erat Aeneae auxilium a clipeo Vulcani. Neque conveniunt ista, dum *vastant* Pergama et *arces arsuras.* Convenirent, *vastant Pergama et arces ardentes.* Schraderus malebat *quassabant.* Et ego dudum conieceram *quatiebant.* Virgilius IX. 608. *quatit oppida bello.* Silius XIII. 36. *longo quateret quum Teucria bello Pergama.* Quod autem *debita* sic solum ponitur, habet hoc difficultatem. Heynius iungit *debita ignibus:* quod vix fieri potest, quum *ignes* iam iunctum habeant *arsuras.* Servius interpretatur: *fataliter ad exitium destinata.* Quod Wagnerus sequitur, et explicat: *vastant debita vastari.* Rara sunt exempla, in quibus *debitus* ita de rebus ponitur. De hominibus vidi apud Valerium Flaccum V. 278. *Debitus Aeaeis dux Thessalus appulit oris.* Quamquam et ibi simul intelligi licet *debitus oris.* Statius Theb. IV. 84. *debitus hospes.* Ubi Schol. *fatis vel responso Apollinis debitus.* Fortasse rectius explices: *dum bello quatiunt Pergama, quae bello debebantur:* ut Valerius Flaccus II. 571. *deberi Pergama telis Herculeis.* Livius XXIV. 25. *debitos destinatosque morti.* Ruhnkenius ad Suetonii August. 19. explicat *deberi* ea, *quae evenire debent*, et cum Graecis comparat Callimachi H. in Delum 165. *'Αλλά οἱ ἐκ μοιρέων τις ὀφειλόμενος θεὸς ἄλλος 'Εστί.*

Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuae; nec te, carissime coniunx,
Incassumve tuos volui exercere labores;
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Aeneae flevissem saepe laborem.
Nunc Iovis imperiis Rutulorum constitit oris:
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx.
Adspice, qui coeant populi, quae moenia clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat; et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Accepit solitam flammam; notusque medullas
Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit:
Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit laeta dolis et formae conscia coniunx.
Tum pater aeterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi, diva, mei? Similis si cura fuisset:
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
Nec Pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque haec tibi mens est,
Quidquid in arte mea possum promittere curae,

Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset. Heinsius versum deleri volebat. Broukhusius a suo MS. abesse annotavit. Sed ita sententia non constat. Neque est quod offendamur repetitione. Habet vim, quae magis ita sentitur: *Si tibi cura fuisset, mihi fas fuisset.* Nec simile est illud, quod mutavimus, VII. 653. *patriis qui laetior esset Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.* Heynius versum recte tuetur.

Quod fieri ferro liquidove potest electro,
Quantum ignes animaeque valent; absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.

Absiste precando Viribus indubitare tuis. Credo hoc esse genus quoddam aposiopesios. Ex nostri sermonis more haec ita erant scribenda: *Quantum ignes animaeque valent* — — *absiste precando Viribus indubitare tuis.* Quidquid curae tibi possum promittere, noli dubitare, quin id omne libens tua gratia facturus sim. Cessa igitur precari. Nam non intelligis, quantum apud me valeas.

Placidumque petivit Coniugis infusus gremio per membra soporem. MSS. variant, *in gremio fusus*, *infusum;* Burmannus coniicit: *placidusque petivit Coniugis infusum gremio per membra soporem.* Heynius iungit: *Vulcanus infusus gremio coniugis petivit placidum soporem per membra.* Ego *soporem per membra petere* non Latinum arbitror. Iam *infusus gremio*, est qui se fuderat in gremium, in gremio procubuerat, ut dicimus *fusus in herbis.* Et sic Ambrosius Hexaem. V. 7. accepisse videtur: *quae se in gremium viri infundit.* Simplicissimum est, haec verba emendare: *placidumque petivit Coniugis in gremio, fusum per membra, soporem.* Omnia Latina. Postquam Vulcanus dederat optatos amplexus, petivit placidum soporem in gremio coniugis, qui cito illi per membra fundebatur. Sopor *funditur*, tritum est. Silius VI. 97. *fundit sopor mitem per membra quietem.* Sulpitius Severus pag. 529. *somnus per membra diffunditur.* Appuleius Metam. III. pag. 211. *Iamque luminibus nostris, vigilia marcidis, infusus sopor etiam in alium diem nos attinuit.* Virgilius I. Aeneid. 691. utitur alio verbo: *At Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat.* Ubi vide Heynium, et interpretes ad Silium VIII. 121. Eoque magis iungenda censeo *sopor per membra fusus*, quia alioquin in egregio hoc loco, cuius verecundiam admirabatur Annianus apud A. Gellium N. A. VIII. 10. *membra* paulo incautius essent nominata, quod ipsum reprehendebat Cornutus, teste eodem Gellio. Sed aeque reprehendendum putem, si Vulcanus *in gremio Veneris infusus* diceretur. Esset enim ambiguum, quia accipi et posset pro *resolutus*, ἐκχυθείς. Longe honestius illa dicta sunt Georgicor. II. 323. *Vere tument terrae et genitalia semina poscunt. Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.*

Inde, ubi prima quies medio iam noctis abactae
Curriculo expulerat somnum; quum femina primum,

Inde, ubi prima quies. Est in comparatione mitis lepos. Pertinet locus ad *dulces affectus*, quos Quintilianus in Livio admiratur. Vulcanus tanta cura urguetur ut Veneris mandata perficiat, quanta mulier vidua, ut proli egenae sua diligentia prospiciat. Vidua paucas somni horas sibi permittit, Vulcanus etiam. Neutrum sollicitudo altius dormire sinit. Vis comparationis praecipue in eo sita, *ne tempus somno perdatur.* Comparationis suavitas adeo placuit Ambrosio, ut bis expresserit. Hexaem. V. 24. *Hinc* (lusciniam) *imitata tenuis illa mulier, sed pudica, in usum molae lapidem brachio trahens, ut possit alimentum panis suis parvulis non deesse, nocturno cantu moestum paupertatis mulcet affectum.* Idem de Viduis 5. *Bona illa et plane laboriosa stipendia castitatis, quae de suo opere quotidianoque penso conferat vidua, nocturnis pariter ac diurnis iugi exercens lobore pensa temporibus, et pudicitiae quaestuosae pervigili opere mercedem congregans, ut intemeratum defuncti coniugis cubile custodiat, alere dulces liberos possit, ministrare pauperibus.* Alia, eaque poetarum, vide apud Heinsium ad Valerii Flacci IV. 223. Haec annotavi propter Heynium, qui praeclare quidem ornatam comparationem agnoscebat, sed hic non opportune intextam arbitrabatur.

Prima quies medio iam noctis abactae Curriculo expulerat somnum. Postquam ex primo somno evigilaverat, idque iam media nocte. Alii accipiunt *postquam primum evigilaverat.* Gratior, puto, hic est commemoratio *primi somni*, qui solet esse altior, et tamen Vulcanus expergiscitur iam media nocte. *Nox abacta* non placet. Est epitheton valde otiosum. *Medio noctis curriculo* sufficit. Heynius interpretatur *abigere noctem* pro vulgari *exigere, agere.* Hoc esset, si recte intelligo, *media nocte, quam Vulcanus in lecto exegerat, transegerat.* Sic epitheton etiam magis fit otiosum. *Nox abacta* significat, *e coelo acta, finita* adeo. Sed nondum erat *finita*, quae appelletur *media.* Aurora Noctem *abigit*, pellit. Hinc Statius Theb. I. 232. *Vix lucis spatio, vix noctis abactae Enumerare queam mores gentemque profanam.* Scribe OPACAE pro ABACTAE. Hoc neque supervacuum est, et cogitatio *tenebrarum* auget diligentiam Vulcani. Virgilius IV. Aen. 123. *nocte tegentur opaca.* VII. 657. *dono noctis opacae.* Ovidius Heroid. XVI. 47. *metuendaque noctis opacae visa.*

Quum femina primum, Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva Impositum. Hoc etiam illis adversatur, qui supra explicant *prima quies*, pro *ubi quies primum.* Esset enim *ubi primum quies, ubi primum femina.*

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignis,
Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Coniugis, et possit parvos educere natos:
Haud secus ignipotens nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.

Sed ne ferendam quidem vocabuli iterationem indico, si de *primo somno* accipimus. Ego pro PRIMVM scribendum arbitror DVRAM. Nam quid est *primum?* Inspice locum. *Media nocte, quum primum femina suscitat ignes;* quid aliud significant quam, *media nocte, simul atque femina ignes suscitat;* quod non nisi per multas ambages ad locum praesentem accommodari potest. Burmannus distinguebat: *quum femina, primum Cui tolerare* sq. cuius *praecipua cura*, officium est, lana ac tela victum quaerere. Vix Latinum hoc est. Legamus: *Quum femina duram Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva Impositum.* Iam veteres Grammatici animadverterunt Virgilio ante oculos fuisse Terentium Andr. I. 1. 47: ibi Donatum, hic Servium similitudo tetigit. *Haec vitam parce ac duriter Agebat, lana ac tela victum quaeritans.* Terentius ista dixit ad naturae veritatem. Virgilius, acutissimus ille in ea veritate sentienda, qui singula vocabula ponderabat, illud *duriter* non omisisset.

Famulasque ad lumina longo Exercet penso. Claudianus in Eutrop. II. 372. *Qualis pauperibus nutrix invisa puellis Assidet, et tela communem quaerere victum Rauca monet, festis illae lusisse diebus Orant, et positis aequaevas visere pensis.* Ubi pro *orant*, quod merito culpat Gesnerus, scribendum *mallent.* Valerius Flaccus II. 135. *Illa abit, et mediam gaudens defertur in urbem: Et primam Eurynomen ad proxima limina Codri Occupat, exesam curis, castumque cubile Servantem; manet illa viro; famulasque fatigat Litoribus: tardi reputant quae tempora belli Ante torum, et longo mulcent insomnia penso.* In quo loco multa sunt explicanda: Ad *proxima limina Codri*, pro ad limina *Codri proximi*, vicini. Pro *manet illa viro*, legendum *viri;* ut dicimus *tua maneo*, σὴ μένω, *sum Caesaris.* Pro *litoribus*, bene reposuerunt *velleribus.* Famulae *reputant*, tempora belli, est *numerant*, sperantes fore ut bellum brevi sit finitum. Sic Ovidius Heroid. II. 7. *Tempora si numeres, bene quae numeramus amantes.* Claudianus de Laud. Stilich. III. 3. *tempora desine longae Dinumerare viae.*

Insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturae Chalybum, et fornacibus ignis anhelat;
Volcani domus, et Volcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens coelo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quae plurima coelo
Deiicit in terras; pars imperfecta manebat.
Tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
Addiderant, rutili tris ignis et alitis austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucris
Instabant; quibus ille viros, quibus excitat urbis;

Fornacibus ignis anhelat. Valerius Flaccus III. 208. *Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat Vesvius, attonitas acer cum suscitat urbes.*

His informatum manibus. Praestaret, credo: *His informatum in manibus.* Cyclopibus *fulmen in manibus erat*, informatum et inceptum, cuius iam pars esset polita. Servius *in* deesse ait. Non credo aliquem dixisse: *liber est manibus* pro *in manibus.*

Tris imbris torti radios. Non est dubium, quin poeta hoc sumserit ex Graeco. Superest huiusmodi lusus in Anacreonteis Od. XLV. ubi Vulcanus *Παρὰ Λημνίαις καμίνοις Τὰ βέλη τὰ τῶν Ἐρώτων Ἐποίει λαβὼν σίδηρον. Ἀκίδας δ' ἔβαπτε Κύπρις, Μέλι τὸ γλυκὺ λαβοῦσα. Ὁ δ' Ἔρως χολὴν ἔμισγεν.* Adde Horatii Carm. I. 13. *Oscula, quae Venus Quinta parte sui nectaris imbuit.*

Quibus ille viros, quibus excitat urbis. Cum in Venet. inveniatur *excitet*, suspicetur fortasse aliquis reponendum *exciet.* Frequens Virgilio verbum in hac re, unde et *excitus*, et Ausonia *inexcita.*

Aegidaque horriferam, turbatae Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque anguis, ipsamque in pectore divae
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores,
Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem:
Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Praecipitate moras. Nec plura effatus; at illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti: fluit aes rivis, aurique metallum;
Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbis
Impediunt. Alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque: alii stridentia tinguunt
Aera lacu. Gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris:
Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.

Aegidaque horriferam. Id est *clipeum.* Mox per *connexosque angues* sq. describit thoracem.

Ipsamque in pectore divae Gorgona. Mallem, *ipsamque in pectora divae Gorgona desecto vertentem lumina collo.* Vulgata sunt difficilia. Heynius interpretatur *vertentem lumina* de oculis *torvis*, *obliquis*, ex ira et furore, vel de *inversis*, *deiectis* et occlusis, quippe in capite reciso. Wagnerus, de oculis *huc illuc se flectentibus*, tamquam vivis. Nostra interpretatio est: *Gorgo*, *cui collum erat desectum*, *et oculi in pectus Palladis conversi*, tamquam minas ne in morte quidem remittat. In Servianis etiam haec est explicatio: *lumina adversa habentem*, ut habuit, cum secaretur ei collum, et quaereret adspectibus vindicari.

Et matutini volucrum sub culmine cantus. Dubitant interpretes, sintne *galli gallinacei* an *hirundines.* Vo-

Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;
Tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem,
Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.
Nec non et gemini custodes limine ab alto

lucres, ni fallor, ut ὄρνιθες, faciunt pro *gallis*. Et sic accepit Corippus in Laudem Iustini: *Omnia gallorum strepuerunt culmina cantu.* Caetera Heynius sic accipit: »Sub lucis ortum et voluerum cantum rex evigilavit." Ego illud *sub culmine* vix intelligo, nisi ex antecedenti versu repetas, culmine *tecti humilis*. Sed galli gallinacei sub culmine regiae, quamvis simplicis, nimis rusticum est. Burmannus modo *sub culmine* pro *in culmine*, modo pro *in monte*, modo pro *rustica casa* accipit. In MSS. nullum est emendandi subsidium, nisi quod in nonnullis legitur *sub culmina*, et in Menag. *sub tegmine*. Si pro SVBCVLMINA scribis CERTAMINA, habebis versum et sententiam multo veriorem. *Et matutini volucrum certamina cantus. Cantus matutini, certamina volucrum*, quos cantus aves omnis generis certatim edunt, altera alterius voce incitata. Ita posuit Silius IV. 85. *ripis tum mitis opacis Argutos inter volucrum certamina cantus Somniferam ducit lucenti gurgite lympham.* Idem alio loco Virgilium respexit, XIV. 22. *Et matutinos volucrum tramittere cantus.* Praeivit Sophocles in Electra, iam ab interpretibus monstratus: *Ὡς ἡμῖν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας Ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ.*

Tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem, Demissa ab laeva pantherae terga retorquens. Si alterum utrum legeretur, vel *subligat lateri*, vel *subligat humeris*, nihil dicerem. Nunc *humeris* valde otiosum est. Quod enim subligatum est *lateri*, id subligatum esse *humeris*, omnes intelligunt. Nec facile explicabitur, quid sit *gladius ab humeris* in balteo dependens et *lateri subligatus*. Tum *retorquens* non recte cum *inducitur*, *circumdat*, *subligat* iungitur. Ferrem, si legeretur v. e. post vs. 463. *Hospitis Aeneae sedem et secreta petebat, Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.* Fortasse, transpositis vocabulis, haec ita scribenda sunt: *Tum lateri ab laeva Tegeaeum subligat ensem, Demissaeque humeris pantherae terga retorquet.*

Limine ab alto. Virgilius tam saepe Euandri paupertatem, *humile* et *angustum* tectum, memoravit, ut hic *limen altum* tali regiae dare non potuerit. Burmannus cogitabat de limine domus *in monte positae*, alii de limine paullo *altioribus gradibus* sur-

Praecedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Aeneae sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris, heros.
Nec minus Aeneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi iungunt dextras, mediisque residunt
Aedibus, et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior haec:
Maxume Teucrorum ductor, quo sospite nunquam
Res equidem Troiae victas aut regna fatebor,
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguae vires: hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis
Iungere castra paro: quam fors inopina salutem

gente. Alii alia comminiscuntur. Marklandus coniicit *lumine ab arto*. Mihi pro ABALTO in mentem venit APERTO. Virgilius VIII. 585. *exierat portis equitatus apertis*. Euandrus limen aperit, canes procedunt. Confunduntur ista vocabula etiam VIII. 523. XI. 493. et in Ovidii Art. II. 245. Est ea canum natura, ut impatientes exspectent liminum apertur am.

Licito tandem sermone fruuntur. In quibusdam MSS. *Latio*, *placido*, unde Schraderus *placito*. Possis etiam *tacito*. Utrumque, ni fallor, melius quam *licito*. N. m hoc esset: fruuntur *sermone*, *quo frui licet*; tandem iis sermone frui licuit. At hoc etiam hesterno die licuit, sed non *tacito*, *solo*, remotis arbitris.

Rex prior haec. In duobus Codd. additur *ait*. Virgilius *maxime* praetermittere noluit. Potuisset enim: *Rex prior haec: Teucrum ductor, quo sospite* sq. Comparandum est Heleni dictum eidem Aeneae apud Ovidium Metam. XV. 440. *Non tota cadet te sospite Troia.*

Pro nomine tanto Exiguae vires. Ambigue, sitne pro *tuo et Troianorum nomine*, an *Euandri et Arcadum*, vel *belli nomine*. In nonnullis MSS. legitur *nobis auxilium belli*. Hinc mallem: *Nobis auxilium belli pro nomine tanti Exiguum vires.* In nostris ipsorum viribus auxilium est exiguum pro tanto bello.

Opulentaque regnis Iungere castra paro. Iterum ambigue *regnis regum*, qui praesunt populis ingentibus, an *regnis tuis*, regno Troia-

Ostentat. Fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinae sedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes! quid facta tyranni
Effera! di capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam iungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus ora,
(Tormenti genus) et sanie taboque fluentis
Complexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque;
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
Ille, inter caedem Rutulorum elapsus, in agros
Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis;
Regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt.
His ego te, Aenea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensae litore puppes,

norum. Fortasse melius: *opulentaque regum Iungere castra paro.* Auxilia regum et populorum. Servius: »*Ingentes populos* non sine caussa dixit. Nam Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est, *reges*, quibus unus praeerat." Iam *castra opulenta*, potentia, *regum* melius appellantur, quam *opulenta regnis.*

(*Tormenti genus*). Servius: »Exclamatio est inventi supplicii et detestatio." Scribe: *et detestatio inventi supplicii.* Edendum erat: (*Tormenti genus!*) sic melius distinguitur a formula Grammatica, qua v. c. utitur Festus in *Clitellae: tormenti genus.* et Ovidius Metam. VIII. 782. *Moliturque genus poenae miserabile.* Burmannus iam animadvertit imitationem Valerii II. 195. Adde Senecam Troad. 783. *O morte dira tristius leti genus!* Lucanus alio modo appellat II. 152. *Busta repleta fuga, permixtaque viva sepultis Corpora.*

Signaque ferre iubent; retinet longaevus haruspex
Fata canens: O Maeoniae delecta iuventus,
Flos veterum virtusque virum, quos iustus in hostem
Fert dolor, et merita accendit Mezentius ira,
Nulli fas Italo tantam subiungere gentem;
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divom.
Ipse oratores *ad me* regnique *coronam*
Cum sceptro misit, *mandatque* insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus
Invidet imperium, seraeque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
Hinc partem patriae traheret. Tu, cuius et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
Ingredere, o Teucrum atque Italum fortissime ductor.

Externos optate duces. Servius: »*Votis* scilicet: vel certe *exspectate*, *legite.*" Ubi scribendum: *Legite*, votis scilicet: vel certe *exspectate.*

Ipse oratores. Duo versus, ut nunc leguntur, vel mediocri poeta indigni sunt. Quivis admonitus, credo, sentiet. *Regni corona* novum est, ut iam Heynius animadvertit. Frequens invenitur apud scriptores aevi medii, v. c. *corona regni Longobardici.* Iam *regni insignia* sunt *corona et sceptrum.* Quis iste est verborum ordo, quem videmus? Iustus esset: *ipse ad me mittit regni insignia*, *coronam cum sceptro.* Et cur *misit* et *mandat*, nec *mandavit* vel *mittit?* Quamquam illud *mandat* omnino nihili est. Heynius annotavit: »*Mandatque insignia*, simpl. mittit insignia regni, ex Etruscorum more, illa scilicet ipsa, quae memoravit; tacet reliqua, *sellam eburneam*, *tunicam palmatam*, *togam pictam.*" Esset igitur *mittit et mittit sceptrum.* Putidum est simplex *mittendi* factum duobus verbis exprimere. Nec *mandat* interpretari licet *meae fidei mandat*, *mihi credit.* Nam *misit*, tamquam vero regi. Suspicor Grammaticum, ut explicaret *insignia regni*, *sceptrum et coronam* adiecisse, hinc, ut versus staret, venisse *mandatque.* Virgilius fortasse scripsit: *Ipse oratores regnique insignia Tarchon Misit.* Versus non integer, ex uno vocabulo compositus, laetiorem glossae occasionem praebebat.

Hunc tibi praeterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adiungam: sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat; defixique ora tenebant

Sub te tolerare magistro. Aliquanto plus, *sub te magistro*, quam *te magistro.* Statius Theb. II. 439. *nec duri tanto sub teste labores.* Conf. Schultingius ad Senecam Suasor. VII, et Burmannus ad Valerii Flacci VII. 419. Interea Sil. us hoc metro dedit, ut praepositionem omiserit, XV. 359. *Huc, decus, huc, nostrum, lateri te iunge paterno, Et me disce novum Martem tentare magistro.*

Primis et te miretur ab annis. Est illa salutaris admiratio, quae parit imitationem. Graece θαυμάζειν. Hinc Tacitus Agric. 46. *admiratione te potius, et, si natura suppeditet, similitudine decoremus.* Imitemur te, tibique similes fiamus. Verbi vim egregie illustraverunt Cortius ad Plinii Epistolas pag. 222, et Arntzenius ad Aurel. Victorem pag. 596. Locum Virgilii laudavit Schol. Lucani IX. 807.

Arcadas huic equites bis centum, robora pubis Lecta, dabo. Euandrus, Arcas, loquitur. Dabo, ait, tibi equites bis centum Arcadas. Nulla est caussa, cur *Arcadas* addiderit. Longe elegantius putarem: *Arcadiae huic equites bis centum robora pubis Lecta dabo.* Ut Catullus Epithal. 4. *Lecti iuvenes, Argivae robora pubis.* Ipsum vocabulum exposuit Burmannus ad Valerii Flacci II. 644.

Totidemque suo tibi nomine Pallas. In quibusdam Codd. *sibi*, quod Heinsio et Burmanno placet. Ego non admittendum iudico. *Tibi* requiritur propter oppositum: *Dabo Pallanti bis centum: Pallas tibi dabit bis centum.* Pallas tecum hinc ad bellum proficiscetur. Ibitis, singuli cum ducentis equitibus. Pallas a me habebit ducentos, tu a Pallante ducentos. Si legas *sibi*, est: *dabo Pallanti ducentos, Pallas ipse sibi dabit ducentos.* Et dubito an Latinum sit *suo sibi nomine tibi dabit.* Illud *sibi*, redit ad eandem personam: ut *suo sibi succo vivunt; suo sibi tempore factus est consul.* Terentius Adelph. V. 8. *Suo sibi hunc gladio iugula*, id est, *iugulatur suo sibi gladio*, a me. Pallas donabit te bis centum equitibus suo nomine, non *suo sibi nomine.* Donaberis a Pallante bis centum equitibus, *suo ipsius nomine.*

Aeneas Anchisiades et fidus Achates;
Multaque dura suo tristi cum corde putabant:
Ni signum coelo Cytherea dedisset aperto.
Namque improviso vibratus ab aethere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
Suspiciunt; iterum atque iterum fragor increpat ingens.
Arma inter nubem, coeli in regione serena,
Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.
Obstupuere animis alii; sed Troius heros
Agnovit sonitum et divae promissa parentis.

Multaque dura suo tristi cum corde putabant. Quum Burmannus rogabat an legendum esset *duo* pro *suo*, non cogitabat illud *suo* esse antiquae simplicitatis. Ennius: *Teque pater Tiberine tuo cum flumine sancto.* Unde ipse Virgilius VIII. 72. *Teque, o Thybri, tuo genitor cum flumine sancto.* VIII. 568. *Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam, Nate, tuo.* Nota praeterea formula *cum animo suo putare, reputare, cogitare*, de qua Cortius ad Sallustii B. Iugurth. 13. *Tum Iugurtha, patratis consiliis, in otio facinus suum cum animo reputans.* Ubi fortasse etiam scribendum est *suo cum animo reputans.*

Coelo Cytherea dedisset aperto. *Resoluto*, reserato, sereno, cui opponitur coelum *clausum.* Vide Burmannum ad Valerii Flacci I. 655.

Cum sonitu venit. Seneca Quaest. Nat. VI. 22. citat, *sonitu venit.* Gronovius putabat, quia hoc aeque Latinum esset. Fortasse a librariis omissa praepositio.

Per sudum rutilare vident. Latinum esse *per sudum*, nemo negabit. Ita Horatius dixit *per purum.* Atque illud ipsum *per sudum* est apud Valerium Flacc. II. 115. Sed supra iam dixit *coelo aperto*, et *in coeli regione serena*, quae omnino eadem sunt atque *per sudum.* In Cod. Romano est *per suidum.* Hinc scribendum iudico *per subitum.* Atque ita legisse videtur Silius XV. 138. *Dumque ea confuso percenset murmure vulgus, Ecce, — ferri inter nubila visus Anguis — et vaga late Per subitum moto strepuere tonitrua mundo.* Virgilius IX. 31. *per tacitum.* Virgilius illud *repentinum* iteravit: *improviso, repente, per subitum.* Sed hoc mire facit ad augendum terrorem, et hic nova res narratur. Fuisse olim qui legerint *persudum*, apparet ex Novo Thesauro Latinitatis, apud Maium T. VIII. Class. Auct. pag. 469.

Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quaere profecto,
Quem casum portenta ferant; ego poscor Olympo.
Hoc siguum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Volcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!
Quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta virum galeasque et fortia corpora volves,

No vero hospes, ne quaere profecto. Nunquam duplex illud *vero profecto* ferre potui. *Ne vero quaere, ne profecto quaere.* Alterum utrum, vel, *o hospes ne profecto quaere*, vel *ne vero quaere*, Latinum est. Silius XVI. 127. *Ne vero, no nate, deum tam laeta pavesce Prodigia.* Sensisse videntur in Venet. ubi legitur: *Tum vero memorat: hospes, ne quaere profecto.* In aliquot Pierianis: *No quaere hospes, ne quaere profecto.* Bothius coniiciebat: *Nunc vero hospes, (ne quaere profecto Quem casum portenta ferant) ego poscor Olympo.* Vocabulis, ni fallor, transpositis, versum faciemus longe meliorem: *Ne vero, hospes, ne quaere, ferant quem Haec casum portenta: profecto ego poscor.* Monosyllabum in fine non magis offendere debet, quam alibi *secat spem*, *humi bos.* Iam *profecto* nativam, suam habet vim. *Profecto ego poscor.* Nullum est dubium. Noli dubitare. Liv. I. 36. *Quum illo, in augurium rem expertus, profecto futuram dixisset.* Loquitur ibi Attius Navius. Lucanus VII. 445. *sunt nobis nulla profecto Numina.* Vide Guietum ad Lucani IX. 1084.

Ego poscor Olympo. Poscitur Olympo, Olympus aliquem poscit, qui fiet Divus, moritur, in Olympum vehendus. Ita saepe poetae. Recordor Claudiani Cons. Honorii III. 161. *me quoniam coelestis regia poscit.* Talis sententia hic est aliena. Ergo Heynius explicat: »Olympus me vult, respicit: ad me ostentum aeris spectat, nihil est, quod vos terreamini." Sed etiam in hac explicatione *Olympo* molestum est, et rem facit semper ambiguam. Omnino sufficit *ego poscor*, ego petor, portenta ad me pertinent, me spectant. Mea res agitur, mea opera ad hoc bellum feliciter peragendum quaeritur. Additum *Olympo* est otiosum. Ovidius Metam. II. 144. *non est mora libera nobis: Poscimur.* Cui similia quaedam annotavit Bentleius ad Horatii Carm. I. 32. Quare distinguendum puto: *profecto ego poscor: Olympo Hoc signum cecinit missuram diva creatrix.* Signum *Olympo mittere*, ut XII. 245. Inuo, *alto dat signum coelo.* Et saepe animadverti castigatos scriptores ita potius loqui, quam *a coelo*, *ex coelo.*

Thybri pater! Poscant acies, et foedera rumpant.
  Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto;
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem parvosque Penatis
Laetus adit; mactant lectas de more bidentis

Et primum Herculeis sopitas ignibus aras Excitat. Illud *Herculeis* non intelligo. Heynius coniicit *Herceis*, id est *aras Iovis Hercei.* Wagnerus putat, Aenean sacra fecisse *Herculi in ara Maxima*, quem Herculem praecipue venerabatur, et quia deus iste prae caeteris ab Euandro erat cultus, at quia ipse, rebus, quarum caussa venerat, feliciter peractis, nunc maiores agitabat. Sed Aeneas prae caeteris venerari debebat Iunonem. Honos, Herculi praestitus, Iunoni displicere debuit. *Ara Maxima* erat extra urbem in luco. Sacra, hari facta, erant anniversaria. Si Aeneas eximium hunc honorem Herculi tulisset, additum aliquid esset, unde intelligeremus. Sequentia *hesternumque Larem parvosque Penatis Laetus adit* ita cum antecedentibus *excitat aras* iunguntur, ut unum idemque factum indicare videantur. *Herceis* pro *Herculeis* est elegans coniectura, et in MSS. haec vocabula confunduntur: vide Oudendorp. ad Lucani IX. 979. Caussa vero non satis idonea hoc tempore apparet, cur, si habuerit Euandrus aram Iovis Hercei, Iovi Herceo potissimum sacra faceret Aeneas. Relinquit domum Euandri hospitalem. Ergo Larem et Penates veneratur et salutat, ignemque in aris praecipui Laris domestici suscitat, eumque et caeteros Penates deos adorat. Equidem pro HERCVLEIS scribendum puto CINEREET. *Et primum cinerem et sopitas ignibus aras Excitat.* Ex literis transpositis pro *cinerēet* scribi potuit *ercineet.* Satis constat Virgilium saepe eandem rem verbis paullum mutatis expressisse. Ecce Aeneid. V. 743. *Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis, Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae Farre pio et plena supplex veneratur acerra. Cinis*, ubi de igne suscitando agitur, tam solitum est vocabulum, ut non credibile sit a Virgilio hic esse omissum. Addidit etiam VIII. Aen. 410. *cinerem et sopitos suscitat ignes.* Ovidius Metam. VIII. 642. *Inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes Suscitat hesternos.* Statius Theb. I. 512. *canis etiamnum altaribus ignes Sopitum cinerem et tepidi libamina sacri Servabant, adolere focos epulasque recentes Instaurare iubet.* Noti sunt ignes *suppositi doloso cineri*, πῦρ ὑπὸ τῇ σποδιῇ.

Hesternumque Larem parvosque Penatis Laetus adit. Non recte iungi possunt *excitat aras et Larem.*

Euandrus pariter, pariter Troiana iuventus.
Post hinc ad navis graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Praestantis virtute legit: pars cetera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva;
Ducunt exsortem Aeneae; quem fulva leonis

Lar dicitur pro *foco*, sed ita fere, ut est v. c. Horatianum illud, *sedent circum renidentes Lares*, quia Lares stabant iuxta focum. *Larem excitare, extinguere*, pro *ignem*, non dici credo. Et *Larem hesternum* adit, pro *quem heri iam adierat*, valde mihi suspectum est. Scribendum puto: *Arcadiumque Larem parvosque Penatis Laetus adit*. Ita et hie versus plane respondet alteri, quem modo laudavi ex Aeneidos V. 743. *Pergameumque Larem et penetralia Vestae veneratur*. Magnum hoc est argumentum, quod ex similitudine duorum locorum ducitur. Qui Virgilii consuetudinem tenet, hie inprimis veritatem sentiet. Recte Aeneas adit Larem Arcadium Euandri cum precibus. Nota est formula, iam ex Duodecim Tabulis, *deos adire*. Et sic optime Heynius accepit. Nam de *domo* interpretari non licet, quia Aeneas domum Euandri nondum reliquerat, neque ideo sacra fecerat in ara Maxima Herculea. Abiturus autem veneratur Larem et Penates. Ea erat religio. Ovidius Trist. I. III. 43. *Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis Contigit exstinctos ore tremente focos; Multaque in aversos effudit verba Penates, Pro deplorato non valitura viro*. Ubi pro *Lares* scribendum puto *Larem*, quia *Lar familiae* in diis domesticis fuisse videtur princeps, et diversus a *Penatibus*. Plautus Mercat. V. 1. *Limen superum inferumque salve, simul autem vale, Ego mihi alios deos Penates persequar, alium Larem*. Livius I. 29. *Quum Larem ac Penates, tectaque in quibus natus quisque educatusque esset, relinquentes exirent*. Hinc apparet, quam bene hic legatur *Larem et Penates*. Heynio talia exempla non in mentem veniebant, quum scribebat *Penates et Larem* sine ulla vi et sine more esse iunctos.

Qui sese in bella sequantur. Secum *in proelium irent*, quod brevi esset committendum, quando copias Tarchontis assumsisset. Opponuntur iis, qui tantum pro nuntiis essent profecturi, ad Ascanium redirent, et fossas et vallum defenderent.

Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subito volgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad litora regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, et maior Martis iam apparet imago.
Tum pater Euandrus, dextram complexus euntis,

Propiusque periclo It timor. Varie interpretantur: *propior est periculo, cum periculo, periculo instanti, non longe a periculo abest.* Impeditum, ait Heynius, quocunque te verteris. Et ego diu haesi. Nunc ita explico. Matres duplicant vota *in metu*, et timor *in periculo it propior*, propius accessit, *magis eas sollicitat.* Tacitus Agric. 16. *Tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex Legato timor agitabat.* Ibi Ernestus annotavit: »*Propiora* exquisite dicuntur, quae magis ad nos pertinent, adeoque magis nos sollicitant." Vere. Neque differunt *timor propius agitat* et *propius it*, nisi quod *agitat* est paullo vehementius. Vide similia exempla. Valerius Flaccus 514. *letique metu propioris anhelae:* 544. *quantumque propinquat Phasis et ille operum summus labor, hoc magis angunt Proxima:* 637. *Omnibus extemplo saeva sub imagine rupes Cyaneae, propiorque labor.* Silius I. 32. ubi Iuno videt *Romanos mittere classes trans mare, Iam propius metuens, bellandi corda furore Phoenicum exstimulat.* Idem IV. 772. *Sed propior metus armati ductoris ab ira Et magna ante oculos stabat genitoris imago.* Clara Virgilii imitatio. Habuit quoque ante oculos XV. 698. *Sed postquam gravior moles terrorque periclo Poscebat propiore virum.* Seneca Medea 521. *Acastus instat. Propior est hostis Creon.* Phoeniss. 323. *Non sunt minae. Iam propius accessit malum.* Hegesippus Excid. Hieros. IV. 31. *Plus enim propiora terrent pericula.* Hinc sententia illa, Senec. Troad. 515. *Levius solet timere, qui propius timet;* ut Horatius Epod. I. *Comes minore sum futurus in metu, Qui maior absentes habet.* Iam videmus quid in Virgilio sit in *periculo*, ubi ipsum periculum adest, *timor it propius*, fit gravior. Sed, dicit Heynius, *it timor*, pro *grassatur*, vix usu probari potest. Sequentia, ni fallor, probare poterunt. Lucanus VII. 544. *semel ortus in omnes It timor.* Seneca Hippol. 553. *Tum scelera, demto fine, per cunctas domos Iere.* Statius Silvar. I. 1. 65. *it fragor.* Ipse Virgilius VII. 637. *It bello tessera signum*, pro *discurrit*, ut in simili re dixit Silius. Priorem versus partem *vota metu duplicant matres* citavit Schol. Horatii Carm. I. 1. 25.

Haeret, inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
O mihi praeteritos referat si Iupiter annos!
Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi scutorumque incendi victor acervos,
Et regem hac Erilum dextra sub Tartara misi;
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: *cui tum tamen omnis*

Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa Stravi. Si *prima acies* opposita *secundae* et *tertiae*, non video, cur *primam* memoraverit. Non enim satis stravisse *primam*, si reliquae maneant invictae, neque sat magna laus *primam* stravisse, sed *totam*, vel simpliciter *stravisse aciem*. Si *primam* aciem stravi, pro *primum* stravi aciem, cogitandum est de aliis proeliis, quibus et postea Praenestinos stravit, quod obscurum. Iam ad *stravi aciem sub Praeneste*, addendum oportebat, *quorum* aciem; nam *Praenestinorum* neque necessario ex *Praeneste* intelligitur, et dura est ipsa ellipsis. Denique *ipsa*, cum *Praeneste* iunctum, aliquid postulat, quo referatur, unde vis pronominis intelligatur, alioqnin friget. Habebimus illud et omnino pulchriorem sententiam, si pro ERAMQVVMPRIMAM scribamus PRAENESTINAM: nisi statuamus *eram quum* ex glossa esse profecta. *Qualis Praenestinam aciem Praeneste sub ipsa Stravi.* Magna laus inveni, vicisse *Praenestinos;* maior, vicisse *in sua ipsorum regione;* maxima, *sub ipsa Praeneste.* Dicti tamen apparet ex responso quod Antalcidas dedit Atheniensi. Atheniensis gloriabatur: Ἡμεῖς μέντοι πολλάκις ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ Κηφισοῦ ἐδιώξαμεν: excepit Antalcides: ἀλλ' ἡμεῖς γ' οὐδέποτε ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ Εὐρώτα. Narrat Plutarchus in Vita Agesilai cap. 32. additque simile ignobilis Spartani dictum Argivo. Argivus: πολλοὶ ὑμῶν ἐν τῇ Ἀργολίδι κεῖνται. Spartanus: ὑμῶν δέ γ' οὐδεὶς ἐν τῇ Λακωνικῇ.

(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda. Dedit *nascenti tres animas*, recte. Dedit nascenti *terna arma movenda*, minus recte. *Arma movere*, est *arma quatere*, hosti inferre. Quare melius interpungetur: *(Horrendum dictu) dederat: terna arma movenda, Ter leto sternendus erat.* Atque hanc interpunctionem iam Heynius proposuit. Ter, ait Euandrus, arma contra eum movere debui, ter leto erat sternendus.

Cui tum tamen omnis. Maluissem Virgilius ista omisisset, ac forte omisit. Est inanis repetitio. Omnia iam dicta sunt illo versu: *Et regem hoc*

Abstulit haec animas dextra, et totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer umquam,
Nate, tuo; neque finitimo Mezentius umquam
Huic capiti insultans, tot ferro saeva dedisset

Erilum dextra sub Tartara misi, qui tres animas habebat, ter igitur a me occidendus. *Cui tum tamen*, humile.

Totidem exuit armis. Intellectu difficile, nisi ridiculam tibi imaginem informes. Virgilius non dicit *Erilum tria corpora* habuisse, sed *tres animas;* in uno igitur corpore. *Una anima amissa* letali vulnere, supererant *duae*, duobus vulneribus itidem expellendae. Si Erilus habuit *tria coniuncta corpora*, *tres dextras*, quomodo ea corpora deinceps interimere et armis spoliare potuit? Nisi dicas corpora interemta uni vivo cohaesisse, et, quum etiam hoc anima sua esset privatum, tria corpora simul armis fuisse spoliata. Sed, ut dicebam, ridicula fit imago, qualis Geryonae apud Silium I. 278. sq. et XIII. 200. *Qualis Atlantiaco memoratur litore quondam Monstrum Geryones immane tricorporis irae, Cui tres in pugnam dextrae varia arma gerebant. Una ignes saevos, ast altera pone sagittas Fundebat, validam torquebat tertia cornum, Atque uno diversa dabat tria vulnera nisu.* Silius omisit *spoliationem* et hic et in libro primo. Licet nominari potuisset, sed alia ratione, quam in Virgilianis, ubi Euandrus Erilo *tres animas abstulit*, *trina arma ademit.* Quasi *animae* arma gestarent! Iunge cum *ter leto sternendus;* sic dicendum erat *toties armis exuit.* Sunt fabulae quaedam, quas prudentes poetae non undequaque ante oculos ponunt. Satis ad terrorem dictum *habuit tres animas*, *ter leto erat sternendus.* Si addis *ter armis spoliandus*, facis ut lectores multa rogent, ad quae respondere non facile est. Virgilius artem manus de tabula tollendae melius sciebat. Quid, quod ista de Erili animabus tamquam in parenthesi posita sunt? Nam hoc vult: Utinam essem, qualis Praenestinos et Erilum vici, (qui Erilus ter erat occidendus) te nunc comitarer. Iam longior est parenthesis, quam ne communi quidem senectutis vitio, natura loquacioris, hic excusare licet.

Neque finitimo Mezentius umquam Huic capiti insultans. Varietas Codd. haec est: *finitimus*, *finitimos*, *usquam Mezentius hostis.* Heynius accipit *finitimo* pro *in finitimo.* Burmannus iungit *finitimo ferro*, Wagnerus *finitimo huic capiti.* Heynius tamen edidit *finitimus usquam.* Et hoc mihi optimum videtur, quamquam in nulla omnium scriptura Virgilium agnoscam. *Usquam* fortasse

Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o superi, et divom tu maxime rector
Iupiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis,
Et patrias audite preces: Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,
Si visurus eum vivo, et venturus in unum:
Vitam oro; patior quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris:
Nunc, nunc o liceat crudelem abrumpere vitam,

negligens librarius ex ultimo antecedentis versus vocabulo repetiit, quod in Virgilio aliisque poetis saepe accidit. Neque vero sequentia satis sunt perspicua. Quam *urbem* Mezentius non viduasset? Sine dubio Agyllam, suam urbem, unde eiectus fuit hoc ipso tempore. Ergo Euandrus eum admonuisse videtur, ut mitius regnaret. Sed Mezentius Euandrum contemnebat, capiti illius insultabat. Euandrus, ut dicit Servius, hinc contumeliam ducit, quod finitimos a tyranni iniuria non defenderit. Fatendum tamen Mezentium, nisi aliquid commiserit, quod propius spectaret Euandrum quam crudelitas contra Agyllinos, vix dici posse *Euandro insultasse.* Fortasse alii in coniicienda meliore scriptura erunt feliciores, ego nihil inveni. Sententia quidem haec requiritur: Neque finitimus Mezentius, impune huic capiti insultans, tot ferro dedisset funera, *Agyllinam viduasset civibus urbem.*

Venturus in unum. Wyttenbachius comparavit Graecum εἰς ἓν ἔρχεσθαι.

Nunc, nunc o liceat crudelem abrumpere vitam. Bene mater Euryali Aen. IX. 496. Iovem precatur: *tuo Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo: Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.* Euryalus nempe erat occisus. Euandri vita nondum erat *crudelis*, sed, quamquam curis ambiguis et spe futuri incerta, tamen *felix*, quia complexu tenebat carum puerum, seram suam et solam voluptatem. Si nunc moreretur, abrumpebat *vitam felicem*, certe non crudelem. Fortasse legendum: *Nunc, nunc o liceat, crudelis, rumpere vitam. Si, o Fortuna*, aliquid minaris, nunc potius, *o crudelis*, moriar, quum mori possum felix. Est, ut dicitur, quoddam misericordiae genus, cito perire. Gronovius ad Senec. Med. 1015. quaedam huc pertinentia annotavit, in his illud Senecae, ni fallor: *Rogo, domina, si quid tristius paras*, (hoc est Virgilianum *si aliquem infandum casum minaris*) *celerius confice. Neque enim tam magnum facinus admisimus, ut de-*

Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea sola et sera voluptas,
Complexu teneo; gravior neu nuntius auris
Volneret. Haec genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.
Iamque adeo exierat portis equitatus apertis:
Aeneas inter primos et fidus Achates;
Inde alii Troiae proceres; ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
Extulit os sacrum coelo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidae in muris matres, oculisque sequuntur
Pulveream nubem, et fulgentis aere catervas.

beamus torti perire. Valerius Flaccus I. 320. Virgilium expressit, ut iam interpretes viderunt: *nate, indignos adituro labores, Dividimur: nec ad hos animum componere casus Ante datum; sed bella tibi terrasque timebam. Vota aliis facienda deis. Si fata reducunt Te mihi, si trepidis placabile matribus aequor; Possum equidem lucemque pati, longumque timorem. Sin aliud Fortuna parat; miserere parentum, Mors bona, dum metus est, nec adhuc dolor.*

Complexu teneo. Alii *complexus.* Wagnerus *complexus* praefert, quia *complexu* videtur ornatius pro simplicitate tanti affectus. Et est, credo, *complexus teneo* simplicius in forma, pro *complector et teneo.* Sic Ovidius Amor. I. XIII. 39. *At si quem manibus Cephalum complexa teneres.* III. Am. XI. 11. *quam tu complexa tenebas.* Iustin. XXIII. 2. *Discedentes parvuli flebili ululatu amplexi patrem tenebant.* Maxima vis est in *teneo*, *ἔχω: teneo te*, nec mittam. Eximie declaravit Gronovius ad Senecae Herc. Furent. 623. Solum verbum *teneo*, ait, affectus omnes possidet: et proprium est illorum, quibus necessitudines longum desideratae offeruntur insperatae.

Neu nuntius auris Volneret. Marklandus volebat: *nec — volneret.* Et hoc melius. Nunc moriar, dum spes futuri est incerta, dum te teneo, dum tantum metuo, nondum doleo, nec gravior nuntius de morte tua aures meas vulnerat.

Ipse agmine Pallas In medio. Elegans est Marklandi coniectura: *It medio.*

Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt. It clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum late sacer; undique colles
Inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt.
Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi finis aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant

Armati tendunt. Armati, dicit Wagnerus, quod otiosum videri potest, adiectum ad illustrandam agminis proficiscentis speciem. Ego accepi: *arma in manibus habentes*, intenti, tamquam hostem et insidias timerent. Erant in itinere. In itinere saepe milites sunt negligentiores. Cogita v. c. quid in Anabasi Cyro acciderit I. VII. Tacitus Annal. II. 16. *Intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret.* Vide Ernestum.

Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant Castra locis. Fragm. Vatican. et quidam alii Codd. *Tarchon.* Hinc omnino scribendum puto *Tarchon Tyrrhenus castra tenebat.* In Goth. sec. erat *Tyrrhenus.* Virgilius ubique scribit *Tarchon.* Ergo nulla est caussa, cur hic eam consuetudinem desereret. Wagnerus ad VIII. 506. vere docuit, Virgilium omnia Graeca nomina terminasse in *on*, Italica in *o*, ut *Sinon*, *Rapo; Tarchon* autem esse nomen Graecum, ut ipsa prodit adspiratio. Sed, praeter adspirationem, docet etiam significatio. Nam *Tarchon* non est proprium nomen, sed magistratus. *Τάρχων* et *Ἄρχων* non differunt. Graeci et Romani hic fecere, quod centies accidit, corruperunt proprium ex nomine magistratus, sive illud *Τάρχων* ita ab aliis male pronuntiatum acceperint, sive revera Tyrrheni *Tarchontem* pro *Archontem* dixerint, sive ex *τοῦ* ἀρχόντος corruperint. Habebant Tyrrheni duodecim Lucumones, quibus unus praeerat. Is erat, ni fallor, *Archon.* Fortasse annus eius nomine distinguebatur, ut Athenis nomine *Archontis Eponymi.* Virgilius servavit Graecam declinationem, appellans *Tarchontem;* Strabo minus recte *Τάρχωνα*, nisi librarii corruperint.

Tuta tenebant Castra locis. Quaerit Servius, quomodo *castra in tutis locis*, si in valle et campis erant, et e collibus prospici et adiri poterant. Heynius putat, epitheton ex castrorum natura petitum, et castra quovis modo *eos tueri*, qui in iis

Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Iam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Aeneas et bello lecta iuventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus aetherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat; natumque in valle reducta
Ut procul, et gelido secretum flumine vidit:

excubant. Sed castra nonnulla sunt minus tuta, quam campi patentes. Wagnerus interpretatur *tuta ipso situ*, ex parte ipso amne cincta. Nullum enim nisi tale aut huic simile munimentum natura in *latis campis* praebere potuit. Virgilius, credo, illud de *amne* addidisset, v. e. *cincta tenebant Castra vadis*. Sic intelligeremus, quid vellet. *Castra tuta locis* dicuntur, qui erant in locis altis, collibus. Vere Servius: »Intelligamus, quod hodieque videmus et legimus, hanc collium fuisse naturam, ut *planities esset in summo, in qua inerant castra Tarchontis.*" Hanc interpretationem confirmat Statius Silv. V. II. 42. *Bolanus tutis iuga quaerere commoda castris*. Magis etiam Theb. VII. 440. *Haud procul inde iugum tutisque accommoda castris Arva notant, unde urbem etiam turresque videre Sidonias: placuit sedes fidique receptus. Colle per excelsum patulo, quem subter aperto Arva sinu, nullisque aliis a montibus obstant Despectus*. Vide *iugum et arva, colle per excelsum patulo*. Quid aliud sunt Virgiliana, *tenebant castra locis tuta, in colle celso*, in cuius latis arvis, per cuius arva, dorsa patentia, late tendebant?

Celsoque omnis de colle videri Iam poterat legio. Troiani vident Tarchontis legionem, quae erat in celso colle, uno ex istis collibus, celsiore, et libero arboribus. Legio se praebet videndam de colle. Sic Aeneid. III. 647. *vastos ab rupe Cyclopas prospicio.*

Et latis tendebat in arvis. Laudo Fabrum corrigentem *ut tendebat.*

Succedunt. Succedimus tumulos, colles, et omnino loca altiora, quam in quibus ipsi stamus. Ita castigati scriptores semper loquuntur. Vide exempla apud Oudendorp. ad Caesaris Belli Gall. II. 6. Aeneas igitur *collem succedit.*

Et gelido secretum flumine vidit. MSS. *e gelido, haec gelido, ingelido.* Heynius interpretatur: »Vidit solum, in secreto loco, apud flumen." Malim: *natumque in valle reducta Ut procul a gelido secretum flumine vidit.* Aeneas erat in valle reducta solus, *procul a flumine.* Apud flumen, praecipue si vicina sint castra, multi homines versantur. *Procul a*

Talibus affata est dictis, seque obtulit ultro:
En perfecta mei promissa coniugis arte
Munera; ne mox aut Laurentis, nate, superbos,
Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit;
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille, deae donis et tanto laetus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit
Miraturque interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis quum caerula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget;
Tum levis ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas Romanorumque triumphos,

flumine, est, a frequentia hominum. Proba Falconia sic legit. Exstat in illius Centonibus hic versus: *Ut procul a gelido secretum flumine vidit.*

Ille, deae donis et tanto laetus honore. Alii *dona et honorem* synonyma putant, alii *dona honorifica;* Wagnerus *insignem pulchritudinem et splendorem armorum.* Equidem malim: *tanto laetus amore.* Vulgatum vix aliter accipi potest, quam *laetus honore*, quem Venus ipsi praestitit.

Expleri nequit, atque oculos per singula volvit. Melius fortasse comma tolletur. In *expleri* cogitandum quoque *oculos: expleri nequit oculos*, eosque per singula volvit.

Ex aere rigentem, Sanguineam, ingentem. Nihil est in his epithetis, quod ad *nubem caeruleam*, radiis solis inardescentem, referri possit. Nec video quid sit *ingentem.* Erat quidem Aeneas latis humeris et pectore, sed non ita, ut propterea eximie *ingens* appellaretur, aut *ingentem* ei loricam dederit Venus; neque est ea singularis commendatio loricae. Nam lorica quaevis apta est corpori suo. *Ingens* certe nihil ad *splendorem* solis. Lege: *ex aere rigentem, Sanguineum ardentem. Sanguineum ardet*, ut X. 273. cometae *sanguinei lugubre rubent.* Statius Theb. III. 211. *quanti crudele rubebitis amnes!*

Haud vatum ignarus venturique inscius aevi,
Fecerat ignipotens; illic genus omne futurae
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentis pueros, et lambere matrem
Impavidos; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas

Haud vatum ignarus. MSS. alia *fati*, *fatum*. *Fati* longe praefero alteri *vatum*, quod pro *vaticiniorum* vix usurpari arbitror. Et deo Vulcano indignum est, genus Aeneae et res Romanas a *vatibus* cognoscere. Venus ei narrare poterat, quae iam a Iove audiverat. Itaque Vulcanus in scuto caelavit ea, quae fato erant destinata, et Aeneas in fine huius libri humero attollit *famamque et fata nepotum.*

Pugnataque in ordine bella. Dudum conieceram *pugnandaque*, quod et Wagnero in mentem venerat, qui tamen vulgatum tenet, quod poeta respicit aetatem, qua iam pugnata fuerant. Aevum, credo, *venturum* et stirps *futura* requirunt bella *pugnanda*. *Pugnata* aliquid adiectum postularet, v. c. *deinde post.* Formulam *bella pugnata* illustravere interpretes ad Valer. Flacci I. 770.

Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro. Heynius rogat, an distinguendum: *pugnataque in ordine bella Fecerat; et viridi* sq. Wagnerus respondet, non eam esse vim verbi *fecerat*, ut commode per anadiplosin repetatur. Ego aliud rogo. Virgilius supra utitur verbo *fecerat*, ut significet universa in scuto expressa, *res Italas*, *triumphos*, *genus Ascanii et bella.* Iam singula exponit. An recte nunc utitur eodem vocabulo, cum *et* iuncto? Non credo. Nec bene procedunt ista: Vulcanus in scuto *fecerat* res Romanas, *fecerat et Romulum.* Dicendum saltem erat: *fecerat Romulum.* Quae praecedunt, praefationem efficiunt, et continent summam rerum, quas singulatim enarrare orditur. Pro FECERAT ET scribendum puto SPECTARES. Virgilius ista variat. Mox *cernere erat*, *adspiceres*, *videres*, *extuderat*, *finxerat.*

Raptas sine more Sabinas. Wagnerus: *iure gentium violato.* Magis, credo, ex communi formula, pro *temere*, *contra humanitatem*, vel sine exemplo, sine ullo bono more, ut Servius. Post Virgilium de eodem raptu posuerunt Ovidius Art. I. 119.

Consessu caveae, magnis Circensibus actis,
Addiderat, subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post idem, inter se posito certamine, reges
Armati Iovis ante aram, paterasque tenentes,
Stabant, et caesa iungebant foedera porca.
Haud procul inde citae Metum in diversa quadrigae
Distulerant, (at tu dictis, Albane, maneres!)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus

Sic illae timuere viros sine more ruentes. Minutius Felix pag. 228. *Romulus nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit.* Orosius II. 4. *sine more raptas Sabinas.*

Consessu caveae, magnis Circensibus actis. Ludi *magni*, *maximi* postea factum est proprium nomen vel Megalesiis vel Circensibus, ut mallem Virgilius hic abstinuisset. Et fortasse abstinuit, scripsitque: *Consessu caveae magno, Circensibus actis.*

Caesa iungebant foedera porca. Heinsius coniecerat *porco*. *Porca* etiam citat Orosius III. 23. Post hunc versum censeo ponendum qui nunc est 654. *Romuleoque recens horrebat regia culmo.* Stabant ante aras non procul a regia Romuli, casa stramine tecta.

Metum. Dictu difficile est in tanta MSS. varietate, quid Romani scripserint, *Metus*, *Metius* an *Mettius*. Dionysius et Plutarchus habent *Μέτιος*, videntes nimirum in auctoribus suis *Metius*. Pro *Metus* faciunt et plurima MSS. et origo vocabuli. Nam et hoc, ni fallor, est nomen magistratus, a Graeco *Μῆτις*, et *Fuffetius*, vel potius *Suffetius*, coniunctam habet significationem cum Punico *Suffetes*. Ut *Metus* est a *Μῆτις*, ita *Medix* in *Medixtuticus*, magistratu Campano, est a *Μῆδος*, *μήδεος*. Poetae Romani primam in *Metus* constanter producunt. Corripere videtur Ennius, cuius *Metieo Fufetieo* servavit Quintilianus: sed non constat esse finem hexametri. Potest esse initium trochaici octonarii. Quamvis hexametrum malo, et legere *Meteo*. Si a *Meto* deducta sit gens Romana, ea, ex more, appellata est *Metia*, *Meta* appellari non potuit.

At tu, dictis, Albane, maneres. Iam vetusti rerum Romanarum scriptores poenae crudelitatem perfidia Meti excusasse videntur. Excusavit etiam Livius. Quod ad Latinitatem, comparandus Ovidius Metam. I. 678. *At tu, Quisquis es, hoc poteras mecum considere saxo:* et XVI. 637. *Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petisses.*

Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat;
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Adspiceres; pontem auderet quia vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
In summo custos Tarpeiae Manlius arcis

Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres. Schraderus versum abesse malebat. Nescio, quare. Fortasse *et* delendum.

In summo custos Tarpeiae Manlius arcis. Heynius: »In *summo non clipei*, sed in *summo arcis* Tarpeiae." Wagnerus putat, ita suam Manlii personae dignitatem detrahi, qui non simpliciter *custos*, sed custos arcis Tarpeiae esset appellandus. Ergo accipit *in summo clipeo*, ut mox dicitur *in medio*. Quamquam iu *custos* facile cogitatur *arcis Tarpeiae* ex additis *summo arcis Tarpeiae;* et Propertius II. xxv. 61. dixit: *Actia Virgilium custodis litora Phoebi;* atque praefectus vigilum, qui institutus est postquam Galli Capitolium ceperunt, appellatus est *custos Gallicus*, ut annotavit Schol. Iuvenal. Satyr. XIII. 157. gravius tamen est *custos arcis Tarpeiae.* Nec video cur Maulio praecipue tribuatur *summum arcis.* Erant omnes Romani *in summo.* Wagnerus recte addit: »Si aliud in arce *summum*, aliud *imum* fuit, consentaneum est, hanc, non illam partem Gallos petituros fuisse." Sed neque illud *in summo clipeo* mihi placet. Obscure dictum foret, vocabulo *clipei* omisso; nec quisquam, haec primum legens, aliter accipiat, quam, quod Latinitas monstrat, *in summo arcis:* ut Livius V. 47. Manlius *Gallum, qui iam in summo constiterat, umbone ictum deturbat.* Virgilius autem hanc rerum imaginem non ita depinxit, ut per *summam* et *mediam* clipei partem diviserit. Quod sequitur *in medio classes aeratas*, non est *in medio clipeo*, sed *mari.* Et si *clipeum summum* et *medium* distinxit, cur *imum* omisit? Quare verba **INSVMMO** corrupta, proque iis scribendum **INSOMNIS** arbitror. *Insomnis custos Tarpeiae Manlius arcis Stabat pro templo.* Nihil maius ad laudem Manlii potuit dici. Licuit illi fortasse aliqua frui quiete et dormire, quum vigiles ubique essent dispositi. Imo, insomnis ille arcis custos stabat armatus pro templo, ad omnia intentus, nec tamen Gallos adesse sentiebat, prius quam

Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.

clangore anserum excitaretur. Graeci semper, quantum possent, de laudibus Romanis detrahebant. Et hoc de custodibus *per somnum oppressis* in maius auxisse videntur. Romani talem Graecorum invidiam saepe taciti, pro innata ipsis gravitate, refellebant. Unum vocabulum sufficiebat interdum, veluti hic *insomnis*. Post Graecos Christiani Apologiarum scriptores, Patres Ecclesiastici Latini, nonnullas in rebus Romanis acerbius exposuerunt, quo deos facerent magis ridiculos, velnti in hac ipsa Manlii historia. Romani quidem auctores de *somnolentia* vigilum tacent. Livius V. 47. *Galli tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem excitarent.* Deinde vigiles eius loci, qua fefellerat adscendens hostis, citati. Omnes culpam in unum vigilem coniecerunt. Is de saxo deiectus. Iam Plutarchus in Vita Camilli cap. 27. idem narrans, omittere non potuit Gallos, quum in summum adscenderant, φύλαξιν ἐπιχειρεῖν κοιμωμένοις. Paullo modestius Diodorus Siculus XIV. pag. 730. οἱ μὲν φύλακες παρεῤῥαθυμηκότες ἦσαν τῆς φυλακῆς διὰ τὴν ὀχυρότητα τοῦ τόπου. Livius nihil *de somno*. Fortasse obdormiverat *unus iste*, in quem caeteri culpam converterunt. Florus I. 13. *Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, a summa rupe deiecit.* Ubi Dukerus recte Stewechium reprehendit, pro *excitatus* legentem *excitus*: minus recte reprehendit existimantem, *excitus* nihil aliud esse quam *admonitus* vel *motus*, quoniam Plutarchus et alii Romanos vigiles *somno oppressos fuisse* tradiderint. Dicitur tam *excitus* quam *excitatus* de eo, cui *somnus excutitur*. Sed tum vel *somnus* additur, vel ita praecedit aut sequitur, ut addi non opus sit. Exempla ubique inveniuntur, et apud Arntzenium ad Aurel. Victor. pag. 135. qui in hac ipsa re versans, hoc argumento utitur contra Stewechium: *Si somno non oppressi fuissent vigiles*, clangor anserum necessarius non fuisset, cum ipsi insidias potuissent praesentire. Sed quis miretur Romanos, quamquam vigilantes, non sensisse, quum Galli tanto silentio venirent (Virgilius addit *per dumos, defensi tenebris et dono noctis opacae*), ut non modo custodes fallerent, sed etiam canes, solique anseres, canibus sagaciores, excitati fuerint? *Insomnis* ergo stabat Manlius, ut Aen. VI. 556. *Tisiphone vestibulum exsomnis servat.*

Romuleoque recens horrebat regia culmo. Heynius versum pro spurio habet. In edit. Parmensi retractus est post vs. 641. *Stabant, et caesa iungebant foedera porca:* quod et mihi optimum factu videtur. Wagnerus et

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacae;
Aurea caesaries ollis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla
Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant

ipsum versum et locum, quo positus est, defendit. Operae pretium est inspicere, quibus argumentis. Sed ego omnia ista repetere non possum. Vulcanus hic fecit historiam Manlii et Gallorum. Mentio casae Romuleae, quamvis ea staret in Capitolio, animos lectorum ab ea historia abstrahit. Maluissem certe hanc sententiam: *et tenebat, tuebatur casam Romuleam.* Nunc virtuti Manlianae, quae pro templo stabat et Capitolia tenebat, satis languide subiicitur: *ibi etiam erat casa Romuli.* Sed ante omnia mihi displicet *recens*, id est, *recens aedificata.* Optime convenit tempori, quo Romulus foedus cum Tatio fecit, minime aetati Manlianae. Wagnerus *recens* interpretatur, culmos habens in auro effictos, *specie culmorum recentium.* Nimis obscure dictum foret. Additum oportuisset *Romana pietate refecta*, vel simile. *Recens regia* nulla est, nisi *recens condita.* Rupertus ad Silium XIII. 814. putabat hunc versum, nisi mala manu illatum, certe esse corruptum.

Atque hic. Quum ita stabat Manlius, tunc anser volitans porticibus, Gallos adesse canebat. *Hic* est temporis, non loci. *Atque*, in re repentina, fere ut *ecce.*

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant. Rom. *olli*, quod Schradero et Heynio placet, non Wagnero, nec mihi. Otiosum *olli*, et minus gratum, quia sequitur *ollis*, etiam si scriptum esset *illi* — *illis.* Latinum est: *Canebant Gallos adesse, aderant:* vel, *canebant Gallos adesse, Galli aderant.* Iam eleganter *arcem tenebant*, ad augendum terrorem, et revera *unus summum tenuit*, ut Livius narrat. Nescio an necessaria sit Servii interpretatio *pene tenebant*, quam commendavit Burman. ad Lucan. III. 597.

Defensi tenebris et dono noctis opacae. Postrema paullo otiosius adiecta putabat Heynius. Miror hoc eum dicere, qui tam multa, et saepe egregium in modum, ex ornatu poetico interpretatur. Virgilius voluit, ni fallor, *defensi beneficio tenebrarum nocturnarum.*

Lucent. Medic. *lucen*, superscripta *t.* Fortasse haesit auctor MSS. inter *lucent* et *lucens.*

Duo quisque Alpina coruscant Gaesa manu. Servius: »*Hastas viriles:* nam etiam *viros fortes* Galli *Gae-*

Gaesa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantis Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia coelo
Extuderat; castae ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. *Hinc procul addit*

sos vocant." Vossius de Vitiis Serm. Latini pag. 11. recte *gaesatos* legit. Vossius ibi nonnulla de *Gaesatis* exposuit, et Bochartus in Chanaan. p. 742. Loca veterum scriptorum duumviri egregii collegerunt. Veteres in ea re explicanda mihi errasse videntur. *Gaesum* Gallice appellabatur *iaculum* quoddam singulare; *Gaesati* tali iaculo armati. Galli isti *gaesati* plerumque mercede militabant plurimum licitantibus; hinc *Galli gaesati* sunt *mercenarii*, et, quia semper in bello versabantur, *fortes* iidem dicti *gaesati*. Locus Iustini XXVII. 3. a Vossio et Bocharto omissus est: *Galli, humiliorum semper mercenaria manus*. Quam lectionem frustra Boxhornius sollicitat: est enim *gentium humiliorum*, non potentissimarum, mercenarios habere. *Gaesa* autem esse Celticum *gees* coniiciunt. Emendanda hinc et glossa Placidi apud Maium: »*Gestarum*, non nomen gentis est sed mercenariorum Gallorum; siquidem alibi legi non *Gestarum*, sed *Gessarum*, scriptum."

Hic exsultantis Salios. In quibusdam *hinc*. Melius. *Hic* Servius explicat *in eodem scuto*. Sed Virgilius semel dixit universe *illic*, in eo scuto. Quum res singulas explicat, ineptum est addere eas *in eodem scuto* esse caelatas. Si *hic* esset adverbium loci, sequeretur, credo, *illic*, vel simile. Melius, inquam, *hinc*, deinde, haud procul, tum. Ut nunc legitur, *hic*, videtur esse *in rupe Tarpeia*.

Extuderat. In nonnullis *excuderat*. Heynius defendit vulgatum, ut exquisitius et idem significans. Metrum praeterea non fert *excuderat*.

Pilentis matres in mollibus. Interpretantur *currus pensiles*, motu faciles, quales sunt hominum mollium et delicatorum. Coniici potest, fuisse *e vimine textos*, non ligneos. Sic Virgilius XI. 64. *Haud segnes alii crates et molle feretrum Arbuteis texunt virgis et vimine querno*. Iam in Servianis comparatur *molle feretrum*.

Hinc procul addit. Heynius: »Etsi alieno loco intrusa putem loca infera, praeclare tamen ea ornavit." Wagnerus: »Id quum poeta agat, ut, quae maxime memorabilia sint in historia Romana, exponat, non video, quare haec aliena ab h. l. existimemus." Mihi quidem haec semper visa sunt hic tam inepta, ut, si Virgilius ipse posuerit, tunc, quum ponebat, omni iudicio destitutum fuisse arbitrer. Vulcanus in scuto caelaverat *res Italas, triumphos et bella*. Argumentum viro

Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,
Et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios: his dantem iura Catonem.

forti dignum. Erant Romulus et Remus, Tullus, Tarquinius et Porsena, Cocles, Cloelia, Manlius, tum festa cum magnitudine Romani nominis coniuncta, quibus Lupercalia, propter Euandrum, adiecit. Iam *Catilina et Cato?* Poteratne inveniri, inter media fortitudinis Romanae exempla, exemplum infelicius quam scelerati hominis, quantumvis puniti? Ipsa Orci imago iam minus hic convenit, quam bis alibi descripserit. Si eam tamen et in hoc clipeo attingere voluisset, sumsisset, credo, alium Romanum, in Elysiis honoratum. *Catilinae* quidem memoria rebus Romanis semper habita est summo dedecori, neque hoc gratum esse poterat Augusto, qui sciret, quas partes ipse Iulius Caesar in ea coniuratione egisset. *Catilina* et *Cato* sunt nomina ex bello civili, quod oblivioni tradi malebat.

Tartareas etiam sedes. Vocabulum *etiam* nihil hic efficit, nisi quod metro consulit.

Alta ostia Ditis. Perversa appositio *sedis Tartareae. Ostia* sunt *aditus*, *introitus.* Totus versus formatus est ex Georg. IV. 467. *Taenarias etiam fauces*, *alta ostia Ditis*, *Et caligantem nigra formidine lucum Ingressus.* Recte *ingressus fauces*, *alta ostia.* Videmus simul, unde auctor hic posuerit *etiam.*

Scelerum poenas. In clipeo, iam tot imaginibus ornato! Virgilius alibi dicit se, non si centum linguas et ora haberet, has poenarum facies enumeraturum.

Minaci Pendentem scopulo. Ratio Latinitatis postulat, ut accipiamus, *pendentem e scopulo minaci.* Sed *scopulus minax* ita esset non Catilinae *minax*, sed adspicientibus: ex altissimo igitur scopulo et abrupto pendentem Catilinam. Burmannus ad Lucanum VI. 793. putabat haec Virgiliana illi ante oculos fuisse, canenti: *Abruptis Catilina minax spretisque catenis Exsultat.* Lucanus ibi auctores bellorum civilium multos nominavit. Convenientiam cum Virgilianis video nullam.

Furiarumque ora trementem. Tremunt omnes scelerati in Orco, nonnulli prae caeteris, quibus *Furiae adstant*, *accubant*, vel quos singulari poena afficiunt, ut Tantalus.

Secretosque pios: his dantem iura Catonem. Melius fuisset *dantemque his iura Catonem.* Et haec contraria sunt iis, quae Virgilius in libro VI. tradidit. Cato se ipsum interfecit: tales non sunt in campis Elysiis. Heynius hanc difficultatem et movit, et sic expediit: »Verum aspernetur poeta tam tenacem memoriam, eique licet diversis carminis partibus diversas ra-

Haec inter tumidi late maris ibat imago,

tiones sequi." Erat Heynius miti ingenio vir. Omnia in bonam partem interpretari studet. Hic timebat, ne quid diceret, quod poetae vitio verti posset. Laudabilis ac vere Christianus mos, ubi de iudicandis hominum factis, quae excusationem patiantur, agimus. In iudicandis veterum scriptis nos magis esse severos oportet, ne adolescentes, quibus illa humanitatis veraeque elegantiae exempla proponimus, corrumpamus. Metus est, ne de cura, quam iis quotidie commendamus, remittant, et cogitent: Virgilius consimiles ludos lusit, ego homuncio hoc non faciam? Dicamus potius, quod res est. Qui in libro octavo aliquid fingit contrarium rebus, quas finxit in libro sexto, ubi idem argumentum diligentissime elaboravit, is propter negligentiam et incogitantiam vehementer reprehendendus est. Non credere possum eam Virgilii fuisse negligentiam et incogitantiam, ergo nec credere possum, huiusmodi versus ab eo factos. Si Heynius talia aequo animo fert, brevi veniet, qui, si poeta aliquis heroem suum in libro primo candida facie, in libro secundo nigra fuisse dixerit, quasi exquisitam elegantiam admiretur. Sed aliud in hoc versu est non sane Virgilianum. *His dantem iura Catonem*, dicit homo. Heynius rogat: *Catonem piis iura dantem*, tamquam alterum Minoem vel Rhadamanthum, quis non miratus est? Quinam et quot mirati sint, ignoro; ego non tantum nunquam miratus sum, sed etiam ridiculum semper putavi. Vita piorum est perfecta et beata. Ambitio, avaritia, ira, odium, aliae cupiditates, scelerum altrices, in Elysiis non sunt. Ergo nec leges nec iura requiruntur. Quare philosophi et poetae, ubi vitam beatorum describunt, hanc in praecipua felicitatis parte ponunt, quod, sicuti in aureis saeculis, *poena metusque aberant, nec verba minacia fixo Aere ligabantur: nec supplex turba timebat Iudicis ora sui.* Iam fingit Catonem, tamquam Minoem et Rhadamanthum, *piis iura dantem.* Non dicam illud *tamquam* dure omissum, sed repeto, nullam inter pios cogitari posse iurisdictionem. Itaque Rhadamantho in lib. VI. 566. aliam sedem Virgilius dedit, longe ab Elysio secretam: *Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna, Castigatque auditque dolos, subigitque fateri* sq. Omnia igitur ista de Tartaro et Elysiis additamentum esse manus Grammaticae arbitror, quae manus facile parata erat, cum, quod versus relinquebatur imperfectus *Pilentis matres in mollibus*, tum, quod argumentum sedis infernae bis iam a Virgilio tractatum locusque poetarum erat communis. Idem Grammaticus supra legisse videtur *Hinc exsultantis Salios.* Unde suum *Hinc procul* incepit.

Haec inter tumidi late maris ibat imago. Praecipuum argumentum ul-

Aurea, sed fluctu spumabant caerula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis, aestumque secabant.
In medio classis aeratas, Actia bella,
Cernere erat: totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum Patribus, Populoque, Penatibus et magnis Dis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dis Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica variisque Antonius armis,

timo loco reservavit. Alia omnia absolvit. Inter ista omnia, in medio rerum istarum, cernebatur imago maris, et victoria Actiaca et triumphus Augusti.

Maris ibat imago Aurea. Aurum non est color maris. Nec pulchre *aureum mare* statim appellatur *caerula.* Maluissem *imago caerula; aequora spumabant cano fluctu, delphines caudis verrebant litora.* In litore sunt *aestus.* Delphines ludebant circum litora, pugna geritur in *medio mari. Spumabant aequora* est in Zulich. Pro *aurea*, in Med. *ruvea.* Unde aliquid esse turbatum apparet.

Auroque effulgere fluctus. Heynius hoc hemistichium otiosum et languidum arbitratur, quodque Tucca et Varius rescindere debuerant. Satis enim iam declaratum est, mare fuisse *aureum.* Wagnerus accipit de fulgore ornamentorum militarium a mari repercusso. Ego legendum iudico: *ferroque effulgere fluctus.* Quod melius convenit cum antecedentibus *totumque instructo Marte fervere Leucaten.* Mare pro *aureo* supra ex coniectura feci *caeruleum.* Wagnero Virgilius in tota hac descriptione res, quae in caelatura huiusmodi exhiberi vel possunt vel nequeunt, ita miscuisse videtur, ut de coloribus quaerere supervacuum sit. Ego poetam probabili coniectura crimine ineptiarum liberare, melius puto.

Hinc ope barbarica variisque Antonius armis. Heinsius coniicit *Phariisque.* Burmanno non displiceret, nisi sequeretur *Aegyptum.* Burmannus Secundus neque in editione Claudiani pag. 1055. neque in Anthol.

Victor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.
Una omnes ruere, ac totum spumare, reductis
Convolsum remis rostrisque tridentibus, aequor.
Alta petunt: pelago credas innare revolsas
Cycladas, aut montis concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum

Latin. I. pag. 341. quidquam attulit ad emendationem Heinsii confirmandam vel explicandam. Heinsius accepisse videtur pro *copiis Aegyptiacis*, quod bene Burmannus Maior vidit non probandum. Ego *Phariis* verum censeo, sed ut Antonius ipse dicatur fuisse *indutus ope barbarica et Phariis armis*, quod Romano indignum, quem arma et vestes Romanae tantum decerent. Virgilius Augusto insignem ornatum tribuit *geminas flammas et patrium sidus*, Agrippae *coronam navalem*, Antonio *opem barbaricam et Pharia arma*. Nota est Antonii luxuries et splendor vitae. *Ope barbarica* sic usus est vetus poeta apud Ciceronem Tusc. Quaest. I. 35. *Adstante ope barbarica, Tectis caelatis, laqueatis:* hoc est adstante auro, argento, vestibus stragulis, aliisque magnificentiae instrumentis. Ovidius Heroid. XIII. 57. *Venerat, ut fama est, multo spectabilis auro, Quique suo Phrygias corpore ferret opes.* Virgilius igitur prius cultum Antonii, deinde vires describit.

Bactra vehit. Considera ordinem totius loci: Hinc Augustus agens, stans celsa in puppi; parte alia Agrippa agmen agens, hinc Antonius Bactra *vehit:* et fortasse mihi concedes scribendum esse *vehens*.

Credas innare revolsas Cycladas. Frustra in uno *Credes*. Statius Theb. V. 338. *abruptam credas radicibus ire Ortygiam, aut fractum pelago decurrere montem*. Ambrosius Hexaem. V. 11. de balaenis: *quae si quando supernatant fluctibus, ambulare insulas putes, montes altissimos summis ad coelum verticibus eminere.* Silius X. 321. *Lagea ratis, vasto velut insula ponto, conspecta.*

Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum Spargitur. Difficile. Heynius, post longam disputationem, laudat scripturam Cod. Rom. *telique*. In annotatione tamen vulgatum explicat de *machinis ad missilia emittenda*. Brunckius *telis* pro *telorum* esse positum existimat. Wagnerus: »telorum iactu in omnes partes volat ferrum.” Fortasse locus distinguendus

Spargitur; arva nova Neptunia caede rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro;

est: *Stuppea flamma manu telisque, volatile ferrum Spargitur.* Flamma spargitur manu et telis, spargitur ferrum volatile. Hoc revera ita accidit. Dio Cassius I. 34. Classiarii Octaviani *βέλη τε πυρφόρα ἐπ' αὐτοὺς ἐξετόξευον, καὶ λαμπάδας ἐκ χειρὸς ἐπηκόντιζον.* Quod ipsum est illud *flamma spargitur manu et telis.* Plutarchus in Anton. 66. tantum narrat eos etiam *πυροβόλοις* esse usos. Ubi Virgilius dixerat *flamma telis spargitur*, addeudumque erat praeterea magnam telorum ferratorum vim spargi, pro *telis* utitur *ferro volatili.* Recte autem orationem adhibuit asyndeton: *flamma, ferrum spargitur, arva rubescunt, regina vocat.* Tela, quibus flamma spargitur, minus ad homines occidendos emittuntur: mittitur *ferrum volatile.* Eleganter *ferrum volatile*, melius quam veteris poetae *volucrumque volatile letum.* Et *tela volantia* in medio pugnae ardore memorantur. Servius laudavit Catonis *tela volantia.* Livius I. 13. *Tum Sabinae mulieres, crinibus passis scissaque veste, ausae se inter tela volantia inferre.* Livius ista sumsisse videtur ex Ennii *Sabinis*, libro vel parte libri Annalium. Solebant enim Grammatici Latini particulas poetarum ita separatas nominare ab argumento, fere ut Graeci rhapsodias, qualem fuisse puto *Equum Troianum* Pacuvii, Virgilii *Mortem Didonis, Marcellum, Nisum et Euryalum*, alia. Ennius et Ovidio ante oculos fuit, unde tanta inter Livium et Ovidium similitudo. Livius ex Ennianis vix metrum sustulit. Agnosco Enniana: *Crinibu' tum passis et scissu veste Sabinae, Transversae ausae inter se inferre volantia tela, Derimere infestus acies et derimere iras, Orantes hinc inde viros patresque suos, ne Sanguine se spargant soceri generique nefando.*

Arva nova Neptunia caede rubescunt. Interpretantur *novum caedem*, vel *magnam*, vel nunc *redintegratam*, vel *quia eum antea cum Pompeio in mari pugnatum erat*, vel *inusitatum.* Wagnerus: *arva incipiunt rubescere.* Ego pro CAEDE scribendum puto LVCE. Si rubescunt *caede*, rubescunt *sanguine.* Sed res praecipue agitur *flamma.* Ex *flamma* non funditur *sanguis.* Ergo rubescit mare nova et inusitata luce flammarum, quae manu et telis spargebantur, et ex igne navium ardentium veniebant. Silius XIV.363. *Neptunia regna Tempestate nova trepidant. Nova tempestas*, orta a nostris navium, quae fluctus ruebant.

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro. Credo Isidorum Orig. II. 21. memoria deceptum Amazonibus tribuisse, quod tribuendum erat Cleopatrae: » *Sistrum ab inventrice vocatum.* Isis enim Aegyptiorum re-

Necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.
Omnigenumque deum monstra, et latrator Anubis
Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
Tela tenent. Saevit medio in certamine Mavors
Caelatus ferro, tristesque ex aethere Dirae;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos iam iamque immittere funis.
Illam inter caedes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis et Iapyge ferri;
Contra autem magno maerentem corpore Nilum,

gina id genus invenisse perhibetur. Inde et hoc mulieres percutiunt, quia inventrix huius generis est mulier. Unde et apud Amazonas *sistro ad bellum feminarum exercitus vocabatur*. Heinsius ad Claudiani Eutrop. I. 499. non reperiit, praeter unum Isidorum, qui hoc tradat. Nec quisquam, credo, reperietur. Sed sua Isidorum ut dixi, memoria fefellit, eoque facilius, quia Virgilius de Amazonibus agens I. 490. versibus utitur, huic versui de Cleopatra non multum dissimilibus: *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet.* Caeterum usus *sistri* apud Aegyptios erat in ludo et lascivia: sed usus etiam in re sacra. Cleopatra movit sistrum, quasi isto crepitu, tamquam tubae, signum dare et animos ad pugnam incendere vellet. Ridiculum, praecipue Romanis.

Gaudens. Valerius Flaccus II. 135. *mediam gaudens defertur in urbem.*

Laxos iam iamque immittere funis. Statius Theb. I. 544. de poculo, in quo erat Perseus: *iamiamque vagus (ita visus) in auras Exsilit.* *Immittere* explicavit Gronovius ad Senecam de Ira III. 6. Statius Achill. II. 18. *in hanc* (insulam) *totos emisit puppe rudentes.* Non potuit dicere *immisit*, sic enim *puppi* postularetur.

Undis et Iapyge ferri. Scholiast. Statii Theb. XII. 760. citat *ventis*, et explicat: Iapyge quidem, sed ventis aliis interturbato.

Pandentemque sinus, et tota veste vocantem
Caeruleum in gremium latebrosaque flumina victos.
At Caesar, triplici invectus Romana triumpho

Pandentemque sinus. Figurate Seneca Hippol. 1189. *O mors pudoris maximum laesi decus, Confugimus ad te, pande placatos sinus.*

Tota veste vocantem Caeruleum in gremium. Gifanius emendat *torta*, Cerda *mota*. Scholiast. Horatii habet *tuta*. Unde posset coniici: *tutum veste vocantem Caerulea in gremium.* Nam fluminibus est *glaucus amictus.* Sed *tota veste* multo elegantius est, recteque ab Heinsio defensum, qui et imitationem Ausonii Mosell. 368. ostendit: *Naviger undisona dudum me mole Saravus Tota veste vocat.* In vocabulo *tota* studium Nili cernitur, omnibus viribus nisi, corpore et mota veste victos vocantis. Valerius Flaccus IV. 409. *Contra Nilus adest, et toto gurgite torrens.* Statius Theb. IX. 72. *Tota Mars impulit hasta.* minus recte a Burmanno ad Valerium Flacc. IV. 609. mutatum in *mota. Tota* hasta ardorem impellentis indicat: opponitur *hastae summae*, qua aliquis etiam leviter impelli potest. Silius IV. 339. *totis ferretur habenis.* Statius Silv. II. III. 33. *in fontes, niveos ne panderet artus, Sic tota cum veste ruit.* Ubi Marklandus volebat *sicut erat cum veste ruit.* Quod esset elegans vulgati interpretatio. Virgo, ne artus nudaret, cum tota veste se in aquam coniecit, ne minimam quidem vestium partem prius abiecit, αὐτῷ, ὅλῳ ἐσθήματι. Amor pudoris per *totam vestem* exprimitur. Neque Burmannus ad Lucani V. 426. emendationem Marklandi probat. Est locus apud Valerium Flaccum II. 34. qui aliquam Virgiliano habet similitudinem, sed obscurus: *Iamque Hyperionius metas maris urguet Hiberi Currus, et evectae prono laxantur habenae Aethere, cum palmas Tethys grandaeva sinusque Sustulit, et rupto sonuit sacer aequore Titan.* Vossius vere emendavit *pallamque sinusque.* Tethys solem in gremium vocabat. *Palmae* non sunt *ulnae. Palmae* tolluntur ad preces faciendas vel alia, quam quae hic requiruntur. *Palla et sinus* iunguntur, ut in Virgilio *sinus et vestis.* Haec dixi propter Burmannum, qui *palmas* tuetur. Idem explicat *habenas evectas* de curru Solis ex carcere primum dimisso. Recte. Sed hic agitur de Sole, qui iam ad metam itineris pervenit. Pro EVECTAE scribendum puto EMERITAE. Seneca Thyest. 797. *Nondum Hesperiae flexura rotae Iubet emeritos solvere currus.* Statius Theb. I. 336. *emeriti confinia Phoebi.* Vide Heinsium ad Ovidium Metam. XV. 186.

Triplici invectus Romana triumpho Moenia. Orosius VI. 20. *Caesar victor ab Oriente rediens, urbem triplici triumpho ingressus est.*

Moenia, dis Italis votum immortale sacrabat,
Maxuma tercentum totam delubra per Urbem.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
Ante aras terram caesi stravere iuvenci.
Ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus; incedunt victae longo ordine gentes,
Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat iam mollior undis;

Moenia, dis Italis votum immortale sacrabat. In Goth. sec. legebatur: *Moenia, cunctorum lato comitantibus armis.* Est, credo, Grammatici additamentum. Versum sequentem ita supplere potuit. *Templa et dis Italis* sq. Ita saepe ex uno fecerunt duos, interdum rotunde adeo ac Latine, ut in Virgilianis tuti lateant.

Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae; Ante aras terram caesi stravere iuvenci. Quid mirum in omnibus templis fuisse aras? Heynius putat acumen in eo esse, ut arae *ab artifice expressae* cogitentur. Sed omnia ab artifice in clipeo sunt expressa, et sic proponuntur, ut re vera fuerunt. Si artifex *aras* non addidisset, peccasset. Templum sine ara non est templum. Ambrosius Epist. I. 18. *Omnibus in templis arae. Ara etiam in templo victoriarum.* In *aris* hic esse debuit aliquid singulare ac diei festo proprium, ut *matrum chorus.* Illud singulare nanciscemur, si pro ANTE ARAS scribamus ARDENTES. *Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae Ardentes.* Sic omissum erant habet gravitatem.

Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis. Valer. Flaccus V. 608. *Cras acies atque illa ducum cras regna videbis Dissona.* Locus corruptus, ita, ex usu Latinitatis poeticae, restituendus: *Cras acies linguaque et cultu regna videbis Dissona.* Lucanus III. 288. *coiere nec unquam Tam variae cultu gentes, tam dissona vulgi Ora.* Claudian. de Laud. Stilich. I. 152. *nec tantis dissona linguis Turba, nec armorum cultu diversior unquam Confluxit populus.* Ammian. Marcell. XXIX. pag. 431. *dissonas cultu et sermonum varietate nationes.* Varietas autem linguae in clipeo intelligitur ex varietate vestis et armorum

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;
Indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.
Talia per clipeum Volcani, dona parentis,
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamque et fata nepotum.

Talia per clipeum Volcani, dona parentis, Miratur. In Medic. *Talia per clipeum Volcani; dona parentis Miratur.* Alii iunxerant *talia dona.* Fortasse elegantius esset: *Talia per clipeum, Volcania dona parentis, Miratur.* Vulcanus dederat Veneri, Venus Aeneae. Caeterum aegre hic careo nomine *Aeneae.* Miratur Aeneas et humeris tollit fata nepotum. Potuisset Virgilius: *Talia per clipeum. Miratur dona parentis Aeneas* sq.

Attollens humero famamque et fata nepotum. In Servianis haec annotatio apparet: *hunc versum notant Critici, quasi superfluo et inutiliter additum, nec convenientem gravitati eius: namque est magis neotericus.* Errarunt Critici, quod ad *superfluum et inutilo* attinet. Non enim desiderari possunt, ob antecedens *ignarus.* Aeneas dona parentis cum admiratione et gaudio contemplatur et clipeum humero attollit, ignarus se in illa rerum imagine gloriam et fata nepotum tollere. Atque ita mihi iste versus et elegans et gravis videtur. Recte etiam Heynius defendit. *Fata* nimirum sunt ea, quae nepotes fataliter facient, res quae fato destinatae accident. Ovidius Fast. II. 408. *Heu quantum fati parva tabella vehit!* Erant in ea Romulus et Remus. Seneca Consol. ad Marc. 14. *Filiam publica secum fata ducentem.* Lucanus V. 676. Caesar terrae ex periculosa tempestate redditus: *pariter tot regna, tot urbes Fortunamque suam, tacta tellure, recepit.* D'Orvillius comparabat Lucani V. 48. *Laeto nomen clamore senatus Excipit, et Magno fatum patriaeque suumque Imposuit.* Ibi Burmannus: » in Virgilio insolentius *fata* videtur, nisi interpreteris res gestas, et quae postea evenerunt fato destinata."

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER NONUS.



Atque ea diversa penitus dum parte geruntur:
Irim de coelo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divom promittere nemo
Auderet, volvenda dies, en, attulit ultro.

Irim de coelo misit. Ammian. Marcell. XX. pag. 191. *Ideo apud poetas legimus saepe Irim de coelo mitti, cum praesentium rerum fit status mutatio.*

Luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat. Iam praeter solitum est duplex loci significatio, *lucus* et *sacrata vallis.* Quum lucus sit *locus sacratus*, praecipue addito nomine, cui sit sacratus, fortasse melius scribetur *secreta*, quod in MSS. invenitur. Sed *parens Pilumnus* mihi non placet. Heynius pro *abavo* parentem accipit. Virgilius, credo, non tam negligens fuit, ut, cum alibi genus Pilumni accurate exposuerit, eum nunc Turni parentem appellaverit, qui dicendus esset *quartus pater.* Tum *parens* Turni aliis locis saepe memoratur, nominaturque *Daunus.* Mallem: *luco tum forte virenti Pilumni Turnus secreta valle sedebat.*

Aeneas, urbe, et sociis, et classe relicta,
Sceptra Palatini sedemque petit Euandri.
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes,
Lydorumque manum, collectos armat agrestis.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnis, et turbata arripe castra.
Dixit, et in coelum paribus se sustulit alis;
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Agnovit iuvenis, duplicisque ad sidera palmas
Sustulit, ac tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus coeli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde haec tam clara repente
Tempestas? medium video discedere coelum,
Palantisque polo stellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans, oneravitque aethera votis.
  Iamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equum, dives pictai vestis et auri;
Messapus primas acies, postrema coercent

Lydorumque manum, collectos armat agrestis. Vulgo *collectosque.* Wagnerus paullisper dubius haesit, an copulam revocaret. Vellem fecisset. Diversa enim sunt *manus Lydorum* et *agrestes.*

Medium video discedere coelum. Frustra in aliis *discindere*, *dehiscere.* Vide Heinsium ad Ovid. Fast. III. 371.

Sequor. Stat sequi. Bene defendit Wagnerus, alii *sequar.*

Et sic effatus. Heynius *et* languere putat. Si recte putat, corrigere possimus: *Haec sic effatus*, ut Aeneid. III. 463. *Quae postquam vates sic ore effatus amico est.* Sed Wagnerus Quaest. Virgil. XXXV. 6. non languere docuit.

Oneravitque aethera votis. Heynius hemistichium non desideraret. Wagnerus bene tuetur. Et ego mecum defenderam, quia diversa sunt *preces* et *vota.* Argumento autem, quod oratio vitiose per participium clauditur, non multum tribuo, quia versus esset imperfectus, si in *orans* desineret.

Tyrrhidae iuvenes; medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus
Quum refluit campis, et iam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caicus:
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, adscendite muros:
Hostis adest, eia. Ingenti clamore per omnis
Condunt se Teucri portas, et moenia complent.
Namque ita discedens praeceperat optimus armis

Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est. Versus ex Aeneid. VII. 784. huc insertus. Abest a plerisque MSS. multique interpretes damnant. Quaeritur, an nervus comparationis per hunc versum incidatur. Incidi credo. Ibat exercitus, tres acies cum ducibus, sedato sed gravi incessu, quali incessu Ganges vel Nilus eunt. Quod de Turno singulare additur, et considerandum est tamquam in parenthesi positum, et nihil facit ad comparationem, imo animos legentium ab ea avocat et maiestatem minuit.

Per tacitum. Lucanus X. 252. *trahitur Gangesque Padusque Per tacitum mundi.* Seneca Thyest. 397. *Aetas per tacitum fluat.* Silius X. 353. *Somnus per tacitum allapsus.* Talia appositis exemplis illustranda sunt, quia a nostri sermonis consuetudine maxime abhorrent. Ipsa formula a viris doctis ad varios scriptores saepe exposita est.

Quum refluit campis. In Bigot. et Goth. *ripis;* quod verum puto, etiam quia statim sequitur *insurgere campis.* Si Nilus *iam se condidit alveo*, non refluit campis, sed *refluxit.* *Refluit ripis* est *in ripas rediit* et intra eas fluit. Valerius Fl. VIII. 90. *Ceu refluens Padus, aut septem proiectus in amnes Nilus, et Hesperium veniens Alpheos in orbem.* ubi scribendum: *reiectus.* Comparatio est: furor Draconis sic resedit, ut fluvii isti, quando alveis suis redditi sedantur. Si in Virgilio *campis* verum esset, potius scripsisset: *Quum refluit campis, nec iam se condidit alveo*, vel *necdum.*

Adscendite muros. Cum Wagnero alteri *scandite* praefero. Ipse numerus est gravior.

Aeneas: si qua interea Fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo;
Castra modo et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Obiiciunt portas tamen, et praecepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans tardum praecesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus et urbi

Si qua interea Fortuna fuisset. Heynius: *quaecunque fortuna fuerit*, vel *si quis belli casus se offerret*, si quid accideret. Wagnerus: *futura esset*. Schrad. volebat *tulisset*. *Si fortuna aliqua fuisset*, significat, *si fortuna ipsis faveret*, si suam obsessi occasionem viderent, spem rei bene gerendae hostibusque nocendi haberent. Sed haec sententiae, quae nunc requiritur, adversantur. Requiritur enim: si quid accidisset, hoc est, si ab Rutulis peterentur, si Fortuna, quae nunc in castello quiescentibus favere videbatur, statum rerum mutaret. Idem dixit IX. 172. *Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent, Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros. Fortuna fuit*, contrarium est; ut Aeneid. III. 16. *Dum fortuna fuit:* cui oppositum III. 53. *fortuna recessit.* Quare pro FVISSET legendum puto NOVASSET: *Si qua interea Fortuna novasset.* Si Fortuna interea nonnulla in praesenti rerum quietarum statu novasset, mutasset, hostes castellum obsiderent, tum hostes moenibus propulsarent, non in eos erumperent. Ita V. 604. *Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.* Agunt Troiani ex praecepto, quod satis eos crimine inertiae liberat. Et tamen vix continentur. Ad laudem Aeneae in Annalibus traditur, *quum* aliquando *moenibus bellum propulsare posset, copias tamen in aciem eduxisse*, ut narrat Livius I. 2.

Viginti lectis equitum comitatus et urbi Improvisus adest. Ne *et* vacare videatur, Heynius iungit *comitatus et improvisus adest urbi.* Vel sic dicendum erat: *comitatus, improvisus adest urbi*, vel potius *improvisus adest urbi, comitatus* sq. Mitto duram constructionem *comitatus et urbi improvisus adest*, pro *et improvisus adest.* Omnino scribendum arbitror: *Viginti lectis equitum comitantibus, urbi Improvisus adest.* Ita Aeneid. III. 346. *sese Priamides Helenus multis comitantibus affert.* IV. 48. *Teucrum comitantibus armis:* unde Grammaticus VIII. 715. finxit suum *multorum late comitantibus armis.*

Improvisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit, mecum, iuvenes, qui primus in hostem?
En, ait. Et iaculum attorquens emittit in auras,
Principium pugnae, et campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrum mirantur inertia corda:
Non aequo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
Quum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent; ille, asper et improbus, ira
Saevit in absentis; collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, et siccae sanguine fauces.

Ecquis erit, mecum, iuvenes, qui primus in hostem? Codices nonnulli *et quis*. Interpretes non acceperunt. Caussam nemo dixit. *Et quis* significaret, quis tam temerarius esset, ut mecum in hostes ire auderet. Est dehortantis, nec consilium laudantis. De formula vide Burmannum ad Propertii II. xv. 1. Pro ERIT si legeretur IO, mire cresceret orationis vis. *Ecquis io! mecum, iuvenes, qui primus in hostem?* Valer. Flaccus I. 221. *Quantus io! tumidis taurorum e naribus ignis*. VI. 29. *Mars saevus ab altis, Hostis io! conclamat equis, agite, ite, propinquat*. Vide Burmannum; et interpretes ad Silii V. 634. Heinsius in Ovid. Art. III. 713. pro *quid tibi mentis erit*, emendavit *io*. Idemque restituendum puto Lucano IV. 542. *Ecquis io iuvenum, cuius sit dextra cruore Digna meo!* Nunc legitur *Ecquis, ait*. Ibi Burmannus male commendat *et quis*.

Huc turbidus atque huc. Valer. Flaccus VI. 231. *ingerit ensem Huc alternus et huc*.

Ille, asper et improbus, ira Saevit in absentis. Pro *asper*, in Goth. *super*. Indocte, ait Heynius. Imo imprudenter, litera transposita. Locum imitatur Valer. Fl. VI. 231. *sanguineus vasto leo murmure fertur, Frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem*. Ubi plura interpretes, etiam ad Silii IV. 335.

Haud aliter Rutulo, muros et castra tuenti,
Ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet;
Qua tentet ratione aditus, et quae via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in aequum.
Classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat,
Aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis,
Invadit; sociosque incendia poscit ovantis;

Qua tentet ratione aditus, et quae via clausos Excutiat. Omnino haec ita distinguenda esse iudico: *duris dolor ossibus ardet. Qua tentet ratione aditus, aut quae via clausos Excutiat Teucros vallo, atque effundat in aequor?* Mutavi praeterea *aut quae. Quae via* idem est ac *quae ratio.* Aeneid. X. 879. *Haec via sola fuit, qua perdere posses.* Diversa sunt: qua ratione ipse in castellum perveniat, aut quid Teucros excutiat. Pulchra orationis forma, qua poeta animum Turni quasi deliberantis imitatur. Similis illa Aen. IX. 399. *Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis Eripere? an sese medios moriturus in ensis Inferat, et pulchram properet per volnera mortem? Ocius adducto torquens hastile lacerto, Suspiciens altam Lunam sic voce precatur.* Quid faciat? Torquens hastile, precatur. Qua ratione tentet aditus? Classem invadit. Haec autem ante oculos habebat Orosius V. 16. *Si quo pacto eos excuterent vallo, atque in aequor effunderent.*

Effundat in aequum. Wagnerus pro *aequor*, quod et Orosius vidit. Aeneas praeceperat ne se *aequo campo* darent. *Aequus campus* est *aequor.* Castra Troianorum erant in loco plano, ait, Wagnerus. Fuerint. Tamen erant castra, vallo et fossa munita, ideoque recte opposita *aperto et plano aequori.* Si bene dicitur *pugna aequatur, arma aequantur*, non propterea *in aequum effundi* significat in locum effundi, ubi *pugna aequetur.* Livius XXII. 13. Hannibal irritat Fabium, *si forte detrahere ad aequum certamen possit.* Volebat Fabium ex montibus detrahere, ut certamen aequaretur. Idem V. 38. *Si eos loco depulisset* (editiore), *haud dubius facilem in aequo campi tantum superanti multitudine victoriam fore.* Ubi *aequum campi* unice de loco accipitur, ut accipiendum est in Virgilio, si legatur *aequum.* Finge Troianos a Turno fuisse excussos *in aequum*, pugna ideo minime *aequabatur*, sed Troianis fiebat *iniquissima*, quod Turnus facile intelligebat, qui Troianos tantum multitudine superaret. Nunc fortasse pugna erat *aequa.* Troiani enim, quod a numero militum deerat, hoc loco supplebant.

Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt; urguet praesentia Turni;
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos; piceum fert fumida lumen
Taeda, et commixtam Volcanus ad astra favillam.
Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Aeneas classem, et pelagi petere alta parabat,
Ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum
Vocibus his affata Iovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.

Pinu flagranti fervidus implet. In Mediceo *fragranti*. Perpetua fere utrinsque vocabuli permutatio; vide Oudend. ad Appul. Metam. III. pag. 209. Sed, ut omittam minus aptum epitheton *fragrans* ipsum, *pinus* sine *flagrans* vel *ardens* in tali re vix invenitur. Et requiritur, quia *pinus* alia multa significat, et, pro *face* usurpata, etiam facem *non flagrantem* significare posset. Quare et *facibus* saepe additur *ardens*. Vide Burmannum ad Phaedri Fab. I. 28. sicuti et Graeci usurpant *δᾷδας ἡμέρας*, ut saepe Aristoph. Nub. 1492. Plut. 1195.

Diripuere focos. Quicunque in casis rusticorum invenirentur. Hinc rapiebant ligna, sub cinere sopita. Ligna proprie *titiones* appellabantur. Lactantius Instit. IV. 14. *Titionem vulgus appellat extractum foco torrem semiustum.* Vide Muncker. ad Hygin. pag. 243. et interpretes ad Appul. Metam. pag. 726.

Quod tua cara parens domito te poscit Olympo. Heynius: Te, *domitorem*, *potentem Olympi*, *regem deorum*. Sed non requirebatur tanta potentia ad eas preces implendas, et illud de *domito Olympo* diu ante haec tempora acciderat. Vulgata significant: Te poscit, nunc, quum Olympus est domitus; vel ea poscit per quam Olympus est domitus, quae te servavit, ut Olympum posses domare. Rediret adeo ad interpretationem Servii. Manet tamen aliquid intricati. Nec fabula se multum elegantia commendat. Melior esset versus ita conceptus: *Quod te per domitum poscit tua mater Olympum:* vel *per te domitum*. Sed, ut dixi, et iam veteres animadverterunt, res ipsa nec pulchre inventa nec satis Latine elaborata est.

Pinea silva mihi, multos dilecta per annos;
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio iuveni, quum classis egeret,
Laeta dedi: nunc sollicitam timor anxius angit.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem,
Neu cursu quassatae ullo, neu turbine venti
Vincantur; prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:

Pinea silva mihi, multos dilecta per annos. Heynius duos sequentes versus delet, et in tertio pro *has* legit *hanc*. Classis, ait, non in *arce*, sed in Ida ad Antandrum fuit aedificata. Pineam silvam, non eandem facies *picea* et *aceribus* obscuram. Wagnerus hoc modo defendit: »Est mihi pinea silva. In ea fuit lucus piceis et aceribus consitus. In *arce* montis. Eo *ferebant* sacra, quia Troia iam est diruta." Ingeniose Wagnerus. Sed oratio talis in castigato poeta non exspectatur. Versus ad hanc rationem erant componendi: »Est mihi silva in summa Ida. (Ovid. XIV. Metam. 535. *pinus Idaeo in vertice caesas*). In ea silva fuit lucus, piceis et aceribus consitus. Has Aeneae concessi." Vulgata haec significant: Habui silvam pineam; habui lucum in cacumine arcis Troianae.

Sacra ferebant. Memorabilis varietas in MSS. *tenebant*, *parabant*.

Anxius angit. Antiqua alliteratio. Bene tuetur Wagnerus. Alii *urget*.

Neu cursu quassatae ullo, neu turbine venti Vincantur. Quid hoc est, *neu vincantur ullo cursu nec vento?* Haec non diversa sunt. Dicendum erat: *Neu cursu ullo quassatae, turbine venti vincantur.* Fortasse pro CVRSV legendum FLVCTV.

Prosit nostris in montibus ortas. Iuvenalis Satyr. IV. 36. *prosit mihi vos dixisse puellas.*

Torquet qui sidera mundi. Assuta putat vir doctus apud Burmannum, cui adstipulatur Heynius. Et mihi hic omni vi et gratia carere videntur. Wagnerus autem: »Apte adiecta ad augendam, cuius plenus est totus hic locus, dignitatem et gravitatem." Tam diversa sunt hominum de pulchro iudicia! Ego totum illud de his navibus episodium Virgilio vix dignum arbitror. Neque Ovidius, qui in libro XIV. Metam. ordinem Aeneidos accurate sequitur, haec ita legisse videtur, ut nos nunc legimus. Facit Cybelen, Iove non orato, ipsam nimbis incendia navium exstinguentem, et alio tempore hoc accidisse narrat, quam quo hic narratur. Conferatur

O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factae immortale carinae
Fas habeant? certusque incerta pericula lustret
Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo, ubi defunctae finem portusque tenebunt
Ausonios olim, quaecunque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique iubebo
Aequoris esse deas: qualis Nereia Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas,
Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcae

Metam. XIV. 527 sq. Quod mihi in *torquet qui sidera mundi* displicet, hoc est: Atlas *torquet sidera mundi*, non Iupiter. Tolle nomen Iovis, et omnes de Atlante accipient. Ea potentiae Iovis commemoratio hic plane supervacua est. Longe aliter se res habet X. 100. *Tum pater omnipotens, rerum cui prima potestas.* Ibi nempe dei tumultuantur, et Iove dicente, *deum domus alta silescit*, silent tellus et aequor.

Quid petis istis? Servius: »*pro istis navibus.*" Fortasse et cogitari potest *istis precibus*, cum illa precaris. Ut Aen. X. 624. *sin altior istis Sub precibus venia ulla latet.*

Immortale carinae Fas habeant. Mira loquendi species.

Finem portusque tenebunt. Non ex more, pro *finem laborum*. Vel addendum erat aliquid vocabulo *defunctae.*

Dardaniumque ducem. Erat tamen modo *una navis* quae Aenean vehebat.

Mortalem eripiam formam. Quis unquam cogitavit *mortalem formam carinarum?*

Idque ratum Stygii per flumina fratris. Iupiter non solebat hoc iureiurando uti, nisi in rebus omnium gravissimis. Hic dicit: quaecunque naves salvae in Italiam venerint, has faciam Nymphas. Tum iurat et annuit et *nutu totum tremefecit Olympum!* Fluctus in simpulo. Iidem versus leguntur Aeneid. X. 112. *Stygii per flumina — tremefecit Olympum.*

Tempora Parcae Debita complerant. Quod naves in Nymphas mutarentur, erat singulare aliquod Iovis beneficium, non fato destinata res.

Debita complerant; quum Turni iniuria Matrem
Admonuit, ratibus sacris depellere taedas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens
Visus ab Aurora coelum transcurrere nimbus,
Idaeique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere navis,
Neve armate manus; maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutae,
Ite deae pelagi; genetrix iubet. Et sua quaeque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis aequora rostris
Ima petunt. Hinc virgineae, mirabile monstrum,
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae,
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.
  Obstupuere animi Rutulis; conterritus ipse
Turbatis Messapus equis; cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci Turno fiducia cessit;

Si fato fuisset destinata, Iupiter Cybelae narrasset. Nunc ipse dixit, ego navibus *mortalem formam eripiam.* Hoc ante sex fere annos promiserat. Nunc dies venit, quo promissum efficeret. Hunc diem anni advexere, anni volventes tempora complerunt. Nihil erat quod Parcae hic agerent, nisi ipsae hanc metamorphosin constituissent.

Turni iniuria. Turnus sacras esse arbores nesciebat.

Visus ab Aurora coelum transcurrere nimbus. Ovidius I. 1. *Intonuit, dicente dea: tonitrumque secuti Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi. Nimbus* Virgilianus non pluviam, sed choros Idaeos et Matrem attulisse videtur.

Quot prius aeratae steterant ad litora prorae. Versus hic translatus ex Aen. X. 223. In optimis MSS. non reperitur; plurimi interpretes, Wagnerus etiam, confoderunt.

Turbatis Messapus equis. Haec sono non sunt asperiora. Ultima in *turbatis* aliter pronuntiatur quam ultima in *Messapus.*

At non audaci Turno fiducia cessit. Lucan. II. 234. *At non magna-*

Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Troianos haec monstra petunt; his Iupiter ipse
Auxilium solitum eripuit; non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugae; rerum pars altera ademta est.
Terra autem in nostris manibus; tot millia, gentes
Arma ferunt Italae. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges prae se iactant, responsa deorum.

nimi percussit pectora Bruti Terror. Claudianus in Rufin. I. 259. *At non magnanimi virtus Stilichonis eodem Tracta metu.*

Auxilium solitum eripuit; non tela, nec ignes Exspectant Rutulos. Faber et Ortvinus emendant *nunc telaque et ignes.* Heynius Burmannum, non bene explicantem, corrigit, et interpretatur: Iupiter ipse naves iis eripuit, quibus fugere possint (adde, et fugere consuerunt), nec adeo ad eos perdendos opus est nostra opera. Ego omnino legendum puto: *nec tela nec ignes Exspectat Rutulos.* Iupiter suas ipse Troianis naves eripuit, nec operam nostram exspectat. Iupiter iram non amplius differt, exspectare non potest, donec nos Troianos perdamus. Iupiter nos praevertit.

Rerum pars altera ademta est. Recte Servius: *naturae rerum.* Humanae enim naturae duo elementa concessa sunt, mare et terra. Burmannus hoc bene commendavit. Heynius pro simplice *altera res, alterum* accepit. Quum duo sint, dicit Turnus, elementa, quibus homines fugere possint, mare et terra, terra autem in manibus nostris sit, alterum elementum iis ademtum sit, aufugere omnino non poterunt.

Terra autem in nostris manibus. Alii *in manibus nostris:* quod Heynius mollius ad aures putabat. Ego etiam puto. Wagnerus Latinos ita non loqui dicit, ut neque *in manu mea* est, sed *in mea, tua, vestra manu.* Quid igitur faciemus Terentio Hecyr. IV. IV. 44. *Uxor quid faciat, in manu non est mea.* Scribere potuisset *in mea non est manu.* Livius XXXII. 24. *Nihil esse in manu sua.* Lucanus VII. 253. *In manibus vestris, quantus sit Caesar, habetis.* Valerius Flaccus VI. 460. *In manibus spes nostra tuis.* Omitto alia, quae inveniuntur inter exempla a Cortio ad Sallustii B. Iug. 14. allata. Si non esset Latinum, poeta bonus metro non cogitur, ut minus Latine scribat. Lucano liberum erat *in vestris manibus.* Et Valerio aliter versum informare licuit: *Nostra tuis spes in manibus.*

Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniae Troes. Sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Coniuge praerepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum. Quibus haec medii fiducia valli,
Fossarumque morae, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt moenia Troiae
Neptuni fabricata manu considere in ignis?
Sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum
Apparat, et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Volcani, non mille carinis
Est opus in Teucros. Addant se protenus omnes
Etrusci socios. Tenebras et inertia furta
Palladii, caesis summae custodibus arcis,

Sed periisse semel satis est. Heynius: »Paullo argutiora et ῥητορικώτερα esse videntur." Assentior. Vix Turnum talis oratio in concione deceret, minime in oratione ad milites, et in tali rerum conditione.

Penitus modo non genus omne perosos Femineum. Qui feminas tantum non omnes odit, is odit omnes cum parva exceptione. Sed ne hoc quidem Turnus, ita fervens, Aeneae concedere debet. Poterat Aeneas Laviniam excipere. Vere Marklandus emendat: *penitus modo nunc.* Requiritur illud oppositum praegressis *semel* et *ante.*

Quibus haec medii fiducia valli — Dant animos. Durior oratio ex ira, ait Heynius. Fortasse explendum: O imprudentes et stolidi, quibus sq. Conf. Wagnerus ad Aeneid. III. 10. Nisi potius scribendum: *Et quibus haec medii fiducia valli — Dant animos?* Hi sunt, qui moenia Troiae in ignes considere viderunt. Huiusmodi interrogationes saepe in orationibus ducum leguntur.

Palladii, caesis summae custodibus arcis. Omnes Codd. hunc versum exhibent, et tamen omnes fere Virgilii interpretes eiiciunt, quia impetum loquentis Turni remoratur, neque in castris Troianorum erat arx summa nec Palladium, et veteres non dicebant *Palladii*, sed *Palladi.* Et ego saepe versus delendos putavi, qui in omnibus MSS. legebantur. Qui

Ne timeant; nec equi caeca condemur in alvo:
Luce, palam, certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
Esse putent, decumum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri; et pugnam sperate parari.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, *et moenia cingere flammis.*

contra me disputaturi sunt, et literarum caussa spero fore multos, inprimis Germanos, hi ergo consensui MSS. ne nimium tribuant. Quod hic valet, idem alibi valere potest. Wagnerus disputavit praeterea de genitivo *Palladii*, et praeceptum Bentleii sequitur. Idemque mihi verum videtur. In omni hac quaestione, quae nuper a viris doctis saepe agitata est, hoc tenendum: exempla, quae vulgo in contrarium afferuntur, habent synizesin. Ita Lucretii versu VI. 433. *Paullatim; quasi quid pugno brachiique superne*, nunquam uti contra Bentleinm licet, quia prima in *brachium* semper producitur. Afferenda sunt talia poetarum exempla, ubi ex natura metri necessario sequitur, pronuntiandum esse *Palladii*, quatuor syllabis. Ergo neque exemplum *Palladii* aliquid decernit, pronuntiandum quippe *Palladji*, ut *connubjis*. Exempla requiruntur, quale est v. c. quod in Horatianis legitur III. 27. *Turpe commissum, an vitiis carentem.* Ibi in *vitjis* contrahi non potest, quia dactylus postulatur. Nuper eandem quaestionem attigit Ritschelius in Specim. Melet. Plautin. Onomatologo a. 1842. pag. 9. et in Prologo Mercatoris, pro *Eadem Latine Mercator Marci Accii*, ingeniose restituit *Macci Titi.*

Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei. Haec non bene conveniunt cum iis quae modo dixerat: *Sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum Apparat, et mecum invadit trepidantia castra?*

Pugnam sperate parari. Ita erat in plurimis MSS. Alii *parati.* Servius: »Pugnaturos vos scitote, licet hostes muris se teneant."

Et moenia cingere flammis. Haec non recte dicuntur de *ignibus vigilum.* Recte dicerentur de Turno, si flammis uteretur ad moenia comburenda, et urbem occupandam. Ita Aeneid. X. 118. *Interea Rutuli portis circum omnibus instant Sternere caede viros, et moenia cingere flammis.* Unde ea huc translata puto. *Nocturni ignes* statim memorantur, ut hic non necessarium sit.

Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti; ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis iuvenes auroque corusci.
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, et vertunt crateras aenos.
Collucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Haec super e vallo prospectant Troes, et armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontisque et propugnacula iungunt;
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus:
Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,
Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum,
Excubat, exercetque vices, *quod cuique tuendum est.*

Bis septem Rutuli. Alii *Bis septem, Rutulo qui milite servent.* Et *milite* sic solum mihi non placet.

Crateras aenos. In uno *aureos.* Etiam si per binas syllabas efferatur, tolerari non potest, quia ultima in *crateras* corripitur.

Tela gerunt. Heynius: »*afferunt, portant* missilia et alia tela quibus opus esse poterat." Non scio meliorem interpretationem. Neque tamen satisfacit. Exspectassem *omne telorum genus comportant.* Latet, credo, aliquid vitii. Fortasse melius est *tela ferunt*, id est, *afferunt*, comportant. *Tela gerunt* vulgo significat *armati sunt.*

Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est. Servius: »*Exercet unusquisque vices ad id*, quod accepit tuendum." Heynius: »*Vices*, *quod*, explicative, hoc magis doctum adeoque poeticum, quam interpretari: *per vices* exercet id, quod, vel *exercet vices κατὰ τὸ*, quantum ad id spectat, quod sq." Ego ex linguae ratione vix explicari posse arbitror. Et salva sententia *quod cuique tuendum est*, tolli possunt. *Excubant et exercent vices* iam significat: suum sibi quisque locum, qui tuendus est, tuetur. Legit tamen Ambrosius Hexaem. V. 15. *Homines quam inviti subeunt vigiliarum munia! quam aegre unusquisque in castris periculum sortitus excubat, quod tuendum sibi regali praeceptione committitur! — — — Admonentur ut exerceant custodiae vices.* Haec Ambrosius. Neque ille quomodo Virgiliana acceperit, satis apparet. Iunxit,

Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; *comitem Aeneae quem miserat Ida*
Venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis;
Et iuxta comes Euryalus, quo pulcrior alter
Non fuit Aeneadum, Troiana neque induit arma;
Ora puer prima signans intonsa iuventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: Dine hunc ardorem mentibus addunt,

excubat quod tuendum est. Hemistichium, quod ad Latinitatem, semper manet durum, et ad sententiam plane supervacuum.

Comitem Aeneae quem miserat Ida Venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis. Mons Ida non dici potest *venatrix*. Et bene mons *aliquem mittit*, minus bene mittit *comitem*, quia in eo est *consilium*, quod monti non tribuitur. Et quare *comes Aeneae?* Omnes Troiani erant comites Aeneae. Nisus autem et Euryalus iam cogniti sunt tamquam Troiani ex libro V. Praeterea *comes* plerumque interiorem significat amicitiam et necessitudinem, quam erat inter Aeneam et Nisum. Euryalus mox de se melius dicit: *Magnanimum Aenean et fata extrema secutus.* Misit ergo *mater Ida*, venatrix. Singulare nomen in ea historia, in qua mons Ida tam saepe memoratur, ad cuius montis pedem Aeneas classem aedificavit, ex quo monte arbores in classem habuit. Et cur ea mater *venatrix?* Nympham fuisse dicit Heynius. At Virgilius hoc semper addit. Hyrtacus iste fuit magnus venator. Itaque Nisus vs. 406. Dianam precatur: *Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi.* Nec Dianam precari ausus fuisset, filius Nymphae venatricis. Tales enim Nymphae erant comites Dianae, et perpetuam virginitatem servare debebant. Cur autem mater Nisum mitteret, qui iam ea esset aetate, ut ipse proficisci posset? Praeterea mater Nisi in Sicilia mansisse videtur, nam vs. 217. laudat matrem Euryali, quae illum sola e multis matribus erat secuta, nec moenia Acestae curaverat. Postrema *iaculo celerem levibusque sagittis* ficta esse videntur ex V. 68. *aut iaculo incedit melior levibusque sagittis.*

His amor unus erat. Quanto simplicius, quam Silius IX. 406. *Velle ac nolle ambobus idem, sociataque toto Mens aevo, ac parvis dives concordia rebus.*

Dine hunc ardorem mentibus addunt. Appul. de Deo Socratis pag. 150.

Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete est.
Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant; somno vinoque soluti
Procubuere; silent late loca. Percipe porro,
Quid dubitem, et quae nunc animo sententia surgat.
Aenean acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt, mittique viros, qui certa reportent.
Si, tibi quae posco, promittunt: nam mihi facti
Fama sat est: tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et moenia Pallantea.

haec verba laudat. Ibi in MS. Thuan. inventum: *Dine hunc animum mortalibus addunt.*

An sua cuique deus fit dira cupido? Male in quibusdam *sit*. Ovidius Metam. VIII. 72. *sibi quisque profecto Fit Deus.* Conf. Heinsius ad Fast. III. 231. Cum caeteris compara Senecae Hippol. 567. *Sit ratio, sit natura, sit dirus furor.*

Aliquid iam dudum invadere magnum. Frustra coniicit Heumannus *aliud*. Valerius Fl. II. 184. *Magnum aliquid spirabit amor?*

Somno vinoque soluti. Supra dixit: *noctem custodia ducit Insomnem ludo.* Nox, credo, nunc iam ad finem vergebat.

Si, tibi quae posco, promittunt. Sed Nisus nihil poposcit, neque erat pro verecundia adolescentis, quamvis non sibi, sed amico poposcisset. Et indignum generoso pectore, quum de suis bene posset mereri, ea tantum conditione velle mereri, si amico darent, quae posceret. Legamus SPERO pro POSCO. *Si tibi, quae spero, promittunt.* Viam mihi reperire posse videor, nec dubito quin aliquod mihi praemium sint promissuri. Sed illud tibi paciscar. Nam mihi gloria sufficit.

Ad muros et moenia Pallantea. Etiamsi differant *muri* et *moenia*, differunt militari modo, si de urbe occupanda, praesidio firmanda, praesidio admittendo, agitur. Bene etiam Aeneas Lib. VIII. 98. *muros arcemque procul ac rara domorum Tecta videt.* Si quis simpliciter dicit *ad urbem ibo*, is dicere potest poetice *ibo ad muros* vel *ad moenia urbis*, non recte potest *ad muros et moenia*. Quare pro MVROS malim MONTES. Pallanteum in monte erat situm: Aeneid. VIII. 52. *Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti, Delegere locum et posuere in montibus urbem, Pallantis proavi de nomine Pallanteum.*

Obstupuit magno laudum percussus amore
Euryalus; simul his ardentem affatur amicum:
Mene igitur socium summis adiungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor, bellis assuetus Opheltes,
Argolicum terrorem inter Troiaeque labores
Sublatum erudiit; nec tecum talia gessi,
Magnanimum Aenean et fata extrema secutus:
Est hic, est animus lucis contemtor, et istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad haec: Equidem de te nil tale verebar;
Nec fas; non. Ita me referat tibi magnus ovantem
Iupiter, aut quicunque oculis haec adspicit aequis.
Sed, si quis, (quae multa vides discrimine tali)
Si quis in adversum rapiat, casusve, deusve,
Te superesse velim; tua vita dignior aetas.
Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum

Bellis assuetus Opheltes. Ita recte Iahnius et Wagnerus distinguunt. Vulgo: *bellis assuetus, Opheltes.*

Qui vita bene credat emi. Silius IV. 754. *Optatum bene credit emi quocunque periclo Bellandi tempus.* Ubi plura Drakenborchius.

Nec fas; non. Iam supra de hac loquendi forma aliquid annotavi. Adde Valerii Fl. VI. 269. *Non, ait: invitoque gener mutabere patri.* Seneca de Benef. VII. 25. *Non est ista admonitio, non convicium est.* Scribe: *Non est ista admonitio: non: convicium est.*

Si quis in adversum rapiat, casusve, deusve. Ovidius XIV. Metam. 162. *qui te casusve deusve servat Achaemenide?* Valerius Fl. III. 574. *Quis tales impune moras casusve laborve Attulerit.*

Te superesse velim. Valer. Fl. V. 26. *Tiphyn Ante alios superesse volunt.* Ubi Heinsius de hoc loco Virgilii non cogitabat: alioquin abstinuisset emendando *vovent.*

Me raptum pugna. Pugna *raptus*, vix aliud est, quam *interemtus.* Mallem *raptum ex pugna.* Statius Theb. XI. 191. *Sis lenis cineri, meque haec post proelia raptum Alitibus fratrique tegas urnamque reportes.* Occisus aliquis rapitur a sociis, ne cadaver maneat in hostium potestate. Ita saepe apud Homerum certatur et Statium de

Mandet humo; solita aut si qua id Fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro.
Neu matri miserae tanti sim caussa doloris:

corpore Tydei. Livius II. 47. *Ni legati, rapto consulis corpore, patefecissent hostibus viam. Raptus* adeo *ex pugna*, est *ereptus*.

Mandet humo; solita aut si qua id Fortuna vetabit. In aliis *Mandat humo solita;* in aliis, ut Wagnerus edidit; alii, iique veteres, legebant *id solita*, hoc est, *id solitum*. Multi praeferunt *humo solida*, quod tamen in nullo MS. inventum. Omnia ista huiusmodi sunt, ut Virgiliana manus non agnosci possit. *Humo solita* interpretantur *patriam*, *domesticam:* sed Troiani paucos dies in Italia fuerant; vel interpretantur *humum*, *terram*, *qua mortui condi et humari solenni more solemus:* sic epitheton est hoc loco supervacuum et ineptum. *Humo solida* etiam interpretantur respectu *naufragiorum*, ut *solidum* opponatur *mari*. Fortuna *solita* esset: *Si Fortuna forte, ut solet*. Sed tum *si qua* explicandum erat *si qua ratione*. Nam non dicimus *Si Fortuna aliqua solita*. Neque sic *Fortuna* esse potest *dea*. Nam *dea* est *una* persona. Omnia igitur dura et contorta. Melius, quod Wagnerus coniecit: *Mandet humo, aut solitas* sq. Quamquam et *solitae inferiae* hic parum habeant, quo se commendent. Quas *alias* Troiani essent laturi? Transpone *aut*, et pro SOLITA lege SALTEM, ac fortasse rem pro restituta accipies. *Sit qui me raptum ex pugna, pretiove redemtum Mandet humo; aut saltem, si qua id Fortuna vetabit, Absenti ferat inferias*. In D'Orvill. *aut* omissum est. Omitti ergo et ante *solita* potuit. Si occisus, dicit, neque ex pugna rapi neque pretio redimi possim, inferias saltem, quod nemo impedibit, mihi Troiani ferant. Virgilius Aeneid. I. 559. *Sin absumta salus — At freta Sicaniae saltem petamus*. VI. 885. *animamque nepotis His saltem accumulem donis*. Servius ad Aeneid. IV. 327. »*saltem*, quasi quod negari minime debeat, cum extremum aliquid petitur, inde necessitate additur *saltem*." Appul. Metam. I. pag. 48. *Superest hic saltem, qui miseri huius corpus parva contumulet humo*. Nuper in scholis meis hunc librum interpretabar. Ibi unus ex auditoribus, Blanchenayus, coniiciebat: *Mandet humo Ausoniae, aut, si qua id Fortuna vetabit: Absenti ferat inferias*. Quae coniectura talis est, ut memoratu dignam putaverim.

Tanti sim caussa doloris. Schol. Statii Theb. III. 373. citat *tumultus*. Sed Statius dixerat: *ne vobis tanti sim caussa tumultus*. Hinc, credo, librarii imprudentes in exemplo Virgiliano *tumultus* repetivere. Quod in Scholiis istis saepe accidit.

Quae te, sola, puer, multis e matribus ausa,
Persequitur, magni nec moenia curat Acestae.
Ille autem: Caussas nequidquam nectis inanis,
Nec mea iam mutata loco sententia cedit.
Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt, servantque vices: statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnis animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum:
Ductores Teucrum primi, delecta iuventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Aeneae iam nuntius esset;
Stant longis adnixi hastis, et scuta tenentes,
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumque morae fore. Primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere iussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus aequis,
Aeneadae; neve haec nostris spectentur ab annis,
Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi,

Quae te, sola, puer, multis e matribus ausa Persequitur. Lucan. VIII. 648. *matrum quae sola per undas Et per castra comes.* Caeterum *matris* ipsum nomen iam aetate provectam indicat, praecipue adiunctum habens *matres.* Ut inutile sit quaerere, cur Virgilius lib. XI. turbam *Iliadum* memoraverit. Heynius bene hoc vidit.

Ductores Teucrum primi, delecta iuventus. Multi Codd. *et delecta iuventus.* Praefero. Erat consilium militare, ex omni ordine et aetate delectum. *Primi ductores* differunt a *iuventute delecta.* Primi ductores erant Mnestheus et Serestus, iam aetate provecti. Aderat Aletes, *animi maturus et aevi:* et vs. 309. memorantur *primorum manus iuvenumque senumque.*

Somno vinoque soluti Conticuere. Erratum in MSS. *convenere, procubuere.* In aliis *sepulti*, quod fortasse melius, quia *vino solvi* aliud significat; nempe *exhilarati, ebrii*,

Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto;
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur; si Fortuna permittitis uti;
Quaesitum Aenean et moenia Pallantea:
Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta,
Affore cernetis. Nec nos via fallit euntis:
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem,

tamen *vigilantes* et vino soluti, plerumque non tacent. Wagnerus ad vs. 316. explicat *somno*, *qui gravis est e vino*, referens *soluti* modo ad *somnum*.

Si Fortuna permittitis uti; Quaesitum Aenean et moenia Pallantea. Alii sic legunt: *Si Fortuna permittitis uti: Quaesitum Aenean ad moenia Pallantea, Mox hic cum spoliis* sq. In Servianis dicuntur alii hunc ordinem voluisse: *Si Fortuna permittitis uti, Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta, Affore cernetis. Nec nos via fallit euntes Quaesitum Aenean et moenia Pallantea.* Heynius et Wagnerus multa in varias partes disputant. *Quaesitum* me non offendit. Si permittitis uti *Fortuna quaesitum*, idem est, ac Fortuna, quae nobis nunc opportunitatem faciendarum insidiarum eundique e castris ad quaerendum Aenean praebet.

Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta, Affore cernetis. Ista non de se pollicentur iuvenes. Ea conditione duces Troiani facultatem abeundi non concessissent. Erat factum imprudens, si, ad Aenean properantes, interea tempus hostibus occidendis et praeda facienda tererent; et quam fuerit imprudens, exitus docuit. Neque Nisus et Euryalus hoc consilium habuerunt, sed ipsa res iis dedit. Itaque senserunt se *nimia caede atque cupidine ferri*. Verbum *affore* ostendit *Aenean affore*. De Niso et Euryalo poeta dixisset *reversos*. Et quomodo illi promittere poterant se, *ingenti caede peracta*, et Aenea invento, cum spoliis reversuros? Soli per medios hostes, qui interea evigilassent, redire non potuissent. Ergo sperabant se cum Aenea spoliis onustos esse reversuros. At hoc nimis superbum: *nos affore cernetis*, caesis hostibus cum ingenti praeda, ubi aderat Aeneas. Sed illi in Aenea tantam spem ponebant, ut non dubitarent, quin, si modo sciret suos laborantes, statim auxilio venturus et hostes profligaturus esset.

Fallit. Medic. *fallet.* Melius.

Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem. Servius: »Nos, *in obscuris vallibus positi* vidimus primam urbem, hoc est, primam partem urbis: nam Palatium in monte est, non in vallibus." Iam primum,

Venatu assiduo *et* totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
Di patrii, quorum semper sub numine Troia est,

verba ita posita vix referri possunt ad *vidimus*, sed urbem indicant *sub vallibus* positam. Dicendum erat *ex vallibus vidimus urbem*, vel *sub vallibus* vidimus urbem in monte positam. Nam *sub* saepe idem est atque *in*, quod ostendit Burmann. ad Ovid. Metam. I. 689. Deinde, miror cur poeta videntes fecerit ex *vallibus obscuris*. Valles arboribus *obscurae* prospectum vix admittunt. Tum *prima urbs*, quamquam significare potest *primam urbis partem*, potest tamen et significare *vidimus urbem primum:* et *primum* apud Nonium invenitur. Sed *primum* vidimus *assiduo venatu* non convenit: *primam* partem vidimus, superfluum est. Nam quis eminus urbem in alto sitam videt *totam?* Denique, *prima* urbs fere usurpatur de magnis urbibus, ut *prima* sit suburbium, *προάστειον*. Sed urbs Euandri erat parvum oppidulum, res pauperes. Pro *vallibus* tria MSS. habent *moenibus*. Haec sunt, cur versum iam habeam suspectum. Accedit caussa, ni fallor, gravissima. Pallanteum a castris Troianis intervallo longiore erat remotum, quam ut Nisus et Euryalus primam eius partem in venatu videre possent. Tam procul a castris non discederent. Aeneas in itinere a castris ad Pallanteum diem et noctem transegit, medioque altero die arcem procul vidit. Sed fecerit iter breviore temporis spatio, nam res non satis perspicue declaratur, manet semper longum intervallum, inprimis si cogitemus illud iter favente Tiberi fuisse factum. Et quomodo Nisus hic affirmat *se vidisse urbem*, qui prius Euryalo dixisset: *tumulo videor reperire sub illo Posse viam ad muros et moenia Pallantea?* Si Nisus vidisset, viderat etiam Euryalus. Viderant, remoti fortasse vix horae spatium, et saepe viderant. Hi de via ad urbem ducente dubitare non poterant. Et tamen *videtur posse reperire*, et abire cupiunt *quaesitum Aenean et moenia Pallantea!*

Venatu assiduo et totum cognovimus amnem. Dicunt *venatu assiduo* spectare et ad *urbem* et ad *amnem*. Vix ad *urbem* spectare posse credo. Semel urbem vidisse sufficiebat, ut scirent ubi esset. In venatu videre poterant, *assiduus* venatus ad id non requiritur. Requiritur autem omnino ad *totum amnem* cognoscendum. Hoc sine venatu assiduo non fiebat. Legendum est: *Venatu assiduo totum cognovimus amnem.* Viderant Aenean per Tiberim ad Pallanteum proficiscentem. Ripas ergo fluminis, probe cognitas, sequentes, non dubitabant, quin Pallanteum essent inventuri.

Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Quum talis animos iuvenum, et tam certa tulistis
Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, et voltum lacrimis atque ora rigabat:
Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis,
Praemia posse rear solvi? pulcerrima primum
Di moresque dabunt vestri; tum cetera reddet
Actutum pius Aeneas, atque integer aevi
Ascanius, meriti tanti non immemor unquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penatis,
Assaracique Larem, et canae penetralia Vestae,
Obtestor: (quaecunque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis): revocate parentem:
Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba;
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta;

Non tamen omnino Teucros delere paratis. Valer. Fl. II. 642. *Non tamen haec adeo semota neque ardua tellus, Cum tales intrasse duces et robora cerno.* Silius X. 278. *Nec vero spes angustae, quum talia restant Pectora Romuleo regno.*

Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis. Nonnulla MSS. *pro talibus ausis.* Fortasse hoc vidit Valer. Fl. II. 242. *Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus ausis Ora feram.* Ubi scribendum *dona feram.* Quamquam et respicere potuit Aeneid. IX. 296. *Sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis.*

Di moresque dabunt vestri. Livius I. 28. *primum Diis immortalibus gratias ageretis, deinde vestrae ipsorum virtuti.*

Actutum pius Aeneas. Non Comicis tantum familiare vocabulum. Et redde Sallustio B. Iug. 102. *Ceterum vetera omittere, ac tum, si per Marium liceret, legatos ad senatum missurum.* Scribe: *Ceterum vetera omittere: Actutum, si per Marium liceret, legatos ad senatum missurum.*

Vos. Nulla hic est figura. Ego, o Nise, obtestor et te et Euryalum.

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta. Petitus distingue-

Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
Contigerit victori, et praedae dicere sortem:

bat *tripodas geminos auri*, et post *talenta* cogitabat *argenti*. Heynius bene refutat. Quod autem memorari non meminerat *aureos tripodas*, memoratur in historia septem sapientum et Apollinis Delphici.

Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido. Nec defectus copulae, nec tempus praesens mihi placet. Heynius propterea versum abesse malebat. Wagnerus defendit ingeniose defectum copulae, quia Ascanius nondum omnia enumeravit dona, sed addit, quae confecto bello et capta Italia accessura erant, atque illum versum scita pronuntiatione esse adiuvandum, ita ut sine intercapedine statim ad sequentia pergas. In verbo *dat* ponit conditionem aliquam durantem. Accedit, meo iudicio, gravis caussa, cur spurium putemus versum. Promittit omnia duplicia, bina pocula, tripodas geminos, duo talenta, unum nempe Niso, alterum Euryalo. Tum Niso alia promittit ex praeda, sorti excepta, quae non promittit Euryalo. In tali divisione locus esse non potest *uni crateri*.

Praedae dicere sortem. Alia MSS. *ducere*, et a Servio memoratur *deiicere*, seu per tres syllabas *deicere*. Heynio placet *ducere*, sortitione praedam dispertiri: Wagnero *dicere*, statuere diem, locum, modum sortitioni. Utrumque Latinum est, *ducere* sententiae melius convenit. Nihil enim hic aliud requiritur, quam *si vincamus et praedam sorte divisuri simus*. Ascanius *sorte dividit*, dividi iubet, dividendam curat. Ex ea sortitione communi, Niso eximium aliquid dabit, sorti excipiet, sortem Niso constituet, *sortem dicet*. *Dicere* significat *constituere*. *Dico* diem, hic dies erit: *dico multam*, haec erit: *dico sortem*, haec erit sors, haec pars praedae. Sic exempla accipiantur, allata v. c. ab Heinsio ad Ovidium Heroid. V. 33. praecipue ad Virgilium Aeneid. V. 486. et ab aliis ad alios scriptores. *Sors praedae*, quae ita *dicitur*, non venit in sortitionem, est praemium extraordinarium. Ascanius, capta Italia, sic loqueretur: Equus et arma Turni extra sortitionem Niso dentur. Livius hoc vocat *pronuntiare praemia*: II. 20. *fertur pronuntiasse militi praemia, qui primus, qui secundus, castra hostium intrasset.* et XXI. 45. *vocatis ad concionem certa praemia pronuntiat, in quorum spem pugnarent.* Si *dicere sortem* ita explicandum sit, apparet melius esse *ducere*. Alioquin Virgilius dixisset: Si Italiam cepero, et liceat praemia extraordinaria constituere, extraordinarium praemium Niso constituam equum et arma Turni. Melius praecedit universa victoriae notio *communis sortitio*, sequitur *exceptio*,

Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus: ipsum illum, clipeum cristasque rubentis,
Excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.
Praeterea bis sex genitor lectissima matrum

tamquam res maior et gloriosior Niso. Interpretationem igitur Wagnerianam non sequor, minus Latinitati et sententiae loci, ni fallor, accommodatam. Nam oratio est nimis curiosa, neque tempori neque Ascanio satis conveniens: si capere Italiam victori, diemque ac modum et locum sortitioni statuere contigerit. Nihil requiritur praeter simplex *sortiri*, et hoc est *sortem ducere*. Eratque tota illa sortitio res consueta et vulgaris, adeo ut, si fortasse *tempus* excipias, (quamquam et hoc *narrare* non attinet) nihil de ea prius constitui necessarium videri possit. Et quamvis *sors* et *sortitio* interdum idem significent, *sors praedae*, pro *sortitione*, non usurpari arbitror.

Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis. Silius IV. 266. *Videsno — Quantus erat Crixus? — Iam nunc tibi praemia pono.*

Ipsum illum, clipeum cristasque rubentis. Bothius inserit *et* ante *clipeum*. Laudo.

Praeterea bis sex genitor lectissima matrum. Testor omnium sensum, quanto elegantiae incremento tres versus abessent! Ipsa donorum promissorum multitudo parit fastidium. Ascanius de suo daret argenteum poculum, tripodem, et auri talentum: tum de praeda, idque sorti exceptum, munus omnium, quod cogitari poterat, honorificentissimum, equum et arma ipsius Turni. Haec vel cupidissimo sufficiunt. Non honestum est plura polliceri. Nisus ita suspectus fit avaritiae. Considera iterum orationem. Dabo, inquit, poculum, tripodem, talentum. Si vero Italiam capere contigerit, (iam crescit exspectatio) vidisti equum et arma Turni, (magis crescit exspectatio) hunc equum haec arma habebis. Haec summa est votorum, quae iuvenis sperare possit et Nisus sperare debeat. Quidquid addideris, nihil est ad tale praemium. Neque hoc omittendum. Virgilius Niso et Euryalo unum amorem, unam animam in duobus corporibus tribuit. In libro V. iam amor iste cernitur. In hoc etiam periculo sunt socii, praemiisque tam dignus est Euryalus quam Nisus. Satis credo est, si Niso, rei suscipiendae auctori, aliquid eximium donatur; sed quod solus, Euryalo neglecto, tot praeterea muneribus oneratur, hoc ipsi Niso videri debebat indignum.

Praeterea bis sex genitor lectissima matrum Corpora. Aletes supra dixerat: *tum caetera reddet Actutum pius Aeneas.* Hinc nasci potuit quaestio grammatica: *quid Aeneas Nise*

Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma:
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas

esset daturus. Haec quaestio ita elaborata est, ut in ea modestiam desiderem. Poterat Ascanius universe aliquid pro patre polliceri. Dona varia at singula sic enumerare, inepti est et arrogantis, ac fortasse plura promittentis, quam praestare possit. *Duodecim matres*, aliquid sunt. Singulare praeterea donum tali adolescenti, qualis erat Nisus! Mirum ni finxerit auctor ex Aeneid. V. 284. *Olli serva datur, operum haud ignara Minervae, Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.* Quae quam sint pulchriora, nemo non videt. *Matres* autem, pro *feminis*, sic simpliciter dici non puto. Maluissem *lectissima servas Corpora.*

Captivosque dabit. Quot? Heynius duodecim mancipia, ancillas et pueros interpretatur. Poeta, credo, vult duodecim mares, duodecim feminas. Latinum erat *bis sex servas, totidemque servos.* Reprehendo etiam *corpora matrum* et *captivos.* Et *matres* erant captivae.

Suaque omnibus arma. Ergo et *matres* sua habuerunt arma. Nam hae *duodecim* memorantur. Sed refer ad *captivos* tantum. Quid illa significant? Memoravit, inquit Heynius, captivos, *quos armatos* ceperat, armisque adeo spoliaverat. Hos assignabit cum armis. Quam ridiculum! Pater ex captivis, quos faciet, tibi duodecim daturus est, et simul arma, quae cuique detraxit. Wagnerus: *quae cuique sunt arma.* Dicamus, quod res est: pater tibi dabit duodecim matres et captivos, *et omnibus sua arma*, significat et omnes suis armis, iustis armis instruet, omnes, ut oportet, armabit. Si cum Wagnero velis interpretari, dicendum est: *suaque omnibus arma erunt.* Quae dura est ellipsis. Fortasse Grammaticus in *armis* simul complexus est instrumenta mulierum textoria.

Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus. Primum, hic in MSS. est mira varietas. Deinde, ut omittam *insuper his* inusitatum dicendi genus, totus hic versus a Virgilio scribi non potuit. Ipse Latinus nunquam fuit inimicus Aeneae. Promiserat filiam Aeneae uxorem. Sed a Turno et Amata coniuge coactus fidem servare non potuit. Post varios casus foedus feritur. Ex eo foedere Latinus suo agro nunquam privari potuit. Praeterea, ex oratione Iovis et Iunonis, libro XII, novimus ex Troianis et Latinis unam debere fieri nationem. At Ascanius, dices, ista ignorabat. Audio. Non tamen ignorabat poeta, neque ignorant lectores, qui rident vanum puerum, ea, idque nomine Aeneae, pollicentem, quae praestare non licebat, etiamsi posset.

Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio et comitem casus complector in omnis.
Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus;
Seu pacem seu bella geram: tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit; tantum: Fortuna secunda
Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non moenia regis Acestae.
Hanc ego nunc ignaram huius quodcunque pericli est
Inque salutatam linquo; Nox et tua testis

Comitem casus complector in omnis. Silius I. 76. *Et se participem casus sociarat in omnes.* X. 135. *Omnes comes ibat in actus.* Caeterum pro *casus* Virgilius scribere solebat *cassus*, ut mos erat temporibus Ciceronis paullumque infra. Vide Quintilianum Instit. I. 7.

Dissimilem arguerit; tantum: Fortuna secunda Aut adversa cadat. Duplici modo hic locus scribitur et distinguitur. Ut editum est, *tantum* significabit *tantum de me polliceri audeo*, quaecunque Fortuna acciderit. *Aut* pro vulgari *seu*. *Arguerit*, non committam *ut arguat.* Altera lectio est *haud adversa cadat.* Sic interpungendum est: *tantum Fortuna secunda Haud adversa cadat.* In ea ieiunum est *secunda*, *haud adversa*. Vir doctus iungebat *arguerit tantum*, ne insimulaverit quidem, tantum abest ut convicerit: vel *tantum Fortuna cadat*, in tantum, hactenus. Superest una ratio, quam Wagnerus non deteriorem putat, ut iungas *dissimilem tantum*, adeo dissimilem, ut non omni tempore aeque, ac nunc, probatus tibi sim. Sed in omni ista interpretatione aliquid minus concinni et Latini relinquitur. *Haud adversa* nunquam verum habebo. Significaret enim: *non ero dissimilis, si modo Fortuna faveat.* Ergo in re secunda esset non dissimilis. Virtus tamen in re adversa praecipue spectatur. Latinum esset: *Me nulla dies tam fortibus ausis Dissimilem arguerit unquam, Fortuna secunda Aut adversa cadat.* Ita Lib. IX. *Nulla dies unquam memori vos eximet aevo.* VNQVAM et TANTVM non adeo differunt, et *tantum* praeferri potuit ob metrum.

Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, et succurre relictae.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
In casus omnis. Percussa mente dederunt
Dardanidae lacrimas; ante omnis pulcer Iulus;
Atque animum patriae strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:

Audentior ibo. Duo MSS. *audacior.* Pessime. Burmannus ad Ovidii Art. I. 608. recte discrimen inter *audentem*, fortem, animosum, et *audacem*, temerarium, ostendit.

Atque animum patriae strinxit pietatis imago. Irascentur mihi, sat scio, multi huius versus admiratores, delere auso, quod ipsi non sine lacrymis legere solent. Videant, an iustas lacrymandi caussas habeant. Non durus sum ad naturae veritatem. Sed Critica est res surda et inexorabilis. Ea prius explorat, quam plorat. Motus est Ascanius ante omnes. Merito. Nam et ea aetate facilius commovemur, Euryalus erat ipsi aequalis, et amabat matrem relinquendam, ut ipse patrem amabat relictum. Atque istae cogitationes iam in eo *ante omnes* continentur. Virgilius artem *non omnia dicendi* probe intelligebat. Multa legentibus supplenda relinquit, qui, si supplere sciant, tanto sibi feliciores et doctiores videntur. Optimi veteres rationem hominum inescandorum tenebant, sciebantque illud *sapienti sat* non modo in ipso vitae usu, sed etiam in poesi ingens esse delenimentum. Motus est ante omnes Ascanius, lacrymas fundit. Quis eum movit? Euryalus. Quare? Quia tam pius erat erga matrem. Pietas eum movit. Imo *ipsa imago* pietatis, quam, ut Plato de sapientia optabat, suis oculis cernebat. Vides, si Virgilius hunc versum fecisset, eum fuisse scripturum: *Maternaeque animum strinxit pietatis imago.* Quare credo huc esse translatum ex X. 824. ubi Aeneae *mentem patriae strinxit pietatis imago*, hoc est, Lausi pietas erga suum patrem; illud egregium patriae pietatis exemplum. Heynius locum sic interpretatur: »Conscientia ac cogitatio, adeoque imago pietatis suae in patrem Aenean, acriter pungit animum Ascanii, exemplo pietatis in Euryalo erga matrem percepto.” *Imago pietatis*, pro *cogitatione*, ita posita, Latinum non est: nec, si esset, satis convenit. Cogitatio pietatis, si cogitaret, si sibi proponeret, quantopere et ipse suum patrem amaret, hoc, ea cogitatio animum stringebat. Non cogitamus aut deliberamus in tali caussa, sed agimus. Pietas Ascanii iam in lacrimis se aperuit. *Cogitatio* amoris, parum est.

Sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis.
Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creusae
Solum defuerit, nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicunque sequentur:
Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat:
Quae tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Haec eadem matrique tuae generique manebunt.
Sic ait illacrimans; humero simul exuit ensem,
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius atque habilem vagina aptarat eburna;
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.
Protenus armati incedunt: quos omnis euntis
Primorum manus ad portas, iuvenumque senumque,
Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri mandata dabat portanda. Sed aurae

Sponde. Wagnerus bene alteri *spondeo* praetulit, cuius ultima producatur. Quamquam hoc ita fortasse expediri posset, ut *spondeo* faceremus duarum syllabarum. Wagnerus Latinitatem quoque imperativi defendit. Et miror, cur Burmannus dubitare potuerit. Si rectum est *spondeo tibi*, rectum est *spondeo mihi*, non minus quam *promitto tibi*, *promitto mihi.* Praeterea *sponde* requiritur ob sequens *namque.* Non enim bene connectas: *spondeo tibi* illud de matre, nam tua mater erit mea: ita dicendum potius erat: *et*, *atque mater tua erit mea.* Optime contra procedunt: tu tibi illud de matre sponde, securus esto nec dubita, nam eam pro mea matre habebo.

Casus factum quicunque sequentur. Haec omnino ad sequentia referri debent, alioquin *quae tibi polliceor reduci rebusque secundis* nullam habent sententiam. In *casus quicunque sequentur*, intelligitur *eventus infelix*, *mors.* Si non redeas, ea, quae tibi polliceor reduci, mater habebit. *Casus* est *eventus.* Iuvenalis Satyr. I. 90. *Itur ad casum tabulae.* Ubi Schol. *ad interitum*, *eventum.* Scribe *ad incertum eventum.* Ut Livius I. 17. *In incertum comitiorum eventum.*

Mandata dabat portanda. Nihil auribus ingratum. *Data* habet primam longam, *dabat* brevem. Alioquin poeta scripsisset: *mandata dedit.*

Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, *multis tamen ante futuri*
Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma, iacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra. Nunc ipsa vocat res.
Hac iter est. Tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, et consule longe.
Haec ego vasta dabo, et lato te limite ducam.

Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri Exitio. Haec, per Latinitatem, imo per cuiusvis linguae rationem, non aliter explicari possunt, quam: Castra petunt inimicorum; prius tamen, quam illa castra peterent, multis exitio futuri erant. Talis autem sententia ab universa rei gestae historia abhorret. Viderunt interpretes: itaque Servius exponit: »*Antequam ipsi perirent.* Ostendit perniciosa castra esse, quae ipsis mortem fuerant adlatura. Cum dolore dictum est *inimica*, non tantum *hostilia*, sed et *perniciosa*." Heynius *durum* vocat; ego etiam *non verum*. Nam *castra* ipsa Niso et Euryalo non erant *perniciosa*, imo tuta et gloriosa, quae et laudem et praedam dederint. Ideo vs. 363. *excedunt castris, et tuta capessunt.* Quare Heynius hoc sequitur: *multis tamen futuri exitio, antequam ad Aenean tenderent seu pervenirent.* Sed neque ita res expeditur. Nam ad Aenean non pervenerunt. Verba *multis tamen ante futuri exitio* postulant antecedens, quale *petunt castra, ad suos non redituri.* Latet quidem aliquid tale in eo: *sed aurae omnia discerpunt:* sed et nimis remotum, et non diserte satis expressum. Interea, dum haec ab aliis vel explicentur vel emendentur, hos versus sic legam, ut notavi. Saepe iam vidimus plurima, quae intelligi aut probabiliter emendari non possunt, incolumi metro, incolumi sententia, eiici posse. Quare suspicio fraudis sponte, apud me quidem, oritur. Heynius pro *tamen ante* coniicit *iam iamque.* In MS. Leid. legitur *arte*, solito scribentium errore. Fronto pag. 518 habet *tamen ante.*

Vina simul. Pocula. Vide Burmannum ad Valerium Fl. III. 610. Maluissem hic aliud vocabulum, quia praecedit *vino fusa* corpora.

Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum
Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum;
Rex idem, et regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tris iuxta famulos temere inter tela iacentis
Armigerumque Remi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla;
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque,
Et iuvenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque iacebat
Membra deo victus: felix, si protenus illum

Superbum Rhamnetem. Non tantum *superbus* appellatur, quia in castris habebat tapetes, sed omnino splendorem et magnificentiam ostendebat, tamquam *rex*. Splendor etiam ex famulis, armigero, et auriga intelligitur.

Exstructus toto proflabat pectore somnum. Valerius Fl. I. 147. *acclinisque tapeti In mediis vacuo condit caput Hippasus auro.* Schol. Statii Theb. X. 314. *proflatu terrebat equos*, comparat Virgiliana: *anhelum Proflabat sub luce deum.* Sed hoc Scholion ita legendum est: »Virgilius: *toto proflabat pectore somnum.*" Statius alibi: *anhelum* sq. Nam Statii sunt Theb. II. 75. *Insomnem ludo certatim educere noctem Suaserat: effusi passim per tecta, per agros, Serta inter, vacuosque mero crateras anhelum Proflabant sub luce deum.*

Armigerumque Remi premit. Schraderus et Heynius coniiciunt *Remum*, quod verum puto. Et sic erat in D'Orvilliano. Rhamnes ita a famulis armigero et auriga cinctus fuisse videtur, ut eum, nisi iis sublatis, interficere non potuerit. Nec video, quid *iuxta* significaret, si ad *Remum* referretur. Dicendum erat: tum Remum premit et tres famulos iuxta iacentes.

Terra torique madent. Quamquam *torus* usurpetur de cubili herboso in gramine, hic tamen cum *terra* iunctum, non aliud significat quam tapetes Rhamnetis.

Membra deo victus. In aliis MSS. *vinctus*. Perpetua mutatio. Dicitur autem utrumque, et de somno et de vino. Exempla vide apud Heins. ad Ovidii Metam. XI. 238. Heynius hic praefert *victus*, tamquam minus ab-

Aequasset nocti ludum, in lucemque tulisset.
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans;
Suadet enim vesana fames; manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali caedes: incensus et ipse
Perfurit; ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque, Herbesumque subit, Rhoetumque, Abarimque,
Ignaros; Rhoetum vigilantem, et cuncta videntem;

horrens a *multo deo*, quam *vinctus*. Sed *deus* hic nihil est aliud quam *vinum*. Et si fortasse melius sit *victus deo*, melius etiam est *iacet vinctus membra*. Burmannus ad Anthol. Latin. T. I. p. 642. et Propert. III. xv. 42. hoc discrimen semper observandum putat in sopore, ut lumina *victa* dicantur, quae sopori diu reluctata tandem superantur, *vincta* autem, *alto somno* oppressa. Sed neque ea distinctio ubique valet. Multum enim ab addito verbo pendet. Si quis v. c. *victus iacet*, idem est *vinctus*.

Aequasset nocti ludum. Silius VII. 340. *Somno noctes aequare*. Latinum quoque est *iungere*. Claudian. in Entrop. II. 437. *alii leto iunxere soporem*. Conf. Gronov. ad Senec. Thyest. 467.

Manditque trahitque Molle pecus mutumque metu. Sedulius in Carm. Paschali versum fecit suum. Respexere Silius II. 684. *mandit hianti Ore fremens imbelle pecus*. Valerius Flaccus II. 230. *prensosque toris mactatque trahitque*. Ubi Heinsius et Burmannus, si Virgiliana meminissent, nihil mutassent. Nec *mactatque trahitque* est ὕστερον πρότερον, ut neque *manditque trahitque*. Pulchre subiungitur *trahit*, quod est prae furore et fame nescientium quid prius facturi sint. Valerius VI. 614. rhetorice de leone dixit: *Stabulis qualis leo saevit opimis Luxurians, spargitque famem, mutatque cruores*. Ubi Burmannus male legebat *fame*. *Spargere famem* aculeatum est, qualia, non Virgilius, sed Ovidius, Valerius, Lucanus, Seneca, amant. *Spargit famem*, qui non contentus uno cibo, una ove, ut leo, varias petit, unam post alteram arripit. Talia sunt Lucani III. 591. *Divisitque animam, sparsitque in volnera letum*. Claudian. in Rufin. II. 25. *cladem divisit in orbem Disposuitque nefas*.

Rhoetumque, Abarimque, Ignaros; Rhoetum vigilantem. Rhoetus et Abaris *ignari*, Rhoetus *vigilans*, non placet. Iam Schraderus et Heynius in *Rhoetum vigilantem* malebant aliud nomen proprium. Wagnerus habet pro forma orationis poetica, nec quemquam in pedestri ora-

Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit assurgenti, et multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta
Vina refert moriens; hic furto fervidus instat.
Iamque ad Messapi socios tendebat; ibi ignem
Deficere extremum, et religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus
(Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri),

tione hece ita eloqui dubitaturum: Herbesum, Rhoetum, Abarim subit, ignaros illos, praeter Rhoetum. Dubito. Nam sic requiritur in antecedentibus aliquid, quod *ignaris* opponatur: v. e. *multos vigilantes interfecit*, Herbesum, Rhoetum, Abarim ignaros, praeter Rhoetum, etiam vigilantem. Esset certe non accurate loquentis oratio. Librarius hic nomen *Rhoetum* facile repetere potuit ex praegresso *Rhoetum*, vel praegressum corrumpere ex hoc nomine. Et omnino talia nomina, quae Virgilius ex antiquis poetis sumebat, fortasse etiam fingebat, ut erant plane ignota, ita frequentius perverso modo scribebantur. Possis: *Erytum vigilantem*.

Multa morte recepit. Veteres nonnulli distinguebant *multa morte purpureum*, ita legentes pro *purpuream*. Cornutus scribebat *multa nocte*, et, teste Servio, annotabat: utrum *nocte* pro *morte*, an *cum multa nox esset?* Si Cornutus de nocturno tempore cogitavit, inepte fecit. Sed cogitavit, puto, de nocte et tenebris quae oculos morientis tegebant. Alii porro *recipere* explicant *excipere* morte, tamquam hospitio et epulis, alii coniiciunt *reduxit*, aut *inulta morte*. Equidem ita interpretor: ensem e pectore extraxit, quum mors iam multa esset. *Multa morte*, ablativus absolutus, ut *multa nocte*, *multo mane*, *multo die*. Mors Rhoeti iam eo venerat, ut nihil deesset, tale vulnus acceperat, ut statim animam esset redditurus. Fieri potest, ut Cornutus, homo doctus et ingeniosus, hoc voluerit. Heynius verum sensit; *multa morte* dictum arbitratur de vulnere alte illato certissimaque adeo morte.

Purpuream vomit ille animam. Confirmatur etiam imitatione Valerii Fl. III. 105. *Compressaque mandens Aequora* (campum, gramen) *purpuream singultibus exspuit auram;* Servius hic citavit Homericum ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος. Quod si Virgilius exprimere voluisset, dixisset *multa morte recepit purpurea.*

Absistamus, ait; nam lux inimica propinquat.
Poenarum exhaustum satis est; via facta per hostes.
Multa virum solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis, et aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
Quae mittit dona, hospitio quum iungeret absens,
Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti;
Haec rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
Interea praemissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, et Turno regi responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Iamque propinquabant castris, muroque subibant,

Tiburti Remulo. Iulius Sabinus annotavit: *hic locus totus ab expositoribus dicitur emendandus.* Fortasse eos offendit, quod plurima sententiae membra sunt inserta, ut Heynius suspicatur. Et poeta in fine orationem abruptam repetiit, dicens: *Haec rapit.*

Caedicus. In Livio V. 44. memoratur *Caedicius*, centurio.

Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti. In Servianis legimus: »Sciendum, locum hunc esse unum de XII Virgilii, sive per naturam obscuris, sive insolubilibus, sive emendandis; sive sic relictis, ut a nobis per historiae antiquae ignorantiam liquide non intelligantur." Heynius quidem interpretari conatur, sed Waguerus spurium esse iis argumentis demonstravit, ut nihil videam, quod contra disputari vel addi possit.

Ex urbe Latina. Mallem *ex urbe Latini.*

Turno regi responsa ferebant. In Servianis legitur: »In omnibus bonis *regis* dicitur inventum: nam quasi absurdum est, duobus positis, *Turnum potius quam Latinum responsa dare.*" Ego *regis* praeferendum indico. Responsa esse potuerunt, cur tantum equites venirent, non pedites: nam caetera legio instructa in campis morabatur. Latinus legionem nondum misit. Oderat bellum.

Iamque propinquabant castris, muroque subibant. Imitatur Silius

Cum procul hos laevo flectentis limite cernunt,
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens:

XVII. 605. *Iamque propinquabant hostes, tumuloque subibant.* Eaque imitatio facit pro *muroque.* Alii *murosque* legunt. Sed quis *murus*, quae *castra?* Heynius vult Troiana, ego Rutula. Virgilius supra appellat *castra inimica*, et *excedunt castris.* Latini nondum attigerant castra Rutulorum. Debebant attingere, prius quam pervenire possent ad castra Troiana. Post pugnam et mortem Nisi et Euryali demum in castra Rutulorum veniunt. Praeterea iter equitum Latinorum erat destinatum ad castra Rutula. Nam ferebant responsa Turno. Ubi Turnum quaererent, nisi in castris? Cogitandum igitur Rutulos munimenta quaedam, certe vallum fecisse.

Cum procul hos laevo flectentes limite cernunt. Si Nisum et Euryalum ipsos procul cernerent, non opus erat galeam eos prodere. Galea Euryali in umbra noctis refulgens oculos Volscentis primum eo convertit, tum oculos intendens, eos cernit. Scribamus: *Cum galea Euryalum sublustri noctis in umbra Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit, Et procul hos laevo flectentes limite cernunt.*

Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens. Burmannus emendat *visa*, nempe galea, quia interpungebatur: *Haud temere est visum, conclamat* sq. Heynius distinxit, ut edidimus, et interpretatur: »Res animadversa est haud in vanum, haud impune. Conclamavit statim Volscens." Ego verba *haud temere est visum* etiam Volscenti esse tribuenda puto. *Probe vidi*, exclamat, *oculi mei me non fefellerunt. State viri.* Statius hunc locum bis ante oculos habuit: Theb. II. 529. *Ille propinquabat silvis et ab aggere celso Scuta virum galeasque videt rutilare comantes, Qua laxant rami nemus, adversaque sub umbra Flammeus aeratis Lunae tremor errat in armis. Ac prior: Unde viri? quidve occultatis in armis?* Theb. X. 391. *Nescio quid visu dubium incertumque moveri, Corporaque ire videt. Subitus mox, fraude reperta, Exclamat: cohibete gradum, quicunque. Sed hostes Esse putat.* Heinsius ad h. l. et ad Valer. Flacci IV. 741. minus recte de formula *haud temere est* cogitabat. Burmannus quidem sic eum haec accepisse censebat, ad Quintil. Declam. XIII. pag. 293. citavitque eo nomine Ruhnkenius ad Terentium pag. 104. Pro *ab agmine*, alii *ab aggere*, quod Heinsius vi exemplorum

State, viri; quae caussa viae? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra;
Sed celerare fugam in silvas, et fidere nocti.
Obiiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant undique sentes;
Rara per occultos lucebat semita callis.
Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda
Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit: iamque imprudens evaserat hostis,

commendat. Alterum melius, et confirmat Valerius Fl. III. 259. *conclamat ab agmine Tiphys.*

Nihil illi tendere contra; Sed celerare fugam. Cum Servio interpretantur: *verbis tendunt* adversus Volscentem, hoc est, *respondent.* Sed *verbis contra tendere* de Niso et Euryalo hic nunquam dici potest. Esset enim, *nihil contra disputabant*, nulla argumenta in medium ferebant, ut probarent, se esse amicos Rutulorum, neque caussam habere Volscentem, cur ita clamaret, aliaque in hunc modum. Neque *tendere contra* significare potest, quod significat, *resistere, repugnare vi et armis.* Nam Rutuli nondum invaserant, nec ipsi prius Rutulos invaderent. Neque significare potest *contra Rutulos proficiscebantur, obviam ibant Rutuli.* Tunc enim legendum esset *non illi tendere contra.* Quare scribendum iudico: *Nihil illi: tendere contra Et celerare fugam. Fugam tendere et celerare*, pro celerrime fugere. IX. 781. *quo deinde fugam, quo tenditis?* Talia sunt *tendere viam, iter.* Vide Heins. ad Valerii Flacci III. 734. *Nihil illi*, pulchra ellipsis, ubi non cunctamur, aut deliberamus. Statius Theb. IX. 343. *Nihil ille, sed ibat Cominus.* Idem Statius l. 1. Theb. II. haec Virgiliana sic expressit: *nec reddita contra Vox fidamque negant suspecta silentia pacem.*

Rara per occultos lucebat semita callis. Hic illic inter callis occultos semita apparebat. Adeo sentes omnia complerant. Calles sentibus erant occulti. Virgil. Aen. IX. 508. *Qua rara est acies, interlucetque corona Non tam spissa viris.* Alii *ducebat.*

Fallitque timor regione viarum. Timor ne fallamur plerumque plurimum fallit. Valerius II. 43. *ignota captus regione viarum Noctivagum qui carpit iter.* Ubi minime legendum est *cautus.*

Atque locos; qui post Albae de nomine dicti
Albani; tum rex stabula alta Latinus habebat:
Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum:
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave sequar, rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvae? Simul et vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus; quum clamor ad auris
Pervenit, ac videt Euryalum: quem iam manus omnis
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit et conantem plurima frustra.

Atque locos. Alii *atque lacus*, *ad lucos*, *usque lacus*, partim ex coniectura. Assentior Heynio, *agrum*, *collem*, et similia requirenti. Esset melius: *Et colles.*

Euryale infelix, qua te regione reliqui? Optime defendit Wagnerus contra *Euryale, infelix* sq. Si Virgilius hoc voluisset, scripsisset *qua te, infelix*, vel *reliqui infelix.* Hoc sensit Wagnerus, quod plane confirmat Valer. Flaccus I. 715. *qua te infelix, quibus insequar oris?*

Rursus perplexum iter omne revolvens Fallacis silvae? Sic Urbanus verba Nisi continuat. Alii *Quave sequar? Rursus perplexum* sq. ut sint verba poetae. Et hoc mihi optimum videtur, modo legas: *Quave sequar? Rursus perplexum iter omne revolvit Fallacis silvae, simul et vestigia* sq. Haec Nisus dixit, simul rursus revolvit sq. *Simul* pertinet tam ad *revolvit* quam ad *legit.* Verba Niso non recte tribui possunt, quia sunt deliberantis ac timentis. Deliberatio autem et timor non cadunt in talem adolescentem tali tempore. Et quomodo dubitare posset, qua esset secuturus, si ipse addat, se omne iter esse revoluturum?

Quem iam manus omnis — Oppressum rapit et conantem plurima frustra. Servius: »*Quem iam manus omnis rapit:* nam male quidam *videt rapi* accipiunt; quod si admiseris, vacat *quem iam manus omnis.*" Si *rapi* verum esset, tam et ea, quae dicit Servius, erant delenda, et scribendum: *oppressumque rapi.* Si cogito substantiva quae dicuntur collectiva, *pars*, *pubes*, *aetas*, et hoc ipsum *manus*, praesertim adiectum habentia *omnis*, apud optimos poetas iungi cum verbo plurali, Virgilium etiam hic scripsisse coniicio: *oppressum rapiunt conantem plurima frustra.* Sic Aeneid. II. 477.

Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in enses
Inferat, et pulchram properet per volnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, et sic voce precatur:
Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,
Astrorum decus, et nemorum Latonia custos;
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut, sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.
Dixerat: et toto connixus corpore ferrum
Coniicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique

una omnis Scyria pubes Succedunt tecto. Aeneid. XI. 834. *Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum.* Valerius Flaccus IV. 324. *At manus omnis Heroum densis certatim amplexibus urguent.* Heinsius ad Ovidii Metam. IX. 425. plurima similia congessit. Et in hac caussa elegantius puto, *rapitur oppressus, conans plurima frustra*, quam *et conans.*

Suspiciens altam Lunam, et sic voce precatur. Ita in optimis MSS. legitur, et defendit Wagnerus, putans Virgilium, quum debuisset scribere *torquet* vel *suspicit*, coeptae orationis esse oblitum, vel ita ingratum sonum *altam Lunam* vitasse, vel turbatam orationem dedisse menti turbatae. Oratio, ut mihi videtur, non esse debet turbata, quia Virgilius ipse loquitur, non Nisus. Virgilius coeptae orationis, ubi duo tantum vocabula praecedant, oblivisci non facile potuit. Sonum, si esset ingratus, mutare sic in promptu erat: *Atque altam adspiciens Lunam, sic voce precatur.* Quo omnis difficultas esset sublata. Consensui MSS. nunquam ego tantum tribuo, ut, si particula non recte explicari possit, ea autem deleta, omnis oratio egregie procedat, propter illum consensum servandam esse arbitrer. Quare verum puto: *Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur.*

Si qua ipse meis venatibus auxi. Scribi poterat: *Sique ipse meis venatibus auxi.* Wagnerus vulgatum interpretatur *si forte auxi dona.*

Aversi. Omnia MSS. praeter duo, eaque non optima, habent *adversi.* Quod tamen manifesto falsum est. Ap-

Frangitur, ac fisso transit praecordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure.
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque,
Stridens, traiectoque haesit tepefacta cerebro.
Saevit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem, nec quo se ardens immittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves amborum, inquit; simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens,
Conclamat Nisus; nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me, (adsum, qui feci) in me convertite ferrum,
O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,

paret, quae fides habenda sit MSS. consensui, quando ratio repugnat.

Summa telum librabat ab aure. Ovidius Metam. II. 311. *dextra libratum fulmen ab aure Misit in aurigam.* Vide Heinsium. Pro *librabat*, quaedam MSS. *vibrabat.* Sed conferantur Gronovius ad Senecam Consol. ad Marciam, 9. et Arntzenius Epist. Crit. p. 70.

Saevit atrox Volscens. Imitatur Valerius Flaccus I. 700. *Saevit atrox Pelias — nec qua se ardens effundere possit.* Quem locum tractavit Gronovius ad Statium pag. 370. *Auctor teli* illustrarunt Burmannus ad Ovid. Metam. VIII. 345. et interpretes ad Silium IV. 464.

Tu tamen interea. Silius II. 240. *Tu solve interea nobis, bone ianitor urbis, Supplicium, ut pandas, inquit, tua moenia leto.*

Me, me, (adsum, qui feci) in me convertite ferrum, O Rutuli. Elegantissime turbata oratio, quam sic malim interpunctam: *Me, me: adsum, qui feci: in me convertite tela, O Rutuli.* Me, me *occidite.* Seneca Troad. 680. *Me me, sternite hic ferro prius.* Herc. Furent. 110. *Me me, sorores. Mente deiectam mea Versate primam.* Silius IV. 798. *Me me, quae genui: vestris absumite votis.* Sic ea loca puto scribenda. Ellipsi utitur Seneca Medea 535. *Nec diligenti tela librentur manu. Vel me, vel istum.*

Nihil iste nec ausus, Nec potuit. Hegesippus I. 44. *Nihil est ausus referre, nec potuit.*

Nec potuit: Coelum hoc et conscia sidera testor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus
Transabiit costas, et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit:
Purpureus veluti quum flos, succisus aratro,
Languescit moriens; lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnis
Volscentem petit; in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes, hinc comminus atque hinc,
Proturbant. Instat non secius, ac rotat ensem
Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese proiecit amicum

Tantum infelicem nimium dilexit amicum. Ego sum auctor et dux omnis rei. Ille me modo secutus est. Illi parcite. Heindrichius versum eiicere volebat. Non assentitur Wagnerus. Et Tacitus legisse videtur Annal. XVI. 32. *Non criminibus mariti connexam. Nimiae tantum pietatis ream.*

Transabiit costas. In aliis *transadigit.* Alterum hic melius. Vide Burmannum ad Valerii Fl. IV. 511. Ensis abiit, totus infixus, per costas ad pectora.

It cruor. Silius IV. 204. *per candida membra It fumans cruor.* Vide Rupertum.

At Nisus ruit in medios. Imitatur Silius V. 607. *Tum praeceps ruit in medios, solumque fatigat Flaminium incessens.* Locus Virgilii satis ostendit in Silio nihil esse mutandum, neque *medium* pro *medios*, neque *coelum* pro *solum* esse accipienda.

Rutuli clamantis in ore Condidit adverso. Servius: »Archaismos est, ut supra 347. *Pectore in adverso totum cui cominus ensem Condidit.* Fortasse voluit *in ore* positum pro *in os* vel *in ora.* Sic certe Ovidius Metam. XII. 294. *rutilasque ferox in aperta loquentis Condidit ora viri, perque os, in pectora, flammas.* Metam. I. 726. *stimulos in pectora condidit.*

Tum super exanimem sese proiecit amicum. Silius XVII. 470. *Ex-*

Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet aevo,
Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores praeda Rutuli spoliisque potiti,
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exsangui, et primis una tot caede peremtis;
Serranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa

tendit labens palmas, Heriumque iacentem Amplexus, iuncta lenivit morte dolorem. Ubi Drakenborchius similia laudavit.

Si quid mea carmina possunt. Ambros. de Obitu Valent. 78. *Boati ambo, si quid meae orationes valebunt, nulla dies vos silentio praeteribit.*

Imperiumque pater Romanus habebit. Heynius *patrem* interpretatur *Iovem Capitolinum*, Niebuhrius *civem Romanum*, quia cives olim meri erant patricii (quod mihi nimis doctum videtur), Wagnerus *Augustum.* Ego non satis intelligo. Nec iuvabit, si explicas *Senatorem Romanum.* Requiritur aliquid huic simili: *imperiumque orbis Romanus habebit.* Qualis sententia est Aeneid. VI. 582. *Tu regere imperio populos, Romane, memento.* Augustus et posteri in domo Aeneia cogitantur. Hoc vult: dum Iulia gens populo Romano, terrarum domino, praeerit. In Servianis interpretatio deest.

Victores praeda Rutuli spoliisque potiti. Latini Nisum et Euryalum interfecerunt, non Rutuli. Imprudens, indice Wagnero, fecit Virgilius. Ego pro RVTVLI scribendum puto EVRYALI. Victores Latini cum praeda et spoliis, quae Euryalus in castris Rutulorum fecerat, castra Rutulorum petunt. Ea spolia mox in castris agnoscuntur, et caussa caedis intelligitur. Ideo hic memorantur. Nisus nullam omnino praedam attigit. Euryalus vs. 359 rapit *phaleras Rhamnetis et aurea bullis Cingula*, et *galeam Messapi induit; galea Euryalum prodidit* vs. 373; Euryalum vs. 384. *onerosa praeda impedit.* Ergo Latini victores praeda et spoliis Euryali potiti, Euryalo ita interfecto spoliisque privato, et spolia et Volscentem in castra ferebant. Ea spolia, ut dixi, mox agnoscuntur.

Rhamnete reperto Exsangui. Valerius Fl. III. 280. *in mediis exsangui rege reperto Aggeribus.*

Serranoque Numaque. Schraderus *Lamoque.* Vere. Requiritur aliquod

Corpora, seminecesque viros, tepidaque recentem
Caede locum, et plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Iam sole infuso, iam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat; aeratasque acies in proelia cogit
Quisque suas, variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Praefigunt capita, et multo clamore sequuntur,
Euryali et Nisi.
Aeneadae duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem (nam dextera cingitur amni),
Ingentisque tenent fossas, et turribus altis
Stant maesti: simul ora virum praefixa movebant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque allabitur auris
Euryali. At subitus miserae calor ossa reliquit.

nomen, quod praecessit. Supra omisit *sine nomine plebem*, et hic memorat *primos*.

Iam sole infuso, iam rebus luce retectis. Ambrosius Hexaem. IV. 2. *Sole terris infuso*. Hegesippus II. 15. *ubi luce diffusa, res apertae sunt*.

Variisque acuunt rumoribus iras. Caedem nocturnam narrant. Ita et Heindrichius. Atque hinc additur *Quin ipsa* sq. ut eo adspectu socii ira magis excitetur.

Euryali et Nisi. Heynius hemistichium ex interpretamento natum censet. Et rectus ordo postulabat, *capita Euryali et Nisi hastis praefigunt, et sequuntur*. Considera similitudinem literarum inter ADRECTIS VISV et EVRVALIETNISI. Fieri adeo potuit ut librarii corruperint, quod Virgilius sic scripsit: *Quin ipsa Euryali et Nisi (miserabile) in hastis Praefigunt capita, et multo clamore sequuntur*.

Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Evolat infelix, et, femineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit: non illa virum, non illa pericli,
Telorumque memor; coelum dehinc questibus implet:
Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune, ille senectae
Sera meae requies, potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,
Affari extremum miserae data copia matri?

Excussi manibus radii. Apud Macrobium legitur *expulsi*. Vulgatum vidit Valerius Fl. I. 618. *Excussi manibus remi.* Idem VI. 646. *Omnibus et gelida rapti formidine remi.* Ubi scribendum potius *lapsi*. Ovidius Metam. IV. 229. *pavet illa, metuque Et colus et fusi manibus cecidere remissis.*

Non illa virum, non illa pericli, Telorumque memor. Statius Theb. XI. 316. *ibat Scissa comas, vultuque et pectore nuda cruento Non sexus decorisve memor.* Notandum *scissa comas*, quod etiam MSS. duo Virgiliana habent.

Hunc ego te, Euryale, adspicio? Orationem imitatur Hegesippus de Excid. Hieros. V. 23. Statius Theb. XII. 322. *Hunc ego te coniux ad debita regna profectum Adspicio.* Conf. Burmannum ad Valerii Fl. VII. 481.

Tune, ille senectae sera meae requies? Ita Aeneid. VIII. 581. *mea sola et sera voluptas.* Ubi interpretantur *in senectute patris natus*, τηλυγετής. Sed quid *sera* hoc loco? Euryalus sic dici poterat *sero patris voluptas*, non *matris*, quia matres in senectute non pariunt. Ita saltem accepit vocabulum Graecum Catullus in Epithalamio vs. 217, ubi pater Thesea vocat *redditum sibi in extremae fine senectae.* Licet ipsi Graeci *aetatem* in parentibus non unice hic observent. Apud Virgilium igitur accipiendum pro *ultima*, praeter quam requiem nulla mihi amplius superest. Nisi potius scribendum sit *certa meae requies.* Ut Seneca Herc. Furent. 621. *O gnate, certa et sera Thebarum salus!* Pro *ille*, alii *illa*. *Ille* non est exquisitius, sed aliud significat, nempe: *tune es ille*, quem senectae requiem putabam? Et sic erat distinguendum: *Tune ille, senectae sera meae requies? Potuisti linquere solam Crudelis? Illa requies* magis significat *id quod est requies*, in qua re ponebam requiem. Silius VIII. 33. *Excute sollicito Fabium. Sola illa Latinos Sub iuga mittendi mora.* Hoc solum, quod non exeuntis Fabium, est mora. Heinsius volebat *ille*, hoc est *solus Fabius est mora.*

Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis
Alitibusque iaces! nec te tua funere mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,

Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis Alitibusque iaces! Alii *data*. Et haec nonnihil significatione differunt: *data*, iaces et data es praeda: *date*, iaces eo consilio ut deris praeda. Semper autem distinguendum puto: *Heu, terra ignota, canibus date praeda Latinis Alitibusque, iaces.* Duplex malum, et *ignota terra* et *praeda canibus*, melius sentitur duplici interpunctione. Seneca Epist. 92. legisse videtur *data*. *Utrum proiectum aves differant, an consumatur canibus data praeda marinis, quid ad illum?* Valerius *date*. Nam scribit VI. 313. *praeda future canum*. Et Seneca Troad. 146. *Magnoque Iovi victima caesus Sigea premis litora truncus.* Caeterum mihi valde displicet continuum illud *data copia* et *date praeda*. Quis novit an Virgilius non scripserit *canibus lacerande Latinis?* Adspice DATE PRAEDA et LACERANDE. Locus Catulli Epithal. 152. *Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque Praeda:* tam facit pro *lacerande*, quam pro *date praeda*.

Nec te tua funere mater Produxi. Omnia MSS. in *funera* conspirant, nisi quod in uno *nec enim*, in altero *nec ego*. Quod quum explicari non posset, (nam *funera* pro *funerea* vel *praefica* Latinum non est, nec, si esset, aptam praeberet sententiam) coniecturis rem expedire conati sunt, legentes *te ad tua funera*, *te tua funera (te, vel potius tua funera, tuum cadaver)*, alii iungunt *nec te veste tegens*, alii rursus emendant *tristia funera*, alii *te et tua funera*, alii *proluxi*. *Funere* est Bembi, quod plurimi sequuntur, et Heynius accipit tamquam doctius pro *nec ego funus tuum duxi*. Equidem pro TETVA scribendum puto FLETV. Librarius pro *fletu* imprudens, credo, posuerat *fletua*, propter sequens *funera*; sic enim postremae sequentium vel antecedentium vocabulorum literae saepissime repetebantur, quae caussa errandi in MSS. Virgilianis quoque fuit frequentissima: ex illo *fletua* postea emendatum *te tua*. Iam omnia sunt Latina: *nec fletu funera mater Produxi*. *Funus producere* et *ducere* solemnis formula. Lucanus II. 297. *ceu morte parentem Natorum orbatum, longum producere funus Ad tumulos iubet ipse dolor*. Ovidius Metam. XIV. 743. *mater Funera ducebat mediam lacrymosa per urbem*. Ubi plura Heinsius. Adde Statium Theb. V. 651. *contra subit obvia mater, Femineos coetus plangentiaque agmina ducens*. *Fletu* quam rectum et antiquum sit, apparet ex versu Ennii apud Ciceronem de Solone: *Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu Faxit.*

Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urguebam, et tela curas solabar anilis.
Quo sequar? aut quae nunc artus, avolsaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela
Coniicite, o Rutuli; me primam absumite ferro;
Aut tu, magne pater divom, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, maestusque per omnis
It gemitus; torpent infractae ad proelia vires.
Illam incendentem luctus Idaeus et Actor,
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
  At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit. Sequitur clamor, coelumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci;
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.
Quaerunt pars aditum, et scalis adscendere muros,
Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra

Quid, quaeso, aliud est *funera fletu facere*, quam *funera fletu ducere?* Ambrosius de Iacobo II. 12. omnia Virgiliana expressit: *Refertus erat locus cadaveribus filiorum. Non flevit mater, non lamentata est, non oculos cuiusquam pressit, aut ora morientis clausit, non lavit vulnera. Non superiacienda velamina, non prosequendas exsequias, nisi suae quoque mortis comitatu, arbitrata est.*

Tibi quam noctes festina diesque Urguebam. Horatius in Epodis *properare vestes* dixit. Statius Silv. I. 1. 128. *quas vestes, quae non gestamina mitis Festinabat herus?*

Figite me. Hegesippus I. I. *figite me, si qua est pietas. Utinam in me tela sua omnes contorqueant!*

Aere canoro. Fortasse restituendum Valerio Fl. III. 43. ubi nunc legitur: *dant aethere longo Signa tubae.*

Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: quum tamen omnis
Ferre iuvat subter densa testudine casus.
Nec iam sufficiunt. Nam, qua globus imminet ingens
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque:
Quae stravit Rutulos late, armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant caeco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignis;
At Messapus equum domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in moenia poscit.
  Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quae funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco;
Et mecum ingentis oras evolvite belli.

Duris detrudere contis. In MS. Franc. *drudis.* Error librarii ex sequenti *detrudere* ortus. Burmannus hinc frustra coniicit *crudis.*

Quum tamen omnis. Schraderus volebat *quam.* Wagnerus explicat, ad Aeneid. III. 301, tamquam oratio sit alacrior et rei nec opinatae convenientior.

Quae stravit Rutulos late. Supra dictum, *Volscos* acta testudine accelerare. Malim et hic *Volscos.* Wagnerus negligentiae Virgilii tribuit. Sed si *Volscos* legas, sententia est melior. *Volsci* in prima acie, acta testudine, muros subeunt. Teucri volvunt molem, qua tegmina armorum, hoc est, testudo illa, resolvitur. Rutuli, qui Volscos sequebantur, et ipsi sub testudine, videntes Volscos iam esse tegmine scutorum privatos, missilibus pugnant.

Missilibus certant. In MS. Leid. supplelum *densis, cum corpore toto.*

Et mecum ingentis oras evolvite belli. MSS. quaedam *horas* et *caussas.* Alii coniiciunt *iras* at *curas.* Pro *evolvite*, MS. unum *evertite*, alterum *exolvite.* Nihil in vulgatis mutandum. *Orae* sunt *loca*, orae in-

Et meministis enim, divae, et memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu et pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaque evertere opum vi
Certabant; Troes contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri; quae plurima vento
Corripuit tabulas, et postibus haesit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt

gentes, loca, in quibus percurrendis facile impedimur, v. e. Labyrinthus. Ex his locis conamur nos *evolvere*. Pro *nos evolvimus ex locis*, doctius *evolvimus loca: mecum evolvite*, pro me adiuvate, *ut evolvam*. Sic dicitur *silvas fatigare*, qui se *in silvis fatigat*, de quo Heynius ad Aeneid. VIII. 94. Graece *oras ingentes* sunt *ἐλιγμοί*. Simili modo hos aliquis *ἐξελίττει*. Cicero pro Coelio 28. *Ego nec principium invenire, nec exitum evolvere possum*. Terentius Eunuchi IV. IV. 55. *te omni turba evolvee*. *Oras*, ut dixi, sunt *loca*. Valerius Fl. VI. 749. *Iam tandem extremas pugnae defertur in oras*. Et sic apud eundem lege V. 311. *optat et almum Iam iubar, et certi tandem discriminis oras*. Ubi Burmannus praetulit *horas*. Virgilius sequitur Ennium, ut iam Servius animadvertit: *Qui potis ingentis oras evolvere belli*. Hinc Dominicus Baudius, egregius poeta, in Iamb. Funeb. pag. 234. *Vir mentis acer, atque inenodabiles Evolvere oras promptus*. Quod non intelligens Heumannus Poecil. T. III. pag. 367. corrigebat *resque inenodabiles Evolvere ore promptus*. Non laudo quidem *oras inenodabiles*, multo autem minus laudo, si quis recentiorem poetam, et quidem sic, emendat.

Et meministis enim, divae, et memorare potestis. Idem versus legitur supra VII. 645. Hic non invenitur in multis, iisque melioribus MSS. Eiecerunt Heynius et Wagnerus.

Postibus haesit adesis. Schraderus coniicit *pontibus*. In quibusdam MSS. *adhaesis*, ex antecedenti, credo, *haesit*. *Adedere* de igne frequens. Vide Heinsium ad Ovidium Amor. I. xv. 41.

Retroque residunt. Recedentes simul cum turre residunt. Melius quam, quod Schraderus coniicit, *recedunt*: quia omnes stant in una parte, turris inclinatur, et ipsi cum turre.

In partem, quae peste caret: tum pondere turris
Procubuit subito, et coelum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixique suis telis, et pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi: quorum primaevus Helenor,
Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Troiam miserat armis,
Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atque hinc acies adstare Latinas:
Ut fera, quae, densa venantum saepta corona,
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Iniicit, et saltu supra venabula fertur:
Haud aliter iuvenis medios moriturus in hostis
Irruit; et, qua tela videt densissima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus inter et hostis

Licymnia. Nomen variis modis corruptum. Vide et Bentleium ad Horatii Carm. II. 12.

Vetitisque ad Troiam miserat armis. Propter teneram adolescentiam, dicit Heynius. Sed in his bellis multi aderant *primaevi*, ut X. 345. *fidens primaevo corpore Clausus Advenit.* *Primaevum* adeo corpus non impedit quominus quis arma tractare possit. Donatus interpretatur, *quia stare diutius Troia vetabatur.* Servius, quia *Servi a militia* prohibebantur. Melius credo, quia pater, cui Licymnia eum clam eduxerat, vetabat. Misit Licymnia Helenorem *inscio et invito patre.*

Ense levis nudo, parmaque inglorius alba. Quamquam e serva natus, erat tamen regis filius. Insignia igitur quaedam illustria in clipeo gerere poterat. Sed ut lateret, clipeum habebat *album*, sine coloribus et ornamentis, tamquam unus ex vilioribus et levis armaturae. Silius IX. 331. appellat velites *ordinem inglorium.*

Hinc acies, atque hinc acies adstare Latinas. Pro *Latinas* maluissem aliud vocabulum. Nam Latini tantum aderant *equites tercentum*, caetera legio in campis instructa morabatur, ad urbem Latini.

Inter et arma fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, sociumque attingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens,
Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem, et magna muri cum parte revellit:
Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum,
Sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis;
Quaesitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur. Invadunt, et fossas aggere complent;
Ardentis taedas alii ad fastigia iactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium, portae subeuntem, ignisque ferentem;
Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asilas:
Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta;
Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus;

Altaque certat Prendere tecta manu. Duo MSS. *saxa.* Hoc Burmanno non displicebat. Et mirum, *tecta* appellari summas murorum partes. *Fastigia* longe aliud est, et commune omnium rerum cacumini. Fortasse scribendum est *prendere tuta manu:* muros tenet, et certat murorum alta prendere, conscendere, et in tutum venire.

Quaesitum. Servius: »est prothysteron. Nam post raptum quaeritur, vel *requirendum.*" Non intellexit *a stabulis*, quod est *procul a stabulis* errantem. Explicavi ad Horatii Carm. IV. 4. *laetis caprea pascuis Intenta fulvae matris ab ubere.*"

Lucetium. Servius annotavit nomen *Lucetii* in nullo alio scriptore inveniri, et lingua Osca *Lucetium* dici Iovem, qui Romanis est *Diespiter.* Wagnerus coniicit *Ducetium.*

Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta. Servius: »Nescias de quo dixerit." Wagnerus Quaest. XX. 9. ad licentiam poeticam retulit. Licentia illa non conceditur, nisi linguae natura ferat. Virgilius potuisset: *Hic iaculo, ille bonus longe fallente sagitta.* Sed et alibi repetiit *hic — hic;* et Martialis bis in eodem Epigrammate XI. 82. *Viribus hic operi non est, hic utilis annis — Hunc iuvenem facias, hunc, Cytherea, virum.*

Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,
Et Sagarim, et summis stantem pro turribus Idan;
Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Themillae
Strinxerat: ille manum proiecto tegmine demens
Ad volnus tulit; ergo alis allapsa sagitta,
Et laevo affixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animae letali volnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Hibera,
Insignis facie; genitor quem miserat Arcens,

Et laevo infixa est lateri manus. Alia MSS. *adfixa*, quod Heinsius praetulit. Recte. Quamvis *infigere* significet *figere in*, profundior est ea coniunctio, quam ut de *manu* corpori *adfixa* dicatur: et omnes, quantum novi, *adfixam* usurpant. Ovid. Metam. XII. 385. *Et iaculum torsi: quod cum vitare nequiret Opposuit dextram passurae vulnera fronti. Adfixa est cum fronte manus.* Ubi legendum videtur: *adfixa est in fronte manus.* Idem Metam. V. 124. *Tentanti dextera fixa est lignoque cohaesit.* Statius Theb. VII. 636. *Labantemque adfigit equo.* Sed oratio non eleganter procedit: Sagitta allapsa est, manus adfixa est, et intus abdita rumpit spiramenta. Nisi ineptum foret, diceres manum intus abditam. Oratio melius ita procederet: *ergo alis allapsa sagitta Spiramenta animae letali volnere rupit, Et laevo adfixa est lateri manus:* deletis *abditaque intus.*

Stabat in egregiis Arcentis filius armis. Quae notavi, ea mihi ab ingenio et colore Virgilii ita discedere videntur, ut ab eo scribi non potuisse contendam: erit mihi gratum, si quis contrarium ostendat, quatenus talia in utramque partem ostendi possunt. Iam statim miror *egregia* arma tribui viro, qui erat *insignis facie*, et *chlamydem acu pictam gestabat.* Totus hic locus formatus est ex Aeneid. XI. 768 sq. *Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis.*

Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Hibera. Ex Lib. XI. 777 et 772. *Pictus acu tunicas: peregrina ferrugine clarus et ostro. Ferruginem Hiberam* dixit Catullus in Epithalamio vs. 227. qui color est prorsus ater et funestus. Itaque non bene lectum epitheton *clarus.*

Genitor quem miserat Arcens, Eductum matris luco. Alia MSS. *Martis*, alii interpretes scribunt *Matris*, et habent pro *Cerere Ennaea*, vel pro *Matre Nympha. Matrem Nympham* putat Wagnerus. Et ego

Eductum matris luco, Symaethia circum
Flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici:
Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena,

puto, sed matris nomen aegre desidero, ut valde displicet nomen patris ita repetitum. Mallem: *genitor quem miserat, Acres Eductum matris luco. Acre* esse potest nomen Nymphae, ut *Acraea*, et similia. Et in Sicilia non unum erat oppidum *Acrae*, cuius nomen interdum a Nympha aliqua repetebatur. Fortasse tamen et haec negligentia poetae est tribuenda, ut, cum iam dixisset *filius Arcentis*, nomen patris repetierit, filii non nominaverit. Neque laudo: pater *filium* misit eductum in luco *matris*. Est enim ambiguum, sitne mater patris, an filii. Si *mater filii*, iterum ambiguum, sitne filius revera patris, qui misit, an matris ex altero matrimonio, ut hic pater fuerit vitricus.

Symaethia circum Flumina. Servius non intelligit, ex qua recondita historia hunc Arcentem induxerit, et quid homo Siculus in hoc bello faciat, quem nusquam supra dicit cum Aenea ad Italiam pervenisse. Adde inusitatam nominis ipsius *Arcens* formam, quia esse potest participium ab *arceo*. Alia ratio est *Volscentis*. Locus pueriliter adumbratus est ex VII. 761. *Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello Virbius, insignem quem mater Aricia misit, Eductum Egeriae lucis, humentia circum Litora pinguis ubi et placibilis ara Dianae*.

Pinguis ubi et placabilis ara Palici. Nusquam *Palicus* numero singulari invenitur. Heynius putat licuisse poetae unum ex duobus nominare. Hoc idem est, ac si dicas licuisse nomen proprium mutare loci alicuius, vel hominis. Litera *s*, quia versus sequens ab eadem litera incipit, hic omissus est, et reponi potest *Palicis*. Cerda volebat *Palicum*. Nisi error sit poetae.

Stridentem fundam, positis Mezentius hastis. Novum hoc et ab Homerico more alienum, quod Mezentium funda utentem facit. Iam Heynius animadvertit. Pro *hastis*, in Palatin. et aliis legitur *armis*. Utrumque molestum. Virgilius in tali caussa nunquam utitur *hastis*, sed *hasta*. Si duas viri gestarent, vulgo addi solet, tamquam praeter quotidianam consuetudinem. *Arma* autem Mezentius non poneret.

Ipse ter adducta circum caput egit habena. Wagnerus Quaest. XVIII. pag. 466. putat *ipse* hic idem esse atque *manu*. Accipiamus eam interpretationem. Caeterum Virgilius addere debuisset caussam, cur Mezentius hic ad insolitum telum descenderit, et unde illud sumserit. Tum *habenam adducere* est *contrahere*, *tendere*. Quod in rotatione fundae non satis intelligo.

Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem

Et media adversi liquefacto tempora plumbo Diffidit. Bene vs. 750. *Et mediam ferro gemina inter tempora frontem Dividit. Media tempora* significant *mediam partem temporum*, dextri et sinistri. Qui sic feritur, is hosti non est adversus, sed obliquus. Plumbo *liquefacto* nimium est. Ex opinione veterum potest plumbum *liquefieri*, sed eo liquefacto nemo potest interfici. Debuisset *calefacto*. Et sic fortasse transpositis literis scribendum est.

Multa porrectum extendit arena. Servius: »Intelligimus eum cecidisse trans murum." Ita, credo, vix absolvi poeta potest crimine negligentiae, qui non cogitaverit, se de murorum oppugnatione loqui. Quanto melius eadem a Silio expressa II. 129. *Tum subitum in vulnus praeceps devolvitur altis Aggeribus muri.*

Tum primum bello. Omnia ab ingenio Ascanii abhorrentia. Erat bonus eques. Artem et animum ostenderat in venatu cum Didone, et in Sicilia, quum belli simulacrum ciebatur. Talisne puer nunc primum sagittam intendisset, quum iam horas esset pugnatum? Non poterat lentus adspicere. Misisset saltem, si duces impedirent, sagittas per fenestram.

Feras solitus terrere fugaces. Ex Aeneid. IV. 155. ubi tamen optat aprum dari inter inertia pecora, aut fulvum descendere monte leonem. Conferatur etiam VII. 497, ubi Ascanius cervum Sylviae interficit.

Cui Remulo cognomen erat. Remulus est forma productior a *Remus*, ut *Romulus* a *Romus*. *Romus* et *Remus* est idem ac fluviatilis, ad fluvium habitans, natus educatusque, ex Nympha fluviatili natus. Sed hoc ipsi veteres Romani, caussam linguae suae ignorantes, non sciebant. Et Virgilius alibi *Remulum* fecit *nomen*, ut IX. 360. *Tiburti Remulo;* et XI. 636. ubi est alter *Remulus*. Virgilius idem nomen de diversis hominibus rarissime usurpat bis, nedum ter. Ex natura linguae *Remulus* est nomen, *Numanus* cognomen. Praeterea cognomen isti aetati non convenit. Varro, apud Valerium Maximum in libello de Nominibus, dicit simplicia in Italia fuisse nomina, *Romulumque et Romum et Faustulum* neque praenomen ullum neque cognomen habuisse. Argumenta eorum, qui a Varrone dis-

Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo praecordia regno
Ibat, et ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et morti praetendere muros?
En, qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?

sentiunt, facile refutari possunt. Nam alia cognomina sunt dignitatis, alia posterior aetas addidit. Iam *Numanus* hic non recte *fortis* appellatur. Virgilius eum mox ita describit, ut potius *vanus* esset appellandus, vel *superbus*.

Germanam nuper thalamo sociatus habebat. Soror Turni Iuturna saepe in libro XII. memoratur. Huius minoris nulla mentio, neque ibi, quum opportuna esset occasio, neque alibi. Heynius in Excursu VII. ad Aeneid. VII. 371. hanc sororem in stemmate Turni imprudens omisit. Altum quoque de Remulo in Catalogo copiarum silentium. Denique non memini virum dici *sociatum* cum uxore, sed uxorem *sociatam* cum viro. Vir nimirum *sociat* secum uxorem. Fieri tamen potest, ut exempla reperiantur.

Digna atque indigna relatu Vociferans. Virgilius Aen. XII. 811. *Digna indigna pati.*

Bis capti Phryges. Ita XI. 402. *gens bis victa*, et alibi saepe.

Morti praetendere muros? Alii *Marti*, quod melius cum sententia convenit. Muros praetendunt *morti*, qui certo sciunt, si muros relinquant, sibi esse moriendum. Hoc etiam fortissimi faciunt, et non erat, cur Troianos huius rei puderet. Compara convicium Aeneid. IX. 142. *quibus haec medii fiducia valli, Fossarumque morae, leti discrimine parvo, Dant animos.* Hoc est, muris tuti, ut putant, hos animos gerunt, et tamen prope a morte absunt. Haec magis est gloriatio obsidentium. *Muros praetendunt Marti*, qui non audent in campum aequum descendere. Hoc obiici potest, et saepe obiectum est, omnibus obsessis, et ipsi obsessi propterea, quod obsidione tenebantur, dolebant. Virgilius supra de Troianis dixit: *Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrant, Obiiciunt portas tamen.* Et alibi: *murus dum distinet hostes.*

Quis deus Italiam, quae vos dementia adegit? Deus et *dementia* non recte iunguntur: est enim, *quis deus tam demens.* Maluissem: *Non deus Italiam, sed vos dementia adegit.*

Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulixes.
Durum ab stirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus, saevoque gelu duramus et undis;
Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant;
Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque assueta iuventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne aevum ferro teritur, versaque iuvencum
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulixes. Atridae tamen erant fortissimi, inprimis Agamemnon. Melius idem dicit Turnus supra 154. *Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum. Fictor fandi* pro *verborum*, sine exemplo. Ipsum vocabulum *fictor* in tali re suspectum. Atque Ulixis hic potius reprehendi debuisset, tamquam bellare non palam sed furto solitus. Est in Silio locus non dissimilis I. 443. in quo notanda v. c. haec sunt: *quaenam te, Poene, paternae Huc adigunt furiae?* et hoc ipsum *fingendi* verbum: *quo non spectatior alter Voce movere fora, atque orando fingere mentes.* Si Silius haec imitatus est, illud *fandi fictor* pulchre mutavit.

Saevoque gelu duramus et undis. Barbarae gentes, Germani, infantes primum natos ad flumen deferebant, Germani ad Rhenum, exploratorem matrum pudicitiae. Consuetudo exposita est ab interpretibus ad Claudian. in Rufin. II. 112. De *exploratione pudicitiae* poeta quidem tacet, nimium tamen est *saevo gelu et undis*, quod de Italia vix dici potest, nisi hiberno tempore, quando aquae frigore fere sunt concretae.

Flectere ludus equos. Pulchri versus, sed maximam partem ex Virgilio aliisque poetis compositi. Ita *at patiens operum parvoque assueta iuventus*, exigua mutatione factus est versus ex Georg. II. 472. *et patiens operum exiguoque assueta iuventus.*

Omne aevum ferro teritur. Teri ferro non dixissem pro *in bello agi.*

Versaque iuvencum Terga fatigamus hasta. Tardi boves in calcibus stimulabantur. Sed garruli est narrare, quomodo boves incitarent. Gravius idem expressum VII. 748. *armati terram exercent.*

Tarda senectus. Nimis anxia gradatio: primum nati, pueri, iuventus, senectus.

Canitiem galea premimus; semperque recentis
Comportare iuvat praedas, et vivere rapto.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;
Desidiae cordi; iuvat indulgere choreis;
Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae.
O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocant Berecyntia matris

Canitiem galea premimus. Heinsius malebat *premimur.* Sed iam Seneca de Vita beata 28. »Nos sumus, qui nullis annis vacationem damus, et, quod ait vir ille disertissimus, *canitiem galea premimus."* Hinc apparet, hos versus, si non sint Virgilii, esse saltem antiquos. *Canitiem* in tali senectute non exspectaveram.

Comportare iuvat praedas. Totus hic locus fluxisse videtur ex Aeneid. VII. 746. *Horrida praecipue cui gens, assuetaque multo Venatu nemorum, duris Aequicula glebis. Armati terram exercent, semperque recentes Convectare iuvat praedas, et vivere rapto.*

Vobis picta croco. Versus, ut putat Heynius, ornatissimi, sed rhetoricae proprior tractatio. Hic fortasse sumtus ex XI. 775. *croceam chlamydem.* Sed *crocea chlamys* male dicitur *picta croco.* Nam *picta* est *acu picta.*

Desidiae cordi. Orationis cursus impeditus. Heynius haec transponere volebat. Wagnerus non requirit rerum ordinem accurate observatum, in homine opprobria temere iaciente.

Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae. Ipsae tunicae non sunt dedecori, sed quod habent *manicas.* Idem dici non potest de *mitris.* Nam ipsae mitrae iam viris indignae habebantur. Virgil. Aeneid. IV. 216. *Maeonia mentum mitra subnixus.*

O vere Phrygiae. Male in nonnullis *verae.* Caeterum Persius ita appellat *Troadas* pro *Troianis*, Satyr. I. 4. Apud Tacit. Annal. VI. 5. arguitur Messalinus qui *Caiam Caesarem* dixisset, quasi incertae virilitatis. Ita quidem elegantissime emendavit Freinshemius. Ernestius ibi plura collegit.

Tympana vos buxusque vocant. In editione Wagneri, errore typothetarum, legitur *vox.* Conferatur Valerius Fl. III. 230. *Nunquamne dolor virtute subibit Nil ausas sine rege manus? at barbara buxus Si vocet et motis ululantia Dindyma sacris, Tunc ensis placeatque furor.* Ubi legendum: *tunc ensis placet atque*

Idaeae: sinite arma viris, et cedite ferro.
Talia iactantem dictis, ac dira canentem,
Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Contendit telum, diversaque brachia ducens
Constitit, ante Iovem supplex per vota precatus:
Iupiter omnipotens, audacibus annue coeptis.
Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum,
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
Audiit et coeli Genitor de parte serena
Intonuit laevum: sonat una fatifer arcus.
Effugit horrendum stridens adducta sagitta:
Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro
Traiicit. I, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt.

furor. Notum quid Galli in eo furore facerent. Caeterum comparanda sunt Virgilii Aeneid. XI. 735. *Quo ferrum, quidve haec gerimus tela irrita dextris? At non in Venerem segnes nocturnaque bella, Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi, Exspectare dapes et plenae pocula mensas — ac lucos vocet hostia pinguis in altos.*

Non tulit Ascanius. Si Ascanius ista videbat et audiebat, quomodo nunc primum moveri potuit, ut sagittam emitteret, et tam diu antea pugnam adspiceret, quasi ea ad ipsum non attineret?

Nervoque obversus equino Contendit telum. Servius laudat ex Philoctete Accii: *tendens nervo equino concita tela.* Sed *obversus* hic est otiosum. Nec pulchre sequitur *diversa.*

Ad tua templa. Ubi iam nunc templa Iovis?

Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam. Constans est Grammaticorum mos, similia similibus, ex eodem poeta petitis, illustrandi. Hic versus legitur Eclog. III. 87. Deerat in uno Cod. Goth. Heynius vere indicat nos eo in precibus melius carere. Et Brunckius sustulit.

Bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt. Responsa interdum in sagittis scripta. Ut Aster fecit, quum Philippus Methonam obsidebat: *Ἀστὴρ Φιλίππῳ θανάσιμον πέμπει βέλος.*

Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Laetitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.
Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem affatur Iulum:
Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra,
Dis genite, et geniture deos. Iure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident.
Nec te Troia capit. Simul, haec effatus, ab alto

Victorem affatur Iulum. Sed Iulus Apollinem neque videbat neque audiebat. Nescio an in tali re bene dicatur *affari.*

Macte nova virtute, puer. Quae tanta virtus hostem eminus e muro sagitta interfecisse? Erat Ascanius admodum iuvenis, sed qui artem sagittandi iam in venatu didicerat. Vetus Glossarium Maii: *macte, magis autem.* Scribe *aucte.*

Dis genite, et geniture deos. Seneca Consol. ad Marciam 15. *qui Diis geniti Deosque genituri dicantur.* Silius III. 625. *o nate Deum Divosque dature.*

Iure omnia bella Gente sub Assaraci fato ventura resident. Heynius hanc inesse putat sententiam: »Merito hoc tuae genti dabitur, ut oriundus ex ea Augustus omnia bella finiat. Bella autem *fato ventura* inprimis *civilia* accipit." Haec interpretatio fere pulchrior est, quam ipsa sunt poetae verba. Accipiamus. Ita dictum esset: *quia tu nunc interfecisti tenera illa aetate tua Numanum, ideo Augustus bella civilia componet, idque iure ac merito.* Illud *iure* est infelix metri praesidium. Caetera Virgilio hic illic sublecta sunt, partim mutata: ut I. 273. *gente sub Hectorea*, et 284. *domus Assaraci.*

Nec te Troia capit. Ita alibi: *haec illum regia cepit.* Regia illi, Herculi, non fuit nimis parva, neque ille regiae nimis magnus. Talia sunt haec Senecae Consol. ad Helv. 9. *Illud humile tugurium nempe virtutes recipit. Nullus angustus est locus, qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit.* Idem de Benefic. II. 29. *Magna accepimus, maiora non cepimus.* Appul. Metam. I. pag. 71. *Nam et maiorem domum dignatione tua feceris, et tibi specimen gloriosum arrogaveris, si contentus Lare parvulo, Thesei illius virtutes aemulaveris, qui non est adspernatus Hecales anus hospitium tenue.* Ovidius Trist. III. iv. 30. *Cepisset genitor si Phaethonta Merops.* Ubi Burmannus elegantem formulam, licet

Aethere se mittit, spirantis dimovet auras,
Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisae

optime ab Heinsio explicatam, non intellexit. Est omnino idem: *Troia non capit Ascanium, parva est Ascanio; Merops non capit Phaethontem, parvus est Phaethonti.* Silius VII. 174. *cepere volentem Fumosi postes.* Male Rupertus pro *accepere* sumsit. Adde Cortium ad Lucani I. 111. Poeta autem dicit *Troia non capit Ascanium*, respiciens *Albam* ab eo condendam.

Spirantis dimovet auras. Qui se ab aethere mittit, hic eo impetu fertur, ut *auras dimovere* non bene dicatur. Quid sit *mittere*, apparet ex Aen. IV. 253. *toto praeceps se corpore ad undas misit.* Qui placide volat, is *auras dimovet.* Locus hic petitus est ex Aen. V. 838. *Quum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras, Te, Palinure, petens.* Vides omnino eadem, sed more propemodum grammatico variata: *delapsus ab astris aetheriis — se misit ab alto aethere: dimovit aera — dimovet auras: Palinurum petit — Ascanium petit.* Sed poeta non cogitavit discrimen inter *se mittit* et *delabitur*, neque inter *aera tenebrosum* et *umbras nocturnas*, quae spissiores sunt, et *auras* sereno die. Itaque imprudens, ne scilicet nimia esset imitatio, illud *misit* ex altero Virgilii loco petiit. Ipse Virgilius eandem sententiam interdum variatam ponit, sed ita, ut nihil reprehendas, saepe etiam non satis mutatam, et iisdem fere verbis repetitam. Quod est, ni fallor, indicium religionis, ne quid minus castigatum diceret; statim ei meliora vel aeque bona non in mentem veniebant. Ergo illa in posterum magis variaturus erat. Si quis omnia haec de Arcente et Ascanio accurate cum locis, unde variata sunt, comparet, is, credo, discrimen agnoscet, quale inter magistrum et discipulum esse solet. Nihil adhuc de epitheto *spirantes* animadverti. Fluctuant interpretes, quomodo accipiendum sit. Alii *vitales*, alii *odoras*, alii *flantes* exponunt. Quod ipsum, in tali caussa, indicat epitheton non eleganter esse sumtum.

Formam tum vertitur oris Antiquum in Buten. Non sufficit *formam oris* sumere: neque ita Apollo *omnia* similis erat Butae. Virgilius hoc magis accurate exprimere solet: vide v. c. Aeneid. V. 619 et 842. VII. 415. Et XII. 224. *formam assimilita Camerti*, non *ore* aut *formam oris.* Nomen autem *Butae* pessime lectum, propter ista multa quae de alio Bute inveniuntur V. 372. itidemque alio XI. 690. Virgilius hunc Butem memorasset IX. 246. Denique *comes* in hac caussa plerumque dicitur de pari aetate.

Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longaevo similis, vocemque, coloremque
Et crinis albos, et saeva sonoribus arma;
Atque his ardentem dictis affatur Iulum:
Sit satis, Aenide, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus non invidet armis;
Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo

Fidusque ad limina custos. Iure Heynius dubitat an hoc ex vita heroum sit, ut armigeri iidem sint satellites. Neque iis temporibus erant custodes domuum. Virgilius vitam heroum melius cognoverat.

Omnia longaevo similis. Iterum variatio versuum ex Aeneid. IV. 558. *Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque Et crinis flavos et membra decora iuventae.*

Et saeva sonoribus arma. Heynius totum versum hunc ex margine irrepsisse putabat. Et est Virgilio indignus. Butes, albis crinibus, et iam armiger Anchisae, fuit nimis senex, quam ut ei talia arma conveniant. Magis convenirent Turno.

Aenide. Variant MSS. *Aeneide*, *Aeneidae*, *Aenidae;* editiones *Aeneada*, nullo testimonio MSS. firmatum; *Aenide* est in Medic. et aliis. Sed mira est vocabuli forma, *Aenides* pro *natus Aenea:* neque usquam praeterea inventa. Esset, credo, hic illic inventa, nam Virgilius saepe *filium* Aeneae nominavit. *Aeneadae* sunt Troiani. Quare non credibile est Ascanium ita nominari. Virgilius dixisset *Aenea sate*, vel aliud.

Primam hanc tibi magnus Apollo Concedit laudem. Ascanius Iovem rogaverat ut coeptis annueret. Nescio quid ea res nunc ad Apollinem pertineat. Et quid Apollo concederet? Factum reddi non poterat infectum.

Paribus non invidet armis. Obscure. Alii interpretantur, *quod Apollo puer Pythonem interfecit.* Heynius, *quod Apollo futuram Ascanii virtutem suae sagittandi peritiae et virtuti aequiparat.* Sit ita. Sed laudatio semper est ridicula, et deo indigna. Neque enim hic tanta vel peritia vel virtus conspiciebatur. Fecit Ascanius, quod multi Troiani faciebant, nihil amplius. Et Numanus iste ante primam aciem stabat, itaque propior muris. *Paria arma* aliter posuit Silius II. 132. *Exclamat paribus frater vicinus in armis:* pari modo, ac frater, armatus.

Cetera parce, puer, bello. Quale consilium! Prudentiam suadere poterat

Mortalis medio adspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovere deum proceres divinaque tela
Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem.
Ergo avidum pugnae, dictis ac numine Phoebi,

deus, non ignaviam. Et Ascanius monita bene neglexit. Nam Aen. X. 132. conspicitur in mediis muros contra hostes defendentium; et vs. 604. *tandem erumpunt et castra relinquunt Ascanius puer, et nequidquam obsessa iuventus.*

Mortalis medio adspectus sermone reliquit. Ex Aeneid. IV. 277. *Mortales visus medio sermone reliquit.*

Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram. Idem versus invenitur Aen. IV. 278.

Agnovere deum proceres. Infelix imitatio Homeri: ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο. Nam ibi Apollo est iratus. Nec bene separata sunt *tela* et *pharetra*. Debuisset: *Agnovere deum proceres, divinaque tela — pharetramque fuga sensere sonantem.* Nunc metri caussa addidit *Dardanidae*, et sententiam male divisit. Neque laudo *sensere*. Nam *sensere pharetram* Latine plerumque significat *suo damno experti sunt*, telis nempe ex pharetra interfecti. *Fuga* petitum ex Aeneid. V. 658. *ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum:* ubi quum praecesserit *in coelum paribus se sustulit alis*, bene *fuga* positum de celerrimo Iridis discessu, melius quam hic, ubi Apollo *evanuit in auram*, quod lente fit, ita ut vix sentias. Ex *pharetra sonante* Burmannus ista Valerii Flacci Argon. III. 61. interpretatur: *Ecce super foribus Bellona reclusis Nuda latus, passuque movens orichalca sonoro Adstitit.* Ego ibi scribendum arbitror: *pulsuque movens.*

Dictis ac numine Phoebi. Vix bene Latine. Atque his ego de caussis omnes hos versus Virgilii non esse iudico. Sunt antiqui, quos Seneca iam viderit: sed et ille in tali caussa saepe deceptus fuit, neque de spuriis tunc cogitabat. Avide cognoscere cupio, quid alii contra sint disputaturi. Versus a me expuncti sunt tres et octoginta. Argumentum est tenue et saepe ridiculum. Sententia et orationis forma ita ex versibus Virgilianis adumbratae apparent, ut fere dimidiata pars sint centones, quos auctor, metuens ne deprehenderetur, alio colore infecit. Cuius rei nullum usquam simile exemplum inveniri puto. Atque huiusmodi versus sine dubio fuerunt, quos Marklandus, si versus scripsisset, in suis conspici noluisset. Alibi iudicium Marklandi apposui. Nunc addo Wolfium quoque in ea fuisse opinione, qui de Vita Marklandi in Analectis Vol. III. exposuit.

Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris;
Intendunt acris arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis; tum scuta cavaeque
Dant sonitum flictu galeae; pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis,
Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant, quum Iupiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem, et coelo cava nubila rumpit.
Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti,
Quos Iovis eduxit luco silvestris Iaera,
Abietibus iuvenes patriis et montibus aequos,
Portam, quae ducis imperio commissa, recludunt,

It clamor totis per propugnacula muris. Capys Troianus supra Privernum occiderat, alii Troiani alios. Troiani acerrime se defendunt. Animum clamore significant. Surgit pugna aspera.

Pugna aspera surgit. Haec languere et sententiae iuncturam intercipere Heynio videntur. Wagnerus bene tuetur. *Asperitas* pugnae praecipue cernitur et auditur in sonitu telorum, a scutis et galeis hostilibus resultantium. Is sonitus referebat grandinem et imbrem. Tela mittunt Troiani, qui clamorem sustulerant. Et legit Valerius Fl. IV. 455. *surgitque miserrima pugna.*

Abietibus iuvenes patriis et montibus aequos. Heynius abesse malebat, cum eadem comparatio mox tam copiose ornetur. Wagnerus defendit. Nec ego sustulerim. Virgilius hic universe laudat corporum proceritatem, ad quam in luco Iovis excreverunt. Altera comparatio tantum spectat *cristis capita alta coruscos.* De comparatione quaedam dixit Burmannus ad Ovidii Metam. XII. 352.

Portam, quae ducis imperio commissa, recludunt. Iam veteres dubitaverunt, essetne *clausa porta*, an *custodia portae ipsis credita.* Iidem dubitaverunt essetne dux *Aeneas*, an *Ascanius.* Quo modo cunque acceperis, nunquam prodibit sententia, in qua nihil reprehendas. Hanc *portam fuisse clausam*, narrari non recte potest. Nam omnes in tali obsidione erant clausae. Et quis claudi iusserat? Aeneas non iusserat. Eo proficiscente portae erant apertae. Praeceperat, ut, si forte ab hostibus pe-

Freti armis, ultroque invitant moenibus hostem.
Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant,
Armati ferro, et cristis capita alta corusci:
Quales aeriae liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum,
Consurgunt geminae quercus, intonsaque coelo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis.

terentur, se non campo crederent, sed moenibus impetum propulsarent. Turno veniente, portae claudebantur. Ascanius non erat dux. Aeneas Mnestheo et Seresto imperium dederat. Nec ferendum in castigata oratione *portam*, *quae erat clausa*, *recludunt: apertam* nemo recludit. Neque ulli bono additur *ducis imperio:* milites sine ducis imperio nihil agunt. Itaque illud imperium in rebus consuetis memorare, ineptum est. Non reprehenderem, si portam ducis imperio *reclusissent:* mirum enim in eo periculo tale imperium fuisset. Videamus de altera interpretatione: *recludunt* portam, cuius custodia ipsis imperio ducis erat credita. In his iterum supervacua *imperio ducis*, iterum quaeritur *cuius ducis?* Perpetuam portae custodiam nemo habebat. Bini custodes videntur appositi, ut ex Niso et Euryalo videmus. Binis alii bini per vices in stationem succedebant. Equidem pro DVCISIMPERIO scriptum a Virgilio arbitror DVPLICIFERRO. *Portam, quae duplici ferro commissa, recludunt.* Virgilius vs. 758 vocat *claustra.* Adde Heinsium ad Ovidium Metam. IV. 86. et Senecam in Thyest. 568. *Hic situ quassas stabilire turres, Ferreis portas cohibere claustris.* Statius Theb. X. 510. *ferratae robora portae torserunt.* Schol. Lucani III. 155. *Post irruptionem Gallorum factum est, ut maiori ferro praemunirentur, ne quis cum silentio posset Capitolium aperire.*

Freti armis. Pro ARMIS verum puto ANIMIS. *Animi* saepe apud ipsum Virgilium de magna virtutis fiducia. Silius II. 152. totum locum imitatur: *fera miscebat reserata proelia porta — fisus latis humeris et mole iuventae.* Sed praecipue Homerus, unde sumta est omnis haec comparatio, suadet ut *animis* scribamus. Vocat enim viros ὑπερθύμους et πεποιθότας χείρεσσιν ἠδὲ βίηφι. Locus est in Iliad. M. 127.

Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis. Respicit vs. 677. *invitant moenibus hostem.* Ergo irrumpunt in moenia, in urbem, ut videre aditus patentes. Minus igitur recte in aliis distinguitur *Irrumpunt aditus.*

Continuo Quercens, et pulcer Aquicolus armis,
Et praeceps animi Tmarus et Mavortius Haemon,
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portae posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus irae;
Et iam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum et procurrere longius audent.
  Ductori Turno, diversa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem
Fervere caede nova, et portas praebere patentis.
Deserit inceptum, atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos.
Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Coniecto sternit iaculo: volat Itala cornus
Aera per tenerum, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit; reddit specus atri volneris undam
Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum;
Tum Bitian ardentem oculis, animisque frementem,
Non iaculo: neque enim iaculo vitam ille dedisset:
Sed magnum stridens contorta phalarica venit,

Tmarus. Si Medic. eum plerisque habet *Marus*, cur non sic ediderunt? *Marus*, unde *Marius*, refert magis nomen Italicum, quam *Tmarus*. Quare etiam suspectum mihi est *Haemon*.

Increscunt animis discordibus irae. Rutulis et Troianis.

Reddit specus atri volneris undam Spumantem. Iungunt *undam volneris*. Et sic Statius, a Burmanno laudatus, accepisse videtur Theb. VIII. 748. *Terga cruentantem concussi vulneris unda.* Virgilius, credo, iunxit *specus vulneris*. Hoc enim est *vulnus hians*. Pricaeus eleganter coniiciebat: *specus alti vulneris*. *Ater* semper ad *sanguinem* est referendum. Sed sanguis iam dicitur *spumans*. *Specus* eodem modo positum a Seneca Thyest. 9. *qui specu vasto patens Visceribus atras pascit effossis aves.*

Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit; collapsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens.
Talis in Euboico Baiarum litore quondam

Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens. Heynius praefert rationem Servii: *clipeum ingens intonat super* immania membra. *Clipeum* sic neutro genere sumendum. Alii interpretantur: *ipse ingens intonat super clipeum.* Hoc verum puto. Bitias per *clipeum et loricam* vulneratus est in pectore. Ergo *corruit in vulnus et in clipeum*, non clipeus super ipsum. Si *supinus* cecidisset, tum clipeus *super ipsum* intonuisset. Iam Lucretius talem casum indicavit, IV. 1042. *Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, et illam Emicat in partem sanguis, unde icitur ictus.* Hinc Virgilius X. 488. *Corruit in vulnus, sonitum super arma dedere.* Livius I. 58. *Cultrum in corde defigit. Prolapsaque in vulnus moribunda cecidit.* Ubi Rupertus alia exempla ostendit. Qui ita in vulnus corruebant, *proni* cadebant, et terram *ore mordebant.* Quod non intellexit Francus interpres Silii, scribens ad XVII. 484. turpissimum esse *facie prona cadere.* Variis sine dubio modis cadebatur, de quibus Gruterus in Dissert. ad Tacitum, sed qui vulnus adversum acceperant, plerumque *proni.* De casu Bitiae eo minus dubitari potest, quod clipeus pectori illius per phalaricam erat affixus.

Talis in Euboico Baiarum litore quondam. Locus ita impeditus, ut non intelligam. Primum apponam verba Silii, qui suam comparationem hinc sumsit, quod Cerdam et alios non effugit. Silius IV. 293. *Procumbit lata porrectus in arva ruina, Et percussa gemit tellus ingentibus armis. Haud aliter, structo Tyrrhena ad litora saxo, Pugnatura fretis subter coecisque procellis Pila, immane sonans, impingitur ardua ponto. Immugit Nereus, divisaque coerula pulsu Illusum accipiunt irata sub aequora montem.* In his omnia intelliguntur, facilique ea et recto ordine procedunt. Virgiliana sunt, quoquo te vertas, impedita. *Pila* non cadit *in litore*, sed *posita in litore*, *cadit in mare.* Et quomodo primum *cadit*, deinde *ruinam trahit* et *vadis illiditur?* Quam male in medio iterum *ponto iaciunt!* Ita quater idem illud *cadere* repetitum. *Ante constructam magnis molibus* humile est. Quare Heynius iungebat *ante iaciunt*, ut Graecum πρὸ πρὸ, hoc est, *procedendo a litore.* Wagnerus *ante constructam* explicat, quo plus temporis atque operae impensum sit, eo maiorem fuisse molem. Quod erat humile in ea sententia, hoc ita non tollitur. Et

Saxea pila cadit; *magnis quam molibus ante*
Constructam ponto iaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit;
Miscent se maria, et nigrae attolluntur arenae;
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime Iovis imperiis imposta Typhoeo.

quid facias de *sic?* Hoc neque post interpretationem Wagneri capio. Quamvis ille eum Heynio ex Cod. Medic. et Rom. ediderit *talis* pro *qualis*, manet repetitum *sic* obscurum. Nam et *talis* idem est atque *sic*, et cursus orationis hic est: *sic pila cadit, sic illa trahit ruinam*. Licet duplex illud *sic* etiam minus offenderet, quam *talis pila cadit, sic ruinam trahit*. Neque vero illa ad intelligendum sunt facilia, *magnis molibus constructam*. Magnae *moles* plus sunt quam totae *pilae*. *Pilae* efficiunt partem *molium*, quae in mare iactae vim fluctuum frangebant. Sed *pilae* sint *moles*. Quid iam *moles ex molibus* constructae? Seneca Herc. Furent. 1047. non dissimili utitur comparatione: *Flexo genu iam totus ad terram ruit, Ut caesa silvis ornus, aut portus mari Moles datura. Moles*, quae portum datura est mari, magnitudine *unam pilam* superat. Pro *sic* viri docti coniecerunt *fluctu*, *se victa*, *simul*, *iaciunt venti: illa* sq. Ordo verborum Latinus, hic erat: *qualis pila in litore, quam ponto iaciunt. Illa trahit ruinam*: vel, *qualis pila in litore, quum ponto iaciunt, trahit ruinam*. Magis concinna et rotunda est tota comparatio, qualem, alienis eiectis, constitui. Qualis pila in Euboico litore (constructa) cadit et vadis illisa penitus recumbit. Caeterum *qualis* mihi videtur magis Virgilianum. Atque hic etiam animadvertendum, quam facile, deletis, quae puto, spuriis, integre in metrum et praeclaram sententiam congruant. Idem in locis non corruptis plerumque frustra tentabis.

Inarime. Multi multa de forma huius vocabuli disputavere, Erythraeus, Bochartus et interpretes poetarum, et ad Orosium VI. 2. Dicam, quid mihi videatur. Homerica sunt ista Iliad. B. 783. *Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς*. Iam accusant Virgilium, vel quicunque Romani nominis sit auctor, (Virgilio quidem antiquior hodie non exstat), quod Graeca Homeri sive male acceperit, sive male interpretatus sit *In Arima*, unde facta est *Inarima* vel *Inarime*. Heynius in Excursu II. suspicatur aliquem fuisse ex antiquis poetis Latinis, qui Iliadem Latine reddiderunt, inter quos Cn. Mattium, qui aut male acceperit aut male interpretatus sit. Recte fuisse interpretatum nemo contenderit: sed melius erat observasse, quam omnes fere nationes, barbara urbium et re-

Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et stimulos acris sub pectore vertit;
Immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
Undique conveniunt; quoniam data copia pugnae:
Bellatorque animo deus incidit.

gionum nomina in suam linguam transferentes, praepositionem addiderint, vel ex casu obliquo sumserint; quo facto tale nomen aliam formam accipere debuit, quae ad terminationem suae cuiusquo linguao esset accommodata. Romani in suo ipsi sermone multam sumebant libertatem. Populi, qui *ab origine* in Italia habitasse credebantur, dicti *Aborigines*. Erat Romae locus, qui appellabatur *interduoslucos*, quod Dionysius Halicarn. interpretatur *μεθόριον δυοῖν δρυμῶν*. Si ergo Romanus diceret se ad eum locum velle proficisci, dicendum erat se proficisci vello *Adinterduoslucos*. Talia sunt, natus in regione *AdmalumPunicum* apud Suetonium Domit. I. Sic dicimus *Adaquas*, *Adherculem*, *Adpontem*, et alia huiusmodi Geographica. Noti sunt *Interamnates* in Italia, qui *inter duos amnes* habitabant, quod ipsum multo magis ingenio linguae adversatur, quam *Syria interamnis*. Sed non minor fuit licentia in Graecis. Sic Astronomi ex *ἐν γόνασι*, astro, fecerunt *Engonasi* vel *Engonasin:* ita certe Manilius vocat. Grammatici ex *ἓν διὰ δυοῖν Hendiadyn*. Romani, audientes in Sicilia Agrigentinos frequenter usurpare *Ἀκραγάντος* et *Ἀκράγαντα*, inde suum formarunt *Agrigentum*, fere ut Turcae corrupere oppida Graeca, *Stalimene*, *εἰς τὴν Λῆμνον* audientes, ut *Sthini*, *Sthiva*, alia. Neque ipsis Graecis talis forma nominum erat incognita. Iam Homerus noverat *Ὑποθήβας*. Stephanus Byzantinus alia affert exempla, *Ὑποχαλκίδα*, *Ἐπικνημίδιοι*, *Προποντίς*, *Παρωκεανῖται*. In alio genere ex *αἶ Λίνον* composuerunt *αἴλινον*. Sic igitur ex *Εἰν Ἀρίμοις* natum est *Inarime*. Interea sunt, qui putent Virgilium in Homero legisse *Εἰναρίμοις;* pro qua opinione fortasse quantitas syllabae *in* afferri potest, quae ita melius produci videtur. Sed praepositio illa *in*, vocabulo ita composito, suam naturam deponit, et fit pars ipsius vocabuli. Memorabilis esset lectio Cod. Medic. in Ovidii Metam. XIV. 89. *Inque Arimen*, pro *Inarimen*, si bona inde efficeretur sententia.

Bellatorque animo deus incidit. Alii *animos*. Wagnerus alterum tamquam elegantius defendit. Adde, dativum esse antiquae elocutionis. Observavit Schol. Statii ad Theb. VIII. 1. »*incidit umbris:* vetus elocutio est per dativum casum. Claudius heri recedens vesperi Numantinis incidit." Hemsterhusius legebat: *Claudius Quadri.* hoc est, *Quadrigarius*.

Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res:
Portam vi multa converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multosque suorum
Moenibus exclusos duro in certamine linquit;
Ast alios secum includit recipitque ruentis,
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultroque incluserit urbi:
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis effulsit, et arma
Horrendum sonuere: tremunt in vertice cristae
Sanguineae, clipeoque micantia fulmina mittit.
Agnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subito Aeneadae. Tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternae fervidus ira
Effatur: Non haec dotalis regia Amatae;
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillen.
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam.

Demens! Burmannus putat Valerium imitari IV. 558. *Demens, dum profugi non sperat vellera Phrixi.*

Clipeoque micantia fulmina mittit. Multa varietas scripturae est, *fulgura, mittet, mittunt, clipeique, nutant, vitant.* Heynius coniicit *clipeusque*, quia durum repetere *Turnus* ante *mittit.* Wagnerus hanc ellipsin defendit. Nec mihi dura videtur. Nam oratio talis est: *regem Rutulum Pandarus inclusit. Ei, Turno regi Rutulum, lux effulsit, ei arma sonuere, ei tremunt cristae, is mittit.*

Intorquet summis adnixus viribus hastam. Valerius Flacc. III. 193. *Torseris hic totis connixus viribus hastam — raptumque per auras vulnus.* Multa similia collegit Heinsius ad Ovidii Metam. XII. 369.

Excepere aurae; volnus Saturnia Iuno
Detorsit veniens; portaeque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies; neque enim is teli nec volneris auctor.
Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubesque immani volnere malas.
Fit sonus: ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens; atque illi partibus aequis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troes.
Et, si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque immittere portis:
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.

Detorsit veniens. Incertum *Iuno veniens*, an *vulnus veniens*. Epitheton semper tale est, ut eo carere malis. In Hamburg. pro diversa lectione invenitur *iuveni*, quod longe elegantius censeo.

At non hoc telum, mea quod vi dextera versat. Quis loquitur? Diceres *Pandarum*. Hic, post hastam frustra emissam, orationem continuat, et ait: *hastam effugisti, at hoc telum non effugies.* Et talia saepe apud poetas inveniuntur, et ipsum Virgilium, ut pugnantes post hastam vel sagittam ense utantur. Sed haec verba ad Turnum esse referenda, ex sequentibus apparet. Interim nomen Turni vix deesse potest. Dixisset saltem: *Cui Turnus: non hoc, mea quod vi dextera torquet, Effugies neque enim is talis tibi volneris auctor.*

Neque enim is teli nec volneris auctor. Variant Codd. *es*, *es tale*, *his telis*, *actor.* Schraderus locum pro desperato habebat. Fortasse Schraderus totum locum, praecipue omissum Turni nomen, cogitabat. Nam haec nullam habent difficultatem, nisi quod displicere possit *auctor teli* de ense. Rectius enim de *sagitta* ponitur IX. 420. *nec teli conspicit usquam auctorem.*

Et mediam ferro gemina inter tempora frontem. Haec ante oculos habuit Ammian. Marcell. XXXI. pag. 481. *Quorundam capita, per medium frontis et verticis mucrone distincta, in utrumque humerum magno cum horrore pendebant.*

Sed furor ardentem caedisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim et, succiso poplite, Gygen
Excipit; hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum: Iuno vires animumque ministrat.
Addit Halym comitem, et confixa Phegea parma;
Ignaros deinde in muris Martemque cientis
Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque;
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic uno deiectum comminus ictu
Cum galea longe iacuit caput. Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Unguere tela manu, ferrumque armare veneno;
Et Clytium Aeoliden, et amicum Crethea Musis;
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharae cordi, numerosque intendere nervis;
Semper equos, atque arma virum, pugnasque canebat.

Caedisque insana cupido. Quod erat in Cod. Gud. pro diversa lectione *immensa*, hoc petitum esse videtur ex Aeneid. VI. 823, *laudumque immensa cupido.*

Tergum. Bene tuetur Wagnerus. Alii *tergus.*

Unguere tela manu, ferrumque armare veneno. Mira in MSS. varietas: *stringere*, *fugere*, et *urguere.* Unde suspicor *unguere* esse corruptum. Nec vero *tela unguere* et *ferrum veneno armare* differunt. Ingrata etiam est repetitio *tela* et *ferrum.* Nam quid aliud in *telis* unguitur quam *ferrum?* Malim *spargere tela manu.* Eadem est sententia, quae X. 140. *Vulnera dirigere et calamos armare veneno.* In vastatore ferarum non sufficit felicitas unguendarum, iaciendarum accedat.

Crethea Musarum comitem. Vel *Musis* vel *Musarum* esse corruptum indico. Non enim recte statim iunguntur *amicus Musis* et *comes Musarum.*

Semper equos, atque arma virum, pugnasque canebat. Amabat carmina. Semper carminum argumenta erant bella. Nunc in bello vitam ipse amittebat. Heynio hic versus displicebat.

Tandem ductores, audita caede suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;
Palantisque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?
Unus homo, et vestris, o cives, undique saeptus
Aggeribus, tantas strages impune per urbem
Ediderit? iuvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriae, veterumque deorum,
Et magni Aeneae segnes miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur, et agmine denso
Consistunt. Turnus paullatim excedere pugna,
Et fluvium petere, ac partem, quae cingitur unda.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum: ceu saevum turba leonem
Cum telis premit infensis; at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit; et neque terga

Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis? In Moret. *quaeve altera moenia.* Sed melius *ultra.* Tacitus Agricola 30. Nunc *terminus Britanniae patet. Sed nulla iam ultra gens. Nihil nisi fluctus et saxa.*

Non infelicis patriae, veterumque deorum. In uno MS. *parentum* pro *deorum*, quod Heynio valde arridebat. Vulgatum recte confirmat Wagnerus.

Turnus paullatim excedere pugna. MSS. octo *pugnae.* Cedere *pugnae* saepe apud Livium, ut II. 10. *Excedere*, non memini dictum.

At territus ille, Asper, acerba tuens, retro redit. Leo, asper et acerba tuens, *non est territus.* Retro redit, quia vi multa cogitur, et redit *invitus, sine metu.* Sic etiam Turnus. Omnino scribendum puto: *haud territus ille, Asper, acerba tuens, retro redit.* Talis recedit ille apud Statium Theb. VI. 794. *Sed non tamen immemor artis, Adversus fugit, et fugiens tamen ictibus obstat.* Seneca de Tranquill. 3. *Nec ego negaverim aliquando cedendum, sed sensim relato gradu et salvis signis, salva militari dignitate. Non statim aversus inermisque fugiat.* Idem Epist. 22. *repetat pedem, nec mutet terga, sed sensim*

Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Improperata refert, et mens exaestuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes;
Bis confusa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus e castris propere coit omnis in unum.
Nec contra vires audet Saturnia Iuno
Sufficere; aeriam coelo nam Iupiter Irim
Demisit, germanae haud mollia iussa ferentem:
Ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis.
Ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum,
Nec dextra valet: iniectis sic undique telis
Obruitur. Strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida aera fatiscunt;
Discussaeque iubae capiti; nec sufficit umbo
Ictibus; ingeminant hastis et Troes et ipse
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur, et piceum (nec respirare potestas)

recedat in tutum. Et Claudianus in Rufin. II. 251. *qualis vacuo discedit hiatu Impatiens remeare leo, quem plurima cuspis Et pastorales pepulerunt igne catervae — Inclinatque iubas, demissaque lumina velat.* Sed ante omnia huc facit elegantissimus locus Ciceronis de Oratore II. 72. *Confiteorque me, si qua premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar, sed adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam, et pugnae similem fugam.* Qui fugam adhibet *similem pugnae*, is fugit *haud territus*, non fugit *territus.*

Saturnia Iuno. In Goth. *Turno.* Eleganter.

Iniectis sic undique telis Obruitur. Valerius Flacc. VI. 380. *Hic pariter telorum immanis in unum It globus: ille diu coniectis sufficit hastis.*

Piceum flumen agit. Valer. Flacc. III. 576. *tum vero pallor et amens Cum piceo sudore rigor.*

Flumen agit; fessos quatit aeger anhelitus artus.
Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;
Et laetum sociis abluta caede remisit.

Aeger anhelitus. Omnia MSS. *aeger.* Wagnerus bene reduxit. Alii edidere *acer*, quia in Servianis annotatum erat, sic olim quosdam legisse. Sed illi ita mutasse videntur, ut orationem Virgilii variarent. Virgilius autem iam Aeneidos libro V. 432. posuerat: *quatit aeger anhelitus artus.* Vide Wagnerum.

Praeceps saltu. In MS. Gud. *saltu praeceps.* Quod fortasse ad vim sententiae melius est. Auribus quidem meis accidit iucundius.

Mollibus extulit undis. Recte Wagn. interpretatur: molliter eum et propitius extulit. Heynius *mollibus* simpliciter ad naturam aquae referebat, tamquam epitheton modo ornans, nihil amplius.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER DECIMUS.



Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divom pater atque hominum rex

Panditur interea domus omnipotentis Olympi. Habet *omnipotentis* difficultatem, quia recte *Iovi* tribuitur, non recte *Olympo* tribui videtur. Sic certe visum est iam veteribus, qui vel *Olympum* pro *Iove* accipiebant, vel *Olympi*, quod esset pro *Olympii*, vel *Olympia* emendabant. Alii reponebant *omnipatentis* vel *omniparentis*. Me quidem Olympus *omnipotens* non offendit, ut neque Heynium neque Wagnerum. Ea sedes nimirum *dei omnipotentis* bene ipsa vocatur *omnipotens*, et Virgilius XII. 791. iterum posuit, dicens *omnipotentis Olympi*. Sed aliud est, cur *Olympi omnipotentis* veram esse scripturam non arbitrer. Domus *Olympi* est totus Olympus, quem habitant dei, *'Ολύμπια δώματ' ἔχοντες*. Quomodo ille Olympus nunc *panditur*, aut quibus panditur? Aliis certe deis, ut ita ad concilium veniant. Ergo hi Olympo erant exclusi, solusque Iupiter Olympum tenebat: quod est contra mythologiam. Antiqui interpretes hoc sensisse videntur. Quare, ut Servius v. c. fecit, exponunt: *factus est dies*, quia poetae dicunt matutino tempore aperiri coelum, noctu vero claudi. Exigua, credo, mutatione, locus obscurus illustrari potest. Scribe: *Panditur interea domus Omnipotentis Olympo.* Iupiter vocatur *Omnipotens*, Aeneid. IV. 220. *Audiit Omnipotens, oculosque ad moenia torsit.* X. 615, et alibi. Recte *domus Iovis in Olympo* panditur. Iupiter habet suam domum, a caeteris separatam. In ea domo est

Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidum adspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus. Incipit ipse:
Coelicolae magni, quianam sententia vobis
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
Quae contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit?
Adveniet iustum pugnae, ne arcessite, tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas:

sedes siderea, in qua habetur concilium. Poetae rem variis modis ornarunt. Ovidius Metam. I. 170. vocat *palatia coeli* et *magni tecta Tonantis*. Ubi vide Ciofanum et Burmannum. Statius Theb. I. 197. *At Iovis imperio rapidi super atria coeli Lectus concilio Divom convenerat ordo*. Claudian. de Rapt. III. 8. *Ut patuit stellata domus*.

Quianam sententia vobis Versa retro? Mutata, sed *in peius*. Non recta nunc agitatis consilia: ut *res retro refertur*. Et Ennius apud Ciceron. de Senect. 6. *Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant Ante hac, dementes sese flexere viai*.

Tantumque animis certatis iniquis? In altero Menag. *certatur*. Eleganter, modo scribas: *quianam sententia vobis Versa retro? Tantumne animis certatur iniquis?* Maior in hac oratione spectatur indignatio.

Abnueram bello Italiam concurrere Teucris. Ego semper optaveram, ut Aeneas Italiam sine bello occuparet. Sed ira Iunonis non passa est. Atque hoc Iupiter iam sciebat futurum, cum Aeneid. I. 267. Veneri praedicebat, Aenean *ingens bellum in Italia* esse gesturum. Haec adeo huic loco non sunt contraria.

Exitium magnum atque Alpes immittet apertas. Poetica dicendi ratio, *genti immittere regiones, montes, fluvios*, pro *immittere agmina virorum, regiones, montes et ad fluvios habitantium* vel *inde venientium*. Manilius IV. 659. *Hannibal et Lybiam Italicas infudit in urbes*. Tumide Silius III. 563. *Alpibus imposuit Libyen, finemque minatur Imperio*. Lucanus VIII. 309. *Effundam populos alia tellure revulsos, Excitosque suis immittam sedibus ortus*. Claudianus Consul. Honor. IV. 50. barbaries *Iam deserta suas in nos transfuderat Arctos*. Sidonius Apollin. VII. 319. *Subito cum rupta*

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite; et placitum laeti componite foedus.
Iupiter haec paucis; at non Venus aurea contra
Pauca refert:
O Pater, o hominum rerumque aeterna potestas!
(Namque aliud quid sit, quod iam implorare queamus?)
Cernis, ut insultent Rutuli; Turnusque feratur

tumultu Barbaries totas in te transfuderat Arctos. Atque hinc confirmari potest, quod olim emendavi in pulcherrimo epigrammate Crinagorae Biblioth. Crit. Nova Vol. IV. pag. 54. *Οὐδ' ἢν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλήμμυραν ἐγείρῃ, Οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ, Ῥώμης οὐδ' ὅσσον βλάψει σθένος. Germania omnem Rhenum bibit* significat *Germania sita est, Germani habitant ubique ad Rhenum:* ut Horatius, qui *profundum Danubium bibunt;* et Pindarus Olymp. VI. 85. Dirces *ὕδωρ πίομαι, ad Dircem habito.* Wyttenbachius Bibl. Crit. Vol. III. Part. 4. pag. 36. interpretatur: *si Germania totum Rhenum ebiberit*, barbaris vadum et aditus in Romanum orbem aperietur: idemque in primo versu corrigit *ἀνείργῃ cohibeat*, ut hostibus ingruere tentantibus *siccum litus* praebeatur. Iam primum aliquid ridiculi est in cogitatione: *Germani Rhenum bibendo siccant*, ut tuti transire possint. Vel invitis in mentem venit fabula de canibus et corio, qui rupto corpore iacuerunt prius, quam depressum corium attigere. Deinde *πίῃ* non est idem atque *ἐκπίῃ*. Latini probe distinguunt. Sic v. c. *potare flumen* est *habitare ad flumen*, ut Seneca Hippol. 57. *fera quae potat Araxen.* Contra Iuvenal. X. 177. *Credimus altos Defecisse amnes, epotaque flumina Medo.* Talem fluvium Echidorum memorat Herodotus VII. 127. qui *πινόμενος οὐκ ἀντέχρησε τῇ στρατιῇ, ἀλλ' ἐπέλιπε.* Quare Crinagoram scripsisse arbitror: *Οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντ' ἐφίῃ. Nec si Oceanus omnes fluctuum furores concitet, nec si Germania omnem Rhenum immittat*, hoc Romae vires debilitabit.

Placitum laeti componite foedus. Placitum, quod ab utraque parte probetur. Vocabulum saepe cessit alteri *placidus*, ut etiam hic in MSS. quibusdam. Conf. Gronovius ad Statii Thebaid. VII. 190. et Senecae Herc. Oet. 683.

Turnusque feratur. In Medicaeo prius sic scriptum erat: *Turnusque secundo Marte ruat.* Alia deinde superscripta sunt, per eandem, ut videtur, manum. Similitudo, *Turnus* et *tumidus* errorem fortasse peperit. In aliis quoque MSS. hic turbatum est. Schol. Iuvenal. VIII. 40. *Tumes*,

Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt iam moenia Teucros.
Quin intra portas atque ipsis proelia miscent
Aggeribus moerorum; et inundant sanguine fossae.
Aeneas ignarus abest. Nunquamne levari
Obsidione sines? Muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiae, *nec non exercitus alter;*
Atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem credo, mea vulnera restant,
Et tua progenies mortalia demoror arma!
Si sine pace tua, atque invito numine, Troes
Italiam petiere: luant peccata; neque illos
Iuveris auxilio; sin tot responsa secuti,
Quae Superi Manesque dabant: cur nunc tua quisquam
Vertere iussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classis?
Quid tempestatum regem, ventosque furentis
Aeolia excitos? aut actam nubibus Irim?

superbus et nobilitate generis, tumidusque feratur. Ubi Schopenius vidit locum esse Virgilii truncatum. Quis novit an Scholiasta scriptum invenerit: *Turnusque secundo Marte ruat insignis equis, tumidusque feratur Per medios?*

Non clausa tegunt iam moenia Teucros. In Mediceo *claustra*, in alio *non moenia. Non claustra tegunt, non moenia Teucros.* Wakefieldus hoc vulgatis praetulit. Et mihi placet.

Nec non exercitus alter. Et Heynius hemistichium frigere putat. Neque video, quomodo *hostis* et *exercitus* esse possint diversa, aut *hostis muris imminet* non sufficiat. Wagnerus interpretatur *hostis*, Turnus: ut olim Atridae cum exercitu ad Troiam oppugnandam venerunt, sic nunc Turnus. Hostis, credo, sunt hostes: ut *hostis adest.* Hostes iam urbem obsident, Rutuli et Latini. Diomedes brevi accedet.

Mortalia demoror arma! Id est: *Armis mortalibus statim pectus exponam. Moror arma*, quae iam parata sunt, ut me vulnerent. Horatius Epod. IX. 21. *Io! triumphe! Tu moraris aureos Currus.* Nempe, *currus iam parati sunt*, conscende modo.

Nunc etiam Manis (haec intentata manebat
Sors rerum) movet, et superis immissa repente
Allecto, medias Italum bacchata per urbis.
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua coniunx
Dura: per eversae, genitor, fumantia Troiae
Excidia obtestor: liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Aeneas sane ignotis iactetur in undis,
Et, quamcunque viam dederit Fortuna, sequatur:
Hunc tegere, et dirae valeam subducere pugnae.
Est Amathus, est celsa Paphus, atque alta Cythera,
Idaliaeque domus: positis inglorius armis
Exigat hic aevum. Magna dicione iubeto
Carthago premat Ausoniam; nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Iuvit, et Argolicos medium fugisse per ignis,

Aeneas sane ignotis iactetur in undis. In aliis MSS. *procul iactetur in oris.* Sive *procul*, sive *sane* legas, utrumque magis ad versum supplendum, quam ad vim aut gratiam orationi conciliandam, positum videtur. *Sane* autem et *procul* adeo, quod ad literarum ductus attinet, differunt, ut ex errore scribentium, hoc vel illud, nasci non potuerit. Sententia loci postulat *iterum. Aeneas iterum ignotis iactetur in oris. Orae* et terram et litora, atque adeo maria, significant. Iactari *in undis*, minus usurpatum. Vulgo *undis* iactamur, credo, quia *ipsae undae nos iactant.* Conf. Virgilius Aeneid. III. 197. I. 3. I. 442. I. 29. Silius III. 560. VII. 474. Claudianus VI. Consul. Honor. 140. Nepos in Attico 6. *maritimis fluctibus iactarentur.*

Est celsa Paphus, atque alta Cythera. Praefero cum Wagnero. Alii: *est celsa mihi Paphus, atque Cythera.*

Idaliaeque domus. Posuerat nuda regionum nomina, *Amathus, Paphus, Cythera.* Hic utitur periphrasi *domus Idaliae*, pro simplice *Idalia*, vel *Idalium.* In tali caussa maluissem *Idaliaeque nemus.* Ita Aeneid. I. 693. *Dea tollit in altos Idaliae lucos.*

Nihil urbibus inde Obstabit Tyriis. Schraderus coniicit *arcibus.* Elegantius.

Totque maris vastaeque exhausta pericula terrae,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quaerunt?
Non satius, cineres patriae insedisse supremos,
Atque solum, quo Troia fuit? Xanthum et Simoenta
Redde, oro, miseris; iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Iuno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?
Aenean hominum quisquam divomque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam fatis petiit auctoribus; esto:
Cassandrae impulsus furiis: Num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem aut gentis agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quae dura potentia nostri,
Egit? Ubi hic Iuno, demissave nubibus Iris?
Indignum est, Italos Troiam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terra,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater:
Quid, face Troianos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena iugo premere, atque avertere praedas?

Tum regia Iuno Acta furore gravi. Iuno argumenta Veneris ordine non refutat. Oratio iam nunc satis est rhetorica. Magis esset, si Iuno ad singula respondisset. Et Virgilius Deae iratae ardorem ita expressit, ut aliquid turbati in verbis conspiciatur.

Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater. Hunc versum non esse genuinum putabat Heindrichius. Wagnerus explicat, *Turnum non minus stirpe divina natum*, quam Aenean. Sed comparatio non est inter Turnum et Aenean, imo inter Italos et Troianos. Nec Pilumnus erat Turni *avus*. Aen. X. 619. dicitur Pilumnus Turni *quartus pater*.

Arva aliena iugo premere. Troiani condidere castellum, unde libertati Latinorum imminebant. Iuno rem auget, et, quod timet, iam factum esse fingit.

Quid, soceros legere, et gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, praefigere puppibus arma?
Tu potes Aenean manibus subducere Graium,
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanis;
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra iuvisse, nefandum est?
Aeneas ignarus abest; ignarus et absit:

Quid, soceros legere, et gremiis abducere pactas. Explicari potest *legere soceros*, ut Aeneas superbe et pro arbitrio Latinum legerit socerum, non rogaverit, ut esse vellet socer, sed vi coegerit, et, ubi repulsam tulit, armis persecutus sit. Sed Iunonem non latebat, Latinum ipsum destinasse filiam Aeneae; et ipsa uxorem Latini incitaverat contra Aenean, adeo ut Latinus uxori, Aenean recusanti, cesserit. Neque ista Venus ignorabat. Itaque Iuno hoc argumento, plane falso, uti non poterat. Sed Latinus ante adventum Aeneae filiam Turno promiserat. Aeneid. VII. 365. uxor Latini dicit: *Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum, Et consanguineo toties data dextera Turno?* Aeneas permoverat Latinum ut hanc fidem desereret, violaret. Ergo soceros *a fide data* abduxit. In duobus MSS. invenitur: *Quid, soceros lege, et gremiis abducere pactas.* Non ita quidem scripsisse Virgilium arbitror. Latet tamen fortasse aliquod substantivum, ut sententia hue redeat: *abducere soceros a fide, pactas a gremiis.* Est quidem illud paullo affectatius. Sed talis est tota haec oratio, et aliae orationes multae, in quibus Virgilius communi suae aetatis vitio iam aliquid concessisse videtur. *Gremiis abducere pactas* idem est, ac *gremiis eorum, quibus pactae sunt.* Imitatur Valerius Fl. VIII. 49. *gremiis abducere natas*, hoc est gremiis earum, quarum natae sunt, matrum. Ut Ambrosius Epist. I. 6. *pactam e gremio matris non abduci.*

Et potes in totidem classem convertere Nymphas. Deerat hic versus in Franciano. In aliis *classes.* Quid Aenean iuvabat, quod naves in Nymphas erant mutatae? Carebat tamen navibus. Et hoc accidit propter Berecyntiam matrem, non propter Aenean.

Aeneas ignarus abest; ignarus et absit. Aeneas, dicis, abest, et ignorat, quid geratur. Quid tum? Quid refert? Absit ignarus. Spero ut diu, ut semper absit omnium ignarus. Hic versus neque cum antecedente, neque cum sequente cohaeret. Stat solus ac separatus. Fortasse idem voluit Servius: *ea quae solvere non possumus, irridemus.* Formulam *abest et absit* illustravit saepe Heinsius ad Ovidium, Heroid. Epist. IV. 109. IX. Metam. 623. et alibi.

Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera.
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Obiecit? quae caussa fuit, consurgere in arma
Europamque Asiamque, et foedera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?
Tum decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud iustis assurgis, et irrita iurgia iactas.
  Talibus orabat Iuno: cunctique fremebant
Coelicolae assensu vario. Ceu flamina prima
Quum deprensa fremunt silvis, et caeca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit. Eo dicente deum domus alta silescit;

Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera. Malim supra post *absit* ponere punctum, ut hic post *Cythera* duo puncta. Si tibi est Paphos, habitet ibi Ascanius. Ne tenta urbem Latini.

Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter? Locus difficilis. Quae de expugnata a Paride Sparta in Servianis leguntur, ea Grammatici illius non esse videntur. Heynius: »*Expugnavit*, ad vim et atrocitatem raptus declarandam: quasi hoc idem esset, ac bellum inferre." Wagnerus: *pudicitiam feminae expugnavit.* Ego scribendum coniicio: *Me duce Dardaniam Sparta expugnavit adulter?* Adulter caussa fuit, ut Troia expugnaretur. Sed quis ille? Venitne *adulter Sparta*, fuitne Spartanus, qui me duce adulterium commisit et Troiam cepit; an fuit Troianus, qui duce Venere, commisso Spartae adulterio, suam ipse patriam vastavit? Omnia ornatu et acumine rhetorico. Paris suo scelere Troiam expugnavit. *Dardania* pro *Troia*, ut III. 156. *Dardania incensa.* Iam *adulter Sparta expugnavit* Troiam, pro *fecit ut propter adulterium Troia ab ultoribus, ex Sparta profectis, expugnaretur.*

Deum domus alta silescit. Iul. Sabinus legisse videtur *quievit.* In Hamb. a m. sec. erat *quiescit*, quod verum puto: *quiescit*, a fremitu et vario deorum assensu. Nec pulchre se excipiunt *silescit* et *silet.*

Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;
Tum Zephyri posuere; premit placida aequora pontus.
Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios coniungi foedere Teucris
Haud licitum; nec vestra capit discordia finem:
Quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,

Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether. Quod nonnullis eleganter dictum esse videtur *tellus tremefacta solo*, hoc equidem nunc tolerari non posse indico. Est enim sententiae Virgilianae plane contrarium. Virgilius imaginem maximi ubique silentii proponit. Olympus *quiescit*, aether *silet*, Zephyri *ponunt*, aequor fit *placidum*. In hoc silentio *tellus solo est tremefacta*, vehementer commota, adeo ut solum *tremat et ingentem fragorem edat:* ita dicimus montes *iugis tremefacti*. Iam iste tremor sine fragore non intelligitur. Sic *tellus tremit*, v. c. cum Iupiter fulminat: Silius V. 387. *Intremuere simul tellus et pontus et aether. Ipsaque commoto quatiuntur Tartara mundo.* Heynius, propter aliam tamen caussam, repeti posse arbitratur *tremefacta solo tellus silescit.* Sed *solo tremefacta* et *silescit* nimis contraria sunt. Dubitare noli, quin Virgilius pro SOLO scripserit SILET: *Et tremefacta silet tellus, silet arduus aether.* Elegans versus et significatione et forma. Tellus *tremefacta* motum et fragorem non necessario includit. Repetitio autem verbi quam sit pulchra, exemplis constabit. Iam Graeci amant, ut Theocritus Eidyll. II. 38. *Ἠνίδε σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται.* Virgilius VII. 743. *Aerataeque micant peltae, micat aureus ensis.* VIII. 91. *mirantur et undae, Miratur nemus.* Ovidius Metam. VII. 187. *Immotaeque silent frondes, silet humidus aer.* Valerius Fl. III. 584. *pavet omnis conscia late Silva, pavent montes.* Idem V. 166. *Horruit immensum ponti latus, horruit omnis Armeniae praetentus Hiber.* Virgilium quoque respexit Claudianus Rapt. I. 84. *tremefacta silent, dicente tyranno, Atria.*

Quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem. Alii *spem secat* interpretantur, quod quisque *sperat;* alii, quod *non sperat.* Sententia loci postulat, quod quisque *sperat.* Sed quomodo *spem secare* significabit *sperare?* Turnebus, ni fallor, prope a vero abfuit. Explicat: »*qui secat aliquid, assumit.*" Spes incertum negotium est. Priusquam bellum suscipimus, animo et cogitatione vel omnem spem, vel partem maiorem, vel minorem, nobis inde *praecipere* solemus. Spem cum hostibus quasi *dividimus.* Plerumque maiorem nobis partem *secamus.* Sumus in re nostra arbitri. Arbitri litem et

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italum castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Troiae monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Iupiter omnibus idem.

rem *secant*, saepe *mediam*, unde *μέσον τέμνειν* dicuntur. Simplex erat: quam quisque spem sibi sumendam putat, qua spe niti se posse confidit. De *secare*, quod ad arbitros, nonnulla annotavit Dresem. ad Ioseph. Iscan. II. 479.

Seu fatis Italum castra obsidione tenentur. Valde ambignum *fatis Italum*, an *obsidione Italum.* Quid, quod etiam iungere possis *castra Italum.* Atque hoc fortasse unice verum, si sequentia recte intelligere velis. Seu castra arces et urbes Italorum obsidione tenentur, quia Troiani novam Troiam in Italia condidere, ex qua Troia castris et urbibus Italorum imminet. Sic *fata* opponi possunt *errori* Troianorum. Bonus poeta semper scripsisset: *Itala seu fatis castra obsidione tenentur.*

Sive errore malo Troiae monitisque sinistris. Heynius explicat: »Seu fata iniqua Troianos prosequuntur etiam in medium Latium, sive Troiani oracula male interpretati sunt." Ex opinione Heynii igitur sententia huc rediret: Seu fato accidit, ut nunc Troiani in Italia obsideantur, seu Troiani contra fata, fatis invitis, in Italiam venerint. Sed haec quomodo opponantur, non satis perspicio. Aliter versum antecedentem exposui. Hinc tale oppositum nanciscimur: *Seu fato Troiani in Italia venerint, et urbibus Italis immineant, seu venerint errore ducti et monitis Cassandrae decepti.* Quod melius.

Nec Rutulos solvo. Obscurum, ait Heynius, per brevitatem affectus. Brevitas affectus hanc, puto, habere potest obscuritatem, ut statim non perspiciamus. Sed si obscurum illud post saecula non illustrari potest, nec verba sunt corrupta, vitium est poetae, scribentis aliquid, cuius notionem non nisi obscuram sibi ipse informare potuit. Alii aliis modis expedire conantur. Wagnerus: *nec Rutulos libero hac conditione, ut, quidquid fata decreverint, id iis eveniat.* Sed nihil erat, cur Iupiter hoc diceret. Etiam si vellet, Rutulos hac conditione liberare non poterat. Et supra iam dixerat *Tros Rutulusve fuat.* Si nunc solos *Rutulos* appellat, Rutulis magis favisse videretur.

Sua cuique exorsa laborem Fortunamque ferent. Inanis repetitio antecedentium. Male iteratur *fortuna.* Et quid *Rex Iupiter omnibus idem* differt ab iis *nullo discrimine habebo.* Oratio Iovis, si aliena mecum recidis, est brevior, gravior, et concinna bonoque poeta dignior.

Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. Solio tum Iupiter aureo
Surgit, coelicolae medium quem ad limina ducunt.
  Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere caede viros, et moenia cingere flammis.
At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur;
Nec spes ulla fugae. Miseri stant turribus altis
Nequidquam, et rara muros cinxere corona:
Asius Imbrasides, Hicetaoniusque Thymoetes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Thymbris,
Prima acies. Hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnesius Acmon,

Fata viam invenient. Lucan. I. 33. *Quodsi non aliam venturo fata Neroni Invenere viam.* Statius Silv. V. I. 145. *Invenere viam liventia fata.* Claudian. in Eutrop. I. 140. *fatis aperire viam.* Fortasse emendandus ad hanc normam est locus Senecae Consolat. ad Marciam 20. *Solvitur, quod cuique promissum est. Eunt ut sua fata, nec adiiciunt quidquam, nec ex promisso semel demunt.* Scribendum: *Eunt viam suam fata.*

Per pice torrentis atraque voragine ripas. Cogitabat ista Minutius Felix Octav. pag. 330. *apud poetas etiam ipse rex Iupiter per torrentes ripas et atram voraginem iurat religiose.*

Thymbris. In aliis *Tybris* et *Thybris.* Heynius *Thymbrin* recte tuetur.

Themon. Recte idem Heynius. MSS. hic valde corrupta sunt, *Haemon*, et aliis modis, ut fieri solet in nominibus propriis, praecipue minus in historia cognitis.

Haud partem exiguam montis. Seneca in Suasor I. pag. 9. *Corruptissimam rem omnium, quae unquam dictae sunt, ex quo homines diserti insanire coeperunt, putabant Dorionis esse in Metaphrasi dicta Homeri:* Tum excoecatus Cyclops saxum in mare reiecit. *Haec quomodo ex corruptis eo perveniant, ut et magna, nec tamen sana sint,* aiebat Maecenas apud Virgilium in-

Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi iaculis, illi certant defendere saxis,

telligi posse. Tumidum est ὄρεος ὄρος ἀποστήσατε, Virgilius quidem ait: *rapit haud partem exiguam montis. Magnitudini se dat, sed ut non impudenter discedat a fide.* Haec Seneca. Nam quae ibi sequuntur: » *est inflatum κὰρ καίρια βάλλεται μέσος: Virgilius ait de navibus* credas innare revulsas Cycladas. *Non dicit hoc fieri, sed videri:*" ea pertinent ad aliud exemplum, etiam ex Homero petitum, quod si quis reperit, (mihi nunc in mentem non venit) is Graeca facile emendabit. Locus Senecae vehementer inquinatus est. Atque alias quidem mendas tollere, non magni laboris videtur. Pro *Metaphrasi dicta*, Gronov. *Odysseae.* Versus Dorionis hexameter sic legendus: *Tunc excoecatus Cyclops saxum in mare iecit.* Praecessit, credo, aliquid in Dorione, unde hic *saxum* de *toto monte* accipi debeat. Graeca ὄρεος ὄρος ἀποστήσατε mutanda sunt in ὄρεος κορυφὴν ἀποῤῥήξας. Caetera ita refinge: *ΗΚΕ Δ' ΑΠΟΡΡΗΞΑΣ ΚΟΡΥΦΗΝ ΟΡΕΟΣ ΜΕΓΑΛΟΙΟ, ut magna, nec tamen sana sint, aiebat Maecenas apud Virgilium intelligi posse.* Notum est ex Scholiastis Virgilii, Iuvenalis, Statii, aliis, quam perverse Graeca scriberentur, partim maiusculis literis, partim minoribus, partim Graecis, partim Latinis. Graeca sententia non intelligebatur, ipsae literarum figurae erant incognitae. Itaque singulas literas, ut pueri, effingendo et imitando, exprimebant. Quid mirum homines, qui MSS. iterum describebant, interdum ex Graecis fecisse Latina, praecipue si Graeca cum vocabulis Latinis convenirent, ut in hoc nostro exemplo, v. c. *ΗΚΕ* et HARC. *ΚΟΡΥΦΗΝ* et CORRVPTA. *ΗΞ* et EX, ut alia mittam. Iam mihi adspice Graeca: *ΗΚΕΔΑΠΟΡΡΗΞΑΣΚΟΡΥΦΗΝΟΡΕΟΣΜΕΓΑΛΟΙΟ:* adspice Latina: HARCQVOMODOEXCORRVPTISEOPERVENIANT: opinio mea, credo, non tam mira videbitur, quam fortasse prima quidem specie videtur. Numera literas. In Graecis invenies triginta tres, in Latinis triginta quatuor. Hoc in tali caussa multum valet. Atque hanc rationem emendandi scholia a nemine adhuc tentatam vidi. Fortasse utiliter hic illic adhiberi poterit.

Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo. Imitantur et alii et Claudian. in Rufin. I. 373. *Nec forti genitore minor, nec fratre corusco.* Variavit autem Homericum οὐ πατρὸς ἀμείνων. Idem Seneca in his corruptus est, Controv. V. 31. Nicetas dixerat: *εἰ ὁ πάππος ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδοθείς, ἡμεῖς ἡμῖν παρίστη τῷ τότε δικαστηρίῳ, οὐκ ἂν εἶπεν· τίς νύ μοι ἡμέρη ἥδε θεοὶ φίλοι; νὴ Δία μάλα χαι-*

Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris iustissima cura,
Dardanius caput, ecce, puer detectus honestum,
Qualis gemma, micat, fulvum quae dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti; vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho,
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crinis
Accipit et molli subnectens circulus auro.
Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes
Volnera dirigere, et calamos armare veneno,
Maeonia generose domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolosque irrigat auro.
Adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere moerorum sublimem gloria tollit,

ρων. οἵ τ' ἀρετῆς περὶ δῆριν ἔχουσιν, εἶπον, μῶν ὅδε πατρὸς ἀμείνων; Ubi scribendum *ἡμῖν σήμερον παρέστη ἐν τῷδε τῷ δικαστηρίῳ —— καὶ μάλα χαίρων, οἵαν τῆς κ. λ.* Sunt plerique centones Homerici.

Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes. Medic. *magnanime.* Heins. coniicit *magne animae.* Heynius *magnanimae gentes* frigere putat, Wagnerus nimis vagum. Maluisset *magnanimi Troes*, sed accipit *gentes* pro *Lydis.* Equidem illud *viderunt* omnino ad hostes referendum iudico. Troiani aliud habebant quod agerent, quam ut Ismarum tela coniicientem viderent. Et maior laus ab inimicis fortissime dimicantem conspici, quam a suis. Virgilium scripsisse pro MAGNANIMAE puto ANAGNINAE. *Te quoque Anagninae viderunt, Ismare, gentes.* Nominavit gentem ex oppugnatoribus, quae tunc vicina muris stabat. Anagnini memorantur inter legionem agrestem VII. 684. erantque in Hernicis nobilissimi: vide Livii IX. 42. Macrob. Saturn. V. 18. *Sunt in libro VII. illi versus, quibus Hernici populi, et eorum nobilissima, ut tunc erat, civitas, Anagnia, enumerantur. Gentes* de *una gente* poeticum est. Conf. Heynius ad h. l.

Volnera dirigere, et calamos armare veneno. Seneca Herc. Oet. 160. *Vicino Nabathae vulnera dirigit.* Polybius Hist. I. 68. *ἐκβάλλουσι τὰς πληγάς. Armare veneno* illustravit Heins. ad Valerii Fl. I. 108. Imitatur Ambrosius Hexaem. III. 9. *armata venenis tela.*

Et Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.
Namque, ut ab Euandro castris ingressus Etruscis,
Regem adit, et regi memorat nomenque genusque;
Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma
Quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni,
Edocet; humanis quae sit fiducia rebus
Admonet, immiscetque preces. Haud fit mora; Tarchon
Iungit opes, foedusque ferit; tum libera fati
Classem conscendit iussis gens Lydia divom,
Externo commissa duci. Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones;

Humanis quae sit fiducia rebus. Se nunc aliena ope indigere; hoc idem accidere posse Tarchonti et Etruscis. Hannibal in colloquio cum Scipione apud Livium XXX. 30. simili argumento utitur. Heynius interpretatur, Mezentium iterum in regnum posse restitui.

Aeneia puppis. Classis Caeretanorum dudum stabat parata. Aeneid. VIII. 497. *Toto namque fremunt condensae litore puppes.* Ipsa acies, milites, exercitus, qui nunc in navibus vehitur, in campo residebat, vs. 503. Ex navibus dedere Aeneae unam, quam cum Troianis lectis et Pallante conscendit. Haec dicitur *puppis Aeneia.*

Rostro Phrygios subiuncta leones. Selegerunt hanc navem ex classe Aeneae, quia forte hoc ipsum parasemum, Phrygios leones, habebat propter *Phrygios leones* ea navis aedificata esse videbatur et destinata Aeneae. In *rostro* magis cogitanda est tota *puppis*, quam ipsum illud *rostri* instrumentum. Tyrrheni autem iam illis temporibus multum mari valebant. Vide Livium I. 23. *Faciebantque, ut mos erat, piraticam.* Adde Cicero de Republ. II. 4. Wesseling. ad Diodori Siculi XV. pag. 14. et Niebuhr. Hist. Rom. T. II. pag. 547. Nunc classem triginta navium habebant, ergo triginta parasema. Parasemum *Phrygii leones* variis ex caussis repeti potest, sive ex religione Idaeae matris, sive capta olim nave Troiana, sive ex aliis caussis. Sed *Phrygios leones* corruptum ac scribendum esse puto: *rostrum Phrygio subiuncta leoni.* Parasemum est super rostrum. Litera *s* ex *subiuncta* male repetita, et *rostrū* pro *rostrum*

Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Aeneas, secumque volutat
Eventus belli varios; Pallasque sinistro
Affixus lateri iam quaerit sidera, opacae
Noctis iter, iam quae passus terraque marique.
Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
Quae manus interea Tuscis comitetur ab oris
Aenean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus aerata princeps secat aequora Tigri:
Sub quo mille manus iuvenum, qui moenia Clusi,
Quique urbem liquere Cosas: quis tela sagittae
Gorytique leves humeris et letifer arcus.
Una torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, et aurato fulgebat Apolline puppis.

caussam errori dedit. Erat parasemum vulgo una effigies, praecipue in animale, quantum est leo.

Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris. Heynius annotavit, quocunque te verteris, hunc versum esse importunum; si rescideris, liberam et tersam decurrere orationem. Tuccam igitur et Varium, si delevissent, sententiae non male fuisse consulturos. Deinde ita explicat, ut Ida fuerit parasemum, et rostrum ipsum in faciem leonum exierit. Sed tum, credo, Latine dixisset poeta: *rostrum in Phrygios subiuncta leones*, vel *rostrum Phrygios subiuncta leones.* Sed ipsa imago parasemi *Mons Ida imminens leonibus* intelligi non potest. Itaque Spencius Idam personae symbolo expressam fuisse suspicatur. Neque hoc procedit. Vide Heynium. Quid autem *profugis gratissima Teucris?* Olim gratissima, cum aedificabant classem? Tunc nondum erant *profugi.* Quamquam sic dici possint per prolepsin, et quia consilium fugiendi habebant, languidum tamen et non satis distinctum hoc omne additamentum. Si *imminet Ida super* idoneam sententiam praeberet, hoc tamen hemistichium *profugis gratissima Teucris* non esse Virgilii diceres.

Opacae Noctis iter. Iter noctis, est nocturnum, vel quod *ipsa Nox* per coelum facit, vel quod *homines* tempore noctis faciunt. Vide exempla apud interpretes ad Valerii Flacci VII. 408. et Lucani X. 333. Hic sidera *ipsa* sunt iter, quod navigantes nocte sequantur, hoc est, iter ostendunt. Wagnerus Quaest. XXXIII. 3. dicit sidera non sunt *ὁδὸς* sed *ὁδηγέται.*

Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuvenes: ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum divomque interpres Asilas,
Cui pecudum fibrae, coeli cui sidera parent,
Et linguae volucrum, et praesagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae,
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcerimus Astur,
Astur equo fidens et versicoloribus armis.
Tercentum adiiciunt, mens omnibus una sequendi,
Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres, intempestaeque Graviscae.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra, et paucis comitate Cupavo,

Expertos. Cod. Ambros. Frontonis pag. 511. *expertes*.

Alpheae ab origine Pisae. Melius, quam quod alii sequuntur, *Alphea*. Vide Heynium et Wagnerum.

Minionis. In Grammatico MS. Bibliothecae Leid. vidi *Milionis*.

Transierim, Cinyra, et paucis comitate Cupavo. Versus adeo difficilis, ut omnes adhuc interpretari frustra studuerint. Heynius et hunc et duos sequentes longa disputatione illustrare conatur. Vide Excursum I. Equidem vocabula *et paucis comitate Cupavo* misere corrupta esse statuo. Fabula Phaethontis et Cycni a multis narratur, *Cupavonis* nusquam ulla mentio, nisi apud Macrobium Saturn. VII. 15. sed ex Virgilio. Macrobius igitur in MSS. iam inquinata incidit. In Servianis *Cupavo* fit filius Cycni. Alii putant *Cinyram* et *Cupavonem* fuisse fratres. Neque caussa excogitari potest, cur Cupavonem *a paucis comitatum* dixerit. Nominat principes viros, quorum alii *mille*, alii *sexcentos*, alii *trecentos* milites ducunt. Non silebo, inquit poeta, Ligurum ductorem fortissimum. Hic, Cupavo quidem, *paucos* ducit. Ratio talis sententiae non constat. Non satis perspicio, cur, quum scripsisset *ductor fortissime*, subiungere potuerit *Cinyra* et *Cupavo*. Diceres et *Cupavonem* fuisse ductorem Ligurum. Fuerunt certe in una eademque navi, Centauro. Haec erat *ingens*. Ergo non pauci fuisse milites videntur. Nomen *Cupavo* in MSS. mire variatur: *Cupabo*, *cupabo*, *occupabo*. Scribemus

Cuius olorinae surgunt de vertice pennae,
(Crimen amor vestrum) formaeque insigne paternae.
Namque ferunt, luctu Cycnum Phaethontis amati,
Populeas inter frondis umbramque sororum
Dum canit, et moestum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam;

corrupta vocabula literis maiusculis, ut MSS. formam aliqua saltem imitemur: **ETPAVCISCOMITATECVPAVO.** Vide quam parum ab his figuris differant: **AEQVALISCOMITATECATERVAS.** *Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello, Transierim, Cinyra, aequales comitate catervas.* Virgilius quaedam per parenthesin de hoc Cinyra et patre Cycno interserit, tum orationem abruptam ita repetit: *Filius, aequalis comitatus classe catervas, Ingentem remis Centaurum promovet.* Quae verba et supra ita legendum esse satis declarant. Significant enim: *filius igitur Cycni, Cinyras, ut dicebam, aequales comitatur.*

(*Crimen amor vestrum*) *formaeque insigne paternae.* Sic Wagnerus edidit, iungens *olorinas pennas et formae insigne paternae.* Idem coniicit *fortunae insigne paternae.* Copulam tamen ob interpositam parenthesin adiectam explicat, et *crimen* accipit pro *caussa originis vestrae* et transformati in avem Cycni. Heynius, omnibus frustra tentatis, versum eiicit. Alii sic distinguunt: *Crimen amor vestrum, formaeque insigne paternae.* Alii alio modo. Locus desperatus, in quo ancipitem facere medicinam nihil nocebit. Pro **CRIMEN AMORVESTRVM** scribe **CRINIBVS ORNAMENTVMET.** *Cuius olorinae surgunt de vertice pennae, Crinibus ornamentum et formae insigne paternae.* *Crines* non est vile vocabulum. Virgilius IV. 148. *fronde premit crines.* VII. 815. *auro internectat crines*, et alibi. Addidit *ornamentum*, ne *pennas olorinas* pro *crinibus* in capite habuisse videretur. Nam hoc significare potest *surgunt de vertice pennae. Ornamentum* est quod saepe vocatur *decus.* Versus non est ingratae caesurae, quia post *ornamentum* sequitur *et.*

Canentem molli pluma duxisse senectam. Haec significare vix aliud possunt, quam *senectam transegisse dum plumas habet pro crinibus.* Heynius interpretatur: *nactum esse senectutem canentem pluma*, nactum esse candidas plumas. Sed Cycnus non recte *duxit* senectam. Iam senex erat, et diu luxerat Phaethontem. Recte *duxit plumas*, *sensim* sed intra brevissimum tempus accepit, multo semper citius, quam quis *senectam* ducit. *Ducere* et *trahere* ita saepe Ovidius in Metamorphosi posuit. Conferatur v. c.

Linquentem terras, et sidera voce sequentem.
Filius, aequalis comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet; ille
Instat aquae, saxumque undis immane minatur

Burmannus ad VIII. 759. Atque haec Cycni etiam est Metamorphosis. Malim: *Candenti mollis plumas duxisse senecta. Candenti* ob praecedens *canit*. In duobus MSS. erat *senecta*, in Cod. Iacckii *plumam*. Cycnus igitur in extrema senectute aliquando plumas duxit, terras liquit, et avis sidera petiit. Interea Ambrosius de Fide Resurr. II. § 129. vulgata novisse videtur: *Hinc senes plerique decepti sunt, ut gravi immorerentur dolori, cygneis male creduli fabulis, dum putant modulis se mulcendo flebilibus albentem molli pluma mutare caniciem.*

Filius, aequalis comitatus classe catervas. Repetamus totius loci difficilis sententiam, iam ut spero, ex nostra emendatione, facillimi: *Non te silebo, Ligurum fortissime ductor, Cinyra, qui catervas aequales comitatus es: de cuius vertice surgunt pennae olorinae, decus capiti et monumentum formae paternae; nam ferunt Cycnum nimio luctu Phaethontis in olorem fuisse mutatum. Cinyras igitur, filius huius Cycni, aequales catervas comitatus, Centauro invehitur.* Qui oratione prosa utuntur, sermonem abruptum ita repetere solent, nec minus poetae. Virgilius Aen. IX. 210-211. *Sed si quis — si quis.* XII. 224-227. *In medias acies — In medias dat sese acies.* XII. 862-865. *Alitis in parvae subito collecta figuram — Hanc versa in faciem.* Silius IX. 530-532. *Quamquam ego non Teucros — non Teucros.* Vide Drakenborchium ad Silii XII. 441. Superest ut exponam *aequales catervas.* Sunt catervae *aequalium*, iuvenum militari aetate Tyrrhenorum, quorum exemplo Cinyras excitatus, cum suis Liguribus huius expeditionis societatem petiit. Verba Dictyos Cretensis de Bello Troiano I. pag. 16. pro interpretatione esse possunt: *Iuventus partim sua sponte, alii aequalium ad gloriam aemulatione, ad munia militiae festinabant.* Virgilius supra vs. 182. idem studium expressit: *mens omnibus una sequendi. Aequales catervae* ita leguntur apud Valerium Fl. VI. 497. *Deseris heu nostrum nemus aequalesque catervas;* et VII. 181. *Aequali dominam lustrare caterva.* Servius longe aliter: aut *aequaliter* per naves habens distributas catervas, aut ipsi duci *pares virtute;* Heynius: turmam *aequalium*, vel *aequali numero;* Wagnerus: *catervas Ligurum, ipse Ligur.*

Ille Instat aquae, saxumque undis immane minatur. Puppi prae-

Arduus, et longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen;
Mantua, dives avis; sed non genus omnibus unum;
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;
Ipsa caput populis; Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat:
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infesta ducebat in aequora pinu.
It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton et cacrula concha

fixa erat effigies Centauri. Ille Centaurus instat et imminet aquae, post se trahit ingentem navigii molem, quae tanta est, ut saxum, mons, undis innare videatur. Centaurus *minatur saxum*, *minantem saxi imaginem refert*. Navis est *saxum*, ut alibi *credas revulsas Cycladas et montes concurrere montibus altos:* et *urbis opus*. Heynius contra: *Centaurus ita erat sculptus*, *ut saxum evulsum terra proiiceret*. Wagnerus: *ut saxum utraque manu alte sublatum proiecturus videretur*. Wagnerus in eam rem uti potuisset Silii V. 135. *Scylla super*, (in galea) *fracti contorquens pondera remi*, *Instabat*, *saevosque canum pandebat hiatus*.

Mantua, *dives avis*, *sed non genus omnibus unum*. Heynius, Muellerus, Niebuhrius, Wagnerus, alii multa de hoc et sequente versu disputaverunt. Simplicissima interpretandi ratio mihi haec videtur: *Mantua habens multos potentes ac principes viros*, *multos nobiles*, *sed ex diverso genere prognatos*. Triplex fuit illud genus. Ex genere triplici orta gens triplex, triplex familia nobilium, quibus singulis familiis parent quaterni populi. In triplici familia rursus una fuit caeteris potentior, recto ordine ab Ocno descendens, quam gentem *Ocnidarum* appellare possis; quae sedem Mantuae habebat, unde Mantua populis erat caput. Et Mantuae fortasse erat *commune templum*. Tota res optime illustrari potest ex reliquiis historiae Etruscae, ex Doriensis imperii forma, inprimis quod ad *tres tribus* attinet, ex forma imperii Corinthii aliarumque civitatium. Wyttenbachius comparabat Gallo-Graecos, in duodecim Tetrarchias distributos.

Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert, in pristim desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Troiae, et campos salis aere secabant.
Iamque dies coelo concesserat, almaque curru
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum:
Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)

Iamque dies coelo concesserat. Heynius in Excursu I. ad librum XII. temporum rationem ita exponit: Aeneas superiore die, eodem illo, quo pugna ad castra Troianorum facta erat, exeunte, navibus conscensis, Agylla seu Caere solverat, totamque noctem iter mari acceleraverat: hoc est X. 147. *media Aeneas freta nocte secabat.* Noctu Nymphas, olim naves suas, sibi occurrere videt. Ab iis, quae gesta sint superiore die, accipit. Est ea, quam Heynius posuit, temporis ratio. Sed isti rationi hic versus obstat. Cogita, quid Virgilius dixerit: *Aeneas media freta nocte secabat. Pallas sinistro affixus lateri quaerit sidera opacae noctis iter.* His unquam subiungi potest *iamque dies coelo concesserat*, nisi illam noctem, quam supra descripsit, secutus sit dies, cuius diei finem nunc memoret. Et tamen est una eademque nox. Iam veteres difficultatem sensisse videntur. Servius annotavit: *non dicit diem intervenisse;* et ad vs. sequentem: *describit mediam noctem, et dicit finitum diem secundum Romanum ritum, qui a media nocte diem numerant, et noctem similiter a medio die.* Virgilium de tali temporis divisione non cogitavisse, cuivis apertum est. *Nox* et *dies* in cursu maritimo sunt *lux* et *tenebrae.* Fortasse pro DIES legendum DECVS. *Iamque decus coelo concesserat, almaque curru Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum.* Alma Phoebe iam *concesserat decus coelo.* Aeneas supra secabat freta nocte. Luna nondum fulgebat. Iter ad sidera dirigebant. Litora enim conspicere non poterant. Nunc Luna oriebatur, et per medium Olympum vecta, *decus*, *lumen*, *splendorem coelo concedebat*, *dabat*, *praebebat. Decus* est *splendor.* Virgilius lib. IX. vocat Dianam *astrorum decus*, quod Horatius dicit *micat inter ignes minores.* Idem Virgilius: *Iri, decus coeli.* Ovidius Metam. II. 381. *Squalidus interea genitor Phaethontis et expers Ipse sui decoris:* id est *suae lucis.* Nota sunt illa apud poetas: Luna *praebet* lumina coelo, *negat.* Cur non dicatur *concedit?*

Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
Occurrit comitum: Nymphae, quas alma Cybebe
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse
Iusserat, innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.
Agnoscunt longe regem, lustrantque choreis.
Quarum, quae fandi doctissima, Cymodocea
Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet, ac laeva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum alloquitur: Vigilasne, deum gens,
Aenea? vigila, et velis immitte rudentes.
Nos sumus, Idaeae sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphae, classis tua. Perfidus ut nos
Praecipites ferro Rutulus flammaque premebat:
Rupimus invitae tua vincula, teque per aequor

Chorus, ecce, suarum Occurrit comitum. Nymphas dici *comites* Aeneae, quia naves fuerant, et naves cum eo in Italiam venerant, meo quidem sensu ridiculum est. Malim *novarum comitum.* Ecce, mirae quaedam ei occurrunt facies, et comitantur, Nymphae, ex navibus factae. *Suus* et *novus* in MSS. saepe permutari iam vidimus.

Nos sumus, Idaeae sacro de vertice pinus. Recte sic e Codice Med. distinxit Wagnerus. Alii: *Nos sumus Idaeae* sq.

Perfidus. Schraderus volebat *fervidus.* Referunt *perfidus* ad violatum a Rutulis foedus, quod iam inter Troianos et Latinos esse factum. Sed *perfidus* etiam significat *scelestus*, *crudelis.*

Praecipites ferro. Malim *praecipiti.* Rutulus nos subito impetu ferro flammaque pressit.

Rupimus invitae tua vincula. Quod dicunt *tua classis*, non displicet: quod repetunt *tua* et cum *vincula* iungunt, reprehendo. Classis *regis* portum reliquit. Navitae funes navium *regiarum* solvunt: talia recte scribuntur. Sed quis unquam scribat: navitae *funes regios* solvunt? Ne dubita, quin Virgilius scripserit: *rupimus invitae retinacula.* Sic IV. 580. *strictoque ferit retinacula ferro.* Et alii *retinacula* pro *funibus* usurpant. In MSS. TVAVINCVLA vix differt ab RETINACVLA.

Quaerimus. Hanc Genetrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas, aevumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentis Marte Latinos.
Iam loca iussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas,
Ne castris iungant, certa est sententia Turno.
Surge age, et Aurora socios veniente vocari
Primus in arma iube, et clipeum cape, quem dedit ipse
Invictum ignipotens, *atque oras ambiit auro.*
Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutulae spectabit caedis acervos.
Dixerat: et dextra discedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim. Fugit illa per undas
Ocior et iaculo et ventos aequante sagitta.
Inde aliae celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades; animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera adspectans convexa precatur:
Alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi,
Turrigeraeque urbes, biiugique ad frena leones;
Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.
Tantum effatus. Et interea revoluta ruebat
Matura iam luce dies, noctemque fugarat:

Muro fossisque tenetur. Illud *tenetur* magis pertinet ad *tela et Latinos* quam ad *muro* et *fossis.*

Iam loca iussa tenet forti permixtus Etrusco Arcas eques. Servius: »Intelligimus Aenean equites misisse per terras." Sed etiam alia κατὰ τὸ σιωπώμενον cogitanda sunt, nempe equites Etruscos se cum Arcadibus coniunxisse. Equites Etrusci in proelio Arcadum non memorantur.

Atque oras ambiit auro. Heynio insititium videtur, et iam ante Heynium Ortvinio apud Burmannum. Wagnerus ad Aeneid. I. 678. *otiosum* putabat, hic et in Quaest. defendit.

Ruebat. Veniebat. Breviter illustravit Heinsius ad Valerium Fl. I. 670.

Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnaeque parent se.
Iamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsa in puppi: clipeum quum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidae e muris; *spes addita suscitat iras;*
Tela manu iaciunt. Quales sub nubibus atris
Strymoniae dant signa grues, atque aethera tranant
Cum sonitu, fugiuntque notos clamore secundo.

Signa sequantur. Exsequantur, quae per signa imperata fuerint. Sic Wagnerus interpretatur. Heynius: *ut ad signa conveniant.* Milites sequuntur signa illius, qui signa in hostes infert, qui praeit, impetum facit. Atque hoc retinendum in dicendi formula: *se, hostes aggredientem, sequerentur.*

Extulit. Valerius VI. 345. *ingentem Telamon procul extulit orbem.*

Spes addita suscitat iras. Cursus comparationis his interiectis ingrato modo abrumpitur. Comparatio est: *clamorem tollunt, qualis esse solet gruum.*

Tela manu iaciunt. Pugna inter Rutulos et Troianos in castello vespera prioris diei erat finita. Nunc dies advenerat. Rutuli nocte sat longo intervallo se removerant, ne telis obsessorum peti possent. Nondum, credo, oppugnationem repetiverant: certe non legimus. Si repetivissent, Virgilius verbo saltem dixisset. Erat necessarium, et narrationi gravitatem conciliasset. Sed Rutuli se parant, interea audiunt clamorem. Hoc mirum iis videbatur. Si Troiani in media pugna sustulissent, non adeo mirum videri poterat. Nam hoc saepe in pugna, v. c. ex insperata aliqua fortuna, accidebat, vel, ut se invicem ad virtutem et constantiam incitarent: ita Aen. IX. 664. *It clamor totis per propugnacula muris.* Quare *telis iaciendis* nunc non fuisse tempus arbitror.

Fugiuntque notos clamore secundo. Aves aquatiles suam in plagis septentrionalibus habent patriam. Tempore hiberno lacus ibi congelantur. Tum aves non habent, unde vivant. Ergo petunt plagas meridionales, fugiunt ventos boreales, non *notos*. Atque hoc veteres probe noverant. *Fugimus* aliquid necessitate coacti. Aves *fugiunt* boream, quia victum non invenire possunt: *meridiem* non adeo *fugiunt*, quia, si volunt, manere possunt, et nonnullae interdum manent. Pro NOTOS, parva mutatione, scribendum iudico ARCTOS. *Fugiuntque arctos clamore secundo.* Valerius III. 359. vocat avium *arctos patrias*. Virgilius

At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis; donec versas ad litora puppis

exprimere solet Homerum. Homerus in eadem comparatione dixerat: *χειμῶνα φύγον*. Hoc est *fugiunt arctos*, non *notos*. Inspice similia poetarum loca. Lucanus III. 199. *Deseritur Strymon, tepido committere Nilo Bistonias consuetus aves.* Idem V. 711. *Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt Poturae te, Nile, grues.* Idem VII. 132. *vos, quae Nilo mutare soletis Threicias hyemes.* Statius Theb. III. 526. *Sive hos Strymonia Boreas eiecit ab Arcto.* Idem XII. 515. *Cum patrio super alta grues aquilone fugatae — iuvat orbe sereno Contemsisse nives et frigora solvere Nilo.* Seneca Oedip. 604. *Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas Permutat hiemes ales, et coelum secans Tepente Nilo pensat Arctoas nives.* Claudianus in Bello Gildon. 474. corruptus est: *ceu — Ingenti clangore grues aestiva relinquunt Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo.* Interpretes tacent. Dicendum erat vel *Thracia hiberna*, vel *ceu — ingenti clamore grues aestiva relinquunt Cum Pharia, et tepido permutant Strymona Nilo;* hoc est: *cum Aegypto relicta Thraciam repetunt.* Repetunt *aestiva Thracia*, *hiberna Thracia* deserunt. Sed, dicat aliquis, eaedem aves, quae loca frigida hiberno tempore relinquunt, ea aestivo repetunt. Est ita. Et poetae hoc reditu in patriam in eadem comparatione utuntur. Valerius Flaccus III. 359. *qualiter Arctos Ad patrias avibus medio iam vere revectis Memphis et aprici statio silet annua Nili.* Statius Theb. V. 11. *Qualia trans pontum Phariis defensa serenis Rauca Paraetonio decedunt agmina Nilo, Cum fera ponit hyems* sq. Scholiasta annotavit: *laeti et alacres erant, ut redeuntes grues ex Aegypto in Thraciam quando fugiunt. Notum quod Aegyptus calorem aeris tempore auget aestatis.* Ubi scribe: *quando fugiunt notum, quod Aegyptus* sq. Respicit locum Virgilii *fugiuntque notos.* Quare igitur Virgilius eandem imaginem sequi non potuit? Iam dixi non esse verosimile propter imitationem Homeri, ex quo cum alia expresserit, etiam *χειμῶνα φύγον* expressisse videtur. Tum *fugiunt hyemem* magis naturae conveniens, quam *fugiunt notos*. Videbis omnes poetas in hac caussa ponere verba *fugere* et *fugare*. Ipse Virgilius VI. 311. in eadem re: *cum frigidus annus Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.* Denique *sub nubibus atris* etiam coelum imbribus contractum ostendit. Heynius eo argumento utitur, ut dicat, necesse esse, *notos* accipi pro ventis hibernis et pluvialibus.

Clamore secundo. Wakefieldus, qui pro *fugiunt* legendum putabat *cupiunt*, pro *clamore* volebat *clangore*.

Respiciunt, totumque allabi classibus aequor.
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes:
Non secus, ac liquida si quando nocte cometae

Et hoc mihi dudum in mentem venerat, cogitanti Homericum *κλαγγή* et *clangor* in similibus aliorum exemplis. Conf. Heinsius ad Claudianum Bello Gildon. 475. et Ovidius Metam. XII. 528. Ista vocabula in MSS. saepe permutantur.

Vastos umbo vomit aureus ignes. Macrobius et MSS. Med. et alia *aureus*. Recte iam Pierius animadvertit, poetas omnia libentes decorare. Conf. Burmannus ad Valerii Flacci VI. 27. Et aurum magis splendet quam aes.

Non secus, ac liquida si quando nocte cometae. Quatuor isti versus de cometis et Sirio aliquid a veterum opinione alienum habent. Cometae *una eademque nocte* non simul plures rubent. Inspice plurima illa poetarum et historicorum loca, quae congesserunt interpretes ad Virgilii Georg. I. 488. Tibulli II. v. 71. Lucani I. 524. Silii I. 461. Plinius H. N. V. 25. *Aristoteles tradit et simul plures cometas cerni, nemini compertum alteri, quod equidem sciam.* In Virgilio eandem noctem cogitandam esse, ostendit additum *si quando*. Tum Sirius *sitim et morbos fert*, coelum non contristat *laevo numine*. Hoc unice pertinet ad cometas, regnorum eversores et omnium calamitatum nuntios. Homerus quidem de Orionis cane, *κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται*. Sed *cometen* non addit. Denique ordo verborum ipsorum est turbatus, adeo ut interpretes de interpunctione constituenda non conveniant. Nihil reprehenderem, si totus locus ita esset scriptus: *Non secus ac liquida si quando nocte cometes Nascitur, et laevo contristat lumine coelum, Sanguineus, lugubre rubens: aut Sirius ardor, Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris.* Si cometes nascitur, aut Sirius nascitur, ille coelum infausto lumine contristat, sanguineus et lugubre rubens, hic nascitur, ferens sitim et morbos. Iam de utroque sidere dicitur, quod unicuique est proprium. Pro *laevo* Schraderus volebat *saevo lumine*. Contra Rupertus, ad Silii 464, pro *saeva luce* volebat *laeva*. Sed Virgilius illud *saevum* iam expressit in *sanguineus lugubre rubens*. In Silio autem *laevum* exprimitur in *terris extrema minatur*. Silii sunt: *Crine ut flammifero terret fera regna cometes, Sanguineum spargens ignem: vomit atra rubentes Fax coelo radios, ac saeva luce coruscum Scintillat sidus, terrisque extrema minatur.* Claudianus in Raptu Pros. I. 230. *augurium qualis laturus iniquum Praepes sanguineo delabitur igne cometes Prodigiale rubens.* In

Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor:
Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris
Nascitur, et laevo constristat lumine coelum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora praecipere, et venientis pellere terra.
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra.
In manibus Mars ipse, viri. Nunc coniugis esto
Quisque suae tectique memor; nunc magna referto
Facta, patrum laudes. Ultro occurramus ad undam,

annotatione Serviana Daniel. legitur *in Campestro*. Hemsterhusius de hoc scriptore indicavit Fulgent. Virgilian. Contin. pag. 742. et Spartian. pag. 408. Burmannus ex suis MSS. edidit corruptum *in Necepso*.

Litora praecipere. Alii *praeripere*. Perpetua in Codd. mutatio. Conf. interpretes ad Silii IV. 802.

Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro. Abest a Med. et aliis MSS. Heynius, sicuti et alii, et Wagnerus eiecerunt, male repetitum ex Aeneid. IX. 127.

In manibus Mars ipse, viri. Servius: *non iam in votis, sed manibus est res.* Putabam: *Habemus, quod dudum optavimus.* Datus est hostis, data pugna. Eventus, Mars ipse, secundus an adversus, est in manibus nostris, pendet a nostra virtute. Homerus Iliad. *II.* 630. ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου. Lucanus VII. 252. *In manibus vestris, quantus sit Caesar, habetis.* Ubi plura huiusmodi annotavit Cortius. Virgilium respicit Silius XII. 196. *Sta. Campus, et arma, Et Mars in manibus.* Diversae significationes facile ex una *in potestate habemus, manibus attingere et tractare possumus*, profluunt. Significatio ad mentem loquentium accommodanda est. Ita Sallustius B. Iug. 77. *cupere proelium in manibus facere:* cupere ut proelium, quod gerebatur *eminus*, fieret *cominus*. Et ibi est egregia Cortii annotatio; quamquam imprudens locum Lucani pro Virgiliano acceperit. Ut ego Virgilium sic interpretarer, fecit *ipse*, quod alioquin otiosum sine ulla vi hic ponitur. Optavistis proelium *in campo aperto*. Habetis. *Ipse eventus est in vestra virtute positus.* Eleganter *Mars ipse*, ut *dubio, ancipiti, secundo, adverso Marte* pugnatur. Quod non cogitantes nonnulli mutasse videntur *Mars ecce*, ut erat in Cod. Hamb. pro varia lect.

Magna referto Facta, patrum laudes. Quo modo cunque accipias *referto*, sive *cogitato*, sive *imitator*,

Dum trepidi, egressique labant vestigia prima.
Audentis Fortuna iuvat.
Haec ait, et secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
  Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu;
Per remos alii. Speculatus litora Tarchon,
Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda,

epexegesis *patrum laudes*, simile est additamento ad versum explendum facto. Latinum est *referto magna patrum facta*, vel *laudes patrum referto*, sequere. In quibusdam legitur *laudesque*. Quod iam paullo meliorem reddit sententiam. Fortasse in *laudes* aliquid vitium latet, nisi ex interpretatione *magna facta* sit profectum. Neminem fore arbitror, quin talem versum vulgato sit praelaturus: *nunc magna referto Facta patrum.*

Primas ultro occurramus ad undas. In nonnullis legitur *undas*. Quam Latinum hic sit *primas undas*, quivis intelligit. Qui exempla comparare amat, is videat Burmannum ad Valerii Fl. II. 464. Nonne Valerius ita, ut nos legi in Virgilio optabamus, legisse videtur, quum II. 637. scribebat: *Haemoniae qui tum nova signa carinae Ut videt, ipsa ultro primas procurrit ad undas.* Ardor occurrentium hostibus in eo etiam conspicitur, quod ad *primas undas* occurrunt; consilium, quia tum hostes sunt trepidi et iis vestigia labant *prima*. Illud *prima* cum gravitate redit: ad *primas* undas et *prima* hostium vestigia. Possis etiam: *Aeneadis*, quod prope ad *laudas* accedit. *Etrusci* recte vocantur *Aeneadae*, quia dux Aeneas erat praepositus, et illi Aeneae socii. Aeneia puppis erat prima, Aeneas suos, in quibus et Troianos, primos in terram exposuit.

Audentis Fortuna iuvat. In Cod. Leid. suppletur: *viresque ministrat.*

Multi servara recursus Languentis pelagi. Observabant illud momentum, quo fluctus, ab aestu illati, post primum impetum refluebant. Nam erat incipiens aestus, et mare etiam languens. Fluctus nimirum primo aestu in litus incurrunt. Sed quia vis aquae nondum sat magna ex alto impellit, fluctus recurrunt, at paullatim maiore animo revertuntur. Tales *recursus* illi observabant, et brevia saltu occupabant. Virgilius eandem maris faciem describit XI. 624.

Qua vada non spirant. In nonnullis *sperant* et *sperat*. Verum habeo *sperat*. Tarchon aliam litoris par-

Sed mare inoffensum crescenti allabitur aestu,
Advertit subito proras, sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;
Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso,
Arrepta tellure semel. Quae talia postquam
Effatus Tarchon: socii consurgere tonsis,
Spumantisque rates arvis inferre Latinis,
Donec rostra tenent siccum, et sedere carinae
Omnes innocuae. Sed non puppis tua, Tarchon.
Namque, inflicta vadis, dorso dum pendet iniquo,
Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat:
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis;
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra

tem speculabatur, ubi brevia non esse putabat, quod ex silentio undarum coniiciebat. *Vada* hic sunt ipsa loca minus profunda, ipsa brevia et arenarum dorsa. Ergo et puppis Tarchontis mox *vadis inflicta dorso iniquo pendet.*

Tollite. Ipsa navis vehementi remorum impulsu in prora tollitur et sublevatur. Sic propius terrae rostrum infigi poterat.

Dorso dum pendet iniquo. Hoc est *inaequali*, non *exitioso*. Quia dorsum erat *iniquum*, ideo navis *anceps* agitatur. Si non fuisset iniquum, navem deducere potuissent, ut fecerunt illi Aeneid. V. 205.

Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat. Omnino scribendum esse censeo: *Anceps, sustentata diu, fluctusque fatigans, Volvitur. Anceps* et *sustentata* diversa sunt. *Anceps*, modo in sinistram, modo in dextram partem movetur, dubia, utro cadat: *diu sustentatur*, quia motus iste est diuturnus et efficit ut *sustentetur*, et aequilibritatem aliquam servet. Pro *fatigat*, in tribus MSS. *fatigant*, corruptum, puto, ex *fatigans.* Pulchre *navis fatigat fluctus*, nunc dextro nunc sinistro latere verberat.

Solvitur. Ambigue. Nam et metus est, ne accipiatur pro navis, in dorso pendens, dorso solvitur ac liberatur. Tum navis tam cito frangi et *solvi* non poterat. Nam erat mare quiatum. Unda non remurmurabat, sed inoffensa allabebatur. Neque recte opponuntur *navis in utramque partem nutans* et *diu sustentata*, *tandem*

Impediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.
  Nec Turnum segnis retinet mora: sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, et contra in litore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestes
Aeneas, omen pugnae, stravitque Latinos,
Occiso Therone, virum qui maxumus ultro
Aenean petit: huic gladio perque aerea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum iam matre peremta,
Et tibi, Phoebe, sacrum, casus evadere ferri
Quod licuit parvo. Nec longe, Cissea durum,
Immanemque Gyan, sternentes agmina clava,
Deiecit leto: nihil illos Herculis arma,
Nec validae iuvere manus, genitorque Melampus,
Alcidae comes, usque gravis dum terra labores
Praebuit. Ecce Pharo, voces dum iactat inertis,
Intorquens iaculum clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon,
Dardania stratus dextra, securus amorum,
Qui iuvenum tibi semper erant, miserande, iaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies, septem numero, septenaque tela
Coniiciunt: partim galea clipeoque resultant
Irrita; deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Aeneas affatur Achaten:
Suggere tela mihi, non ullum dextera frustra

solvitur. Opposita sunt: navis *diu sustentata*, tandem *volvitur*, et viros exponit. *Volvitur* est *ἀνατρέπεται*, ut equus v. c. *volvitur* et equitem eiicil. Nam *volvitur* in latus, et transtra soluta fluitant. Remi iam erant fracti in dorso.

Aerea suta. Sic in melioribus MSS. legitur, et recte tuetur Heinsins. Alii *scuta*.

Torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium
Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et iacit. Illa volans clipei transverberat aera
Maeonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra: traiecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem;

Torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium. Graecos ferire potui, clipeos et thoracas traiicere, facilius igitur Rutulos. Saepe ita Latini et Graeci opponuntur. Aeneas dicebat: *res mihi non est cum Graecis.* Latini dicebant idem: *res tibi non erit cum Graecis.* Ille Graecos putabat fortiores, hi minus fortes. Caeterum illa respicit Silius IV. 190. *irrita nulli Spicula torquentur, statque omne in corpore ferrum.*

Traiecto missa lacerto Protinus hasta fugit. Locus difficillimus, qui, quod ad verba, ut nunc leguntur, vix aliter accipi potest, quam ut statuas hastam, quae pectus Maeonis ruperat, traiecisse lacertum Alcanoris. Quod, ut Heynius animadvertit, prodigio esset propius, unius hastae iactum tam validum fuisse, eademque opera thoracem et pectus Maeonis (adde *et clipeum*) traiecisse, et tergo egressum dextram Alcanoris perforasse. Sunt alia quae equidem non intelligo in tali vulnere. Maeon, vulneratus in pectore, ruebat pronus. Sic Alcanor eadem hasta peti non poterat, quae pectus Maeonis iam transiisset. Sed fac Maeonem ruisse supinum, Alcanor eum sustentare non potuit, prius quam vacillaret. Vacillavit autem non ante acceptum vulnus. Acceptum vulnus et perforatum pectus est res eiusdem momenti temporis. Haec igitur interpretatio non procedit. Videndum de alia. Heynius hanc veram putat: *alia hasta, ab Aenea emissa,* Alcanoris brachium transfigit, et traiecto eius lacerto ea fugit protinus, porro, ulterius pergit, servat tenorem, nec remittit quidquam de impetu, quem ex iactu viri fortis habebat. Sed etiam in hac interpretatione multa offendunt. *Hasta fugit,* non intelligitur fuisse *alia.* Ingratus est verborum ordo *traiecto missa lacerto,* pro *hasta missa, traiecto lacerto, protinus fugit.* Tum Alcanor fratrem *dextra* sustentaverat. Ratio et consuetudo, ipsius quoque Virgilii, postulat vulnus in eadem *dextra.* Dextram propter vulnus in lacerto pependisse debilem, non a vero abhorret: sed *moribundam nervis* pependisse, abhorret. Tale vulnus, credo, est ipsius *dextrae.* Fortasse Virgilius pro TRAIECTOMISSA scripsit

Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, iaculo fratris de corpore rapto,
Aenean petiit; sed non et figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatae.
Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus
Advenit, et rigida Dryopem ferit eminus hasta
Sub mentum, graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem animamque rapit, traiecto gutture; at ille
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.
Tris quoque Threicios Boreae de gente suprema,
Et tris, quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Accurrit Halaesus,
Auruncaeque manus; subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt

ADDVCTONOVAMISSA. *Adducto nova missa lacerto Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem.* Syllaba *tra* repeti potuit ex ultima vocabuli antecedentis *dextra*, et *nova* propter metrum omitti debuit. Aeneas, videns fratrem a fratre sustentari, protinus, continuo novam hastam misit adducto lacerto, magna vi. Hasta crudelis fugit, et tenorem servans, alium in media et densa Latinorum caterva non vulnerans, neque adeo intercepta, eo, quo mittitur, venit. Dextera Alcanoris statim moribunda nervis pependit. *Adducto lacerto* Virgilianum est. Aeneid. IX. 402. *Ocyus adducto torquens hastile lacerto.* Servius interpretationem meae haud dissimilem volabat, dicens: *hasta, quae fuerat missa, retroacta.* Fieri potest, ut legerit: *reiecto missa lacerto.* Nondum illud *reiecto lacerto* ita inveni positum, non memini certe. Usitatum est *reducto lacerto*, *reducta hasta.* Virgilius Aeneid. X. 552. XI. 605. Adde interpretes ad Ovid. Metam. XII. 132. ubi *reducto* in MSS. cum *reiecto* commutatur. Hoc constat, etiam Servium accepisse *lacertum Aeneae*, non Alcanoris.

Fratris de corpore rapto. Melius fortasse legeretur *de pectore.* Vocabula centies sunt permutata.

Sed non et figere contra Est licitum. Corrupta hic sunt varia MSS. *effigere*, et aliis modis. Silius XV. 399. *Sed non et talis Hiberis Armorum eventus campis.* Vide ibi interpretes.

Insignis Messapus equis. Mirum in Parrhas. *insanis.*

Nunc hi, nunc illi; certatur limine in ipso
Ausoniae. Magno discordes aethere venti
Proelia ceu tollunt animis et viribus aequis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare, cedit;
Anceps pugna diu; stant obnixa omnia contra.
Haud aliter Troianae acies aciesque Latinae
Concurrunt, haeret pede pes, densusque viro vir

At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Impulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestris,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci;
Aspera quis natura loci dimittere *quando*

Certatur limine in ipso Ausoniae. Locum in animo habebat Valerius Fl. VI. 352. *medioque in corpore pugna Conseritur; magno veluti cum turbine sese Ipsius Aeoliae frangunt in limine venti. Quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequatur Illa dies.*

At parte ex alia. Similem viam describit Silius III. 467.

Aspera quis natura loci dimittere quando Suasit equos. Oratio non procedit: Arcades pugnabant pedites, quibus quum natura loci suasit equos dimittere, eos dictis accendit. Sequi debuisset: *aut vincendum, aut moriendum. Nam equis dimissis, fugam frustra tentatis.* Et quid *unum* restabat? Restabant plura: poterat fugientes hasta intentata sistere et in hostes impellere, ut Romani duces saepe fecerunt: poterat se ipsum in hostes moriturum inferre, et suos pudore ad virtutem incendere. Itaque fecit vs. 397. *Arcadas accensos monitu et praeclara tuentes Facta viri, mistus dolor et pudor armat in hostes.* Verum puto: *Arcadas, insuetos acies inferre pedestres, (Aspera equos natura loci dimittere suasit) Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci, Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.* Locus iam tempore Statii interpolatus fuisse videtur. Non dissimili saltem hic formula utitur Thebaid. X. 590. *quodque unum rebus solamen in arctis, Nosse futura rogant.* Pro *dimittere*, in nonnullis male legitur *demittere.* Consuetudo et rei et vocabuli satis nota ex historicis. Tacitus Agric. 35. *dimisso equo pedes ante vexilla constitit.* Sallustius B. Catil. 59. et Caesar B. Gall. I. 25. *removere equos* dicunt. Locum Caesaris bene Oudendorp. ad Suetonii Caesar. 60. exposuit.

Suasit *equos; unum quod rebus restat egenis*,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,
Per ducis Euandri nomen, devictaque bella,

Per vos et fortia facta. Illud *et* hoc loco otiosum est. Sequi debebat *et ducis Euandri nomen*, ut volebat Heynius. *Per*, dicit Wagnerus, vice copulae fungitur. Fieri potest, si ubique *per* legeretur. Nunc incepit *et per*, continuavit *devictaque*, *spemque*. Cur omisisset copulam in *per ducis*, quum facile potuisset *Euandrique ducis nomen?* Melius credo: *Per vos ego fortia facta.* Illud *ego* in hac formula gravitatem affert. Plaut. Rud. III. II. 13. *Per ego te haec genua obtestor senex.* Menaechm. V. VII. 1. *Per ego vobis deos atque homines dico.* Terentius Andr. III. III. 6. *Per te ego deos oro.* Liv. XXIII. 9. *Per ego te, fili, quaecunque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque.* Virgilius non semel vim in isto pronomine posuit, ut XII. 56. *per has ego te lacrymas.* Ovid. X. Heroid. 73. *Per ego ipsa pericula iuro.* Statius Theb. VI. 171. *per ego haec primordia belli.* X. 694. *per ego oro tuosque Nate meosque annos.* Curtius V. 8. *Per ego vos decora maiorum, per illos viros*, sq. Alia mitto, quae invenientur apud illos, qui hunc obtestandi morem illustraverunt, indicatos a Ruperto ad Silium I. 658. Vim pronominis non vidi qui senserit, praeter Ruhnkenium in loco l. Terentii. Graeci quidem ἐγὼ plerumque omittunt. Vide exempla apud Valck. ad Eurip. Hippol. 606. Phoeniss. 1669. Brunck. ad Apoll. Rhod. III. 985. In Virgiliano *per vos ego* pronomen *vos* accusative ponitur. Minus recte Cortius ad Sallust. de B. Iug. 14. *nominativum* in hac formula admittit.

Per ducis Euandri nomen. Euander *rex*, non bene *dux* vocatur, multo minus, quia statim legimus: *Pallanta ducem.* Pro DVCIS scribe DECVS. *Per decus Euandri et nomen, devictaque bella.* Virgilius Aeneid. II. 89. *et nos aliquod nomenque decusque gessimus.* XII. 58. *decus imperiumque Latini Te penes.*

Devictaque bella. Bella, feliciter ab Euandro et Arcadibus, vestris maioribus, gesta. Heynius *devicta* novum putat. Sed iam Ennius dixit: *vicit Olympia*, ut Graeci νικᾷν ἀγῶνα, μάχην. Hoc quum olim nonnulli minus Latinum arbitrarentur, vere Latinum esse docuit Ruhnkenius ad Velleium Paterc. I. 8. Oudendorpius ad Appuleii Florida IV. 18. licet Burmanno concedens non esse scriptorum aurei aevi, laudavit tamen Virgilianum *devictaque bella.* Sunt ea, ut dixi, ab Euandro devicta. Ideo Pallas addit: *Spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi.*

Spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi,
Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hostis
Est via. Qua globus ille virum densissimus urguet:
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali urguemur ab hoste
Mortales; totidem nobis animaeque manusque.
Ecce, maris magna claudit nos obiice pontus;
Deest iam terra fugae: pelagus Troiamne petemus?

Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit. Epitheton *alta* est languidum. *Altus* dicitur *nobilis*, praecipue de antiquissimo et splendido genere. Vide Heinsium ad Ovid. Fast. IV. 305. Iterum *patria alta* invenitur XI. 797. ubi Heynius annotavit, esse epitheton ornans, et sufficere, si animo obversatur obscura notio magnae alicuius et praeclarae rei. Non amo obscuras huiusmodi notiones. Homericae simplicitati fortasse concedere possis, Virgilianae gravitati non adeo possis. Si *Roma*, *Pergama*, dicuntur *alta*, externam speciem cogitamus, eaque cogitatio coniunctam habet magnificentiam et opes. Sed *patria alta* non satis diserte appellatur, minusque recte dicitur *Pallanteum*, ubi res parvas habebat pauper Euander. Neque video quid *reposcit* significet. Optima ex multis interpretatio est: *ut inde victores hoste fugato redeatis.* Sed et ea interpretatio vix e vulgatis efficitur. Necdum quaestio est de reditu in patriam, sed de adventu in castellum Troianorum. Interea, dum alii meliorem coniecturam proponent, affero hanc: *Hac vos et Pallanta ducem Troia altera poscit.* Ipsa vocabula, si deleas literam P, nihil differunt TROIAALTERAPOSCIT et ATRIAALTAREPOSCIT. Errores nati ex frequentissima illa transpositione. Sententia autem hinc prodit plana et elegans: *Profecti sumus ut Troiam obsidione liberemus. Troiam petimus. Via ad Troiam non est alia nisi per globum istum. Hac via vos et ducem vestrum Troia poscit*, *vocat*, *hac nobis eo pergendum est.* Pallas vocat castellum *alteram Troiam.* Erat *altera*, et sic Aeneas precatur Apollinem III. 85. ut sibi det propriam domum, moenia, et mansuram urbem, servetque *altera Troiae Pergama.* Statius locum Virgilii respexit X. Theb. 845. *Hac*, *ait*, *in Thebas*, *hac me iubet ardua virtus Ire*, *Menoeceo qua lubrica sanguine turris.*

Deest iam terra fugae: pelagus Troiamne petemus? Et haec multa obscuritate laborant. Cerda dicit, si rem suo iure ageret, ademturum se esse hoc hemistichium. Idem memo-

Haec ait, et medius densos prorumpit in hostis.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dabat; hastamque receptat
Ossibus haerentem. Quem non super occupat Hisbo,
Ille quidem hoc sperans; nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis,
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit, et Rhoeti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae.
Vos etiam gemini, Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis gratusque parentibus error;

rat et hanc lectionem proferri: *Deest iam terra, fugae pelagus.* Burmannus se haec non intelligere fatetur. Schraderus coniicit: *pelago Lernamne petemus*, vel *Pallanteumne petemus?* Nihil melius novi, quam Wagneri: *alterutrum eligendum, aut pelagus, aut Troia est petenda.* Quomodo Arcades fuga ad mare compelli potuerint, quum venerint a parte contraria, hoc equidem non anxie quaerendum arbitror. Multa in talibus *κατὰ τὸ σιωπώμενον* cogitanda sunt: veluti hoc ipsum, quod X. 238. de adventu Arcadum memoratur. Aeneas sine dubio Arcadibus imperavit, ut non procul ab ostio Tiberis consisterent, ubi ipse sua copias expositurus esset. Sic Arcades se cum Aenea coniungere poterant. Igitur sinistram castrorum partem equis praetervecti sunt, et adventum Aeneae exspectavere. Mare Tyrrhenum a laeva habebant, Numicium magis a tergo. Turnus aciem opposuit Aeneae, dum Latini Arcadas repellunt. Postquam aliquamdiu pugnatum erat, Arcades se cum Aenea coniunxisse videntur. Proelium fit commune. Turnus non amplius contra solum Aenean stat. Aggreditur Pallantem. Halaesus, qui primum contra Aenean et Tyrrhenos rem gesserat, nunc etiam contra Arcadas gerit; quod frustra reprehendit Heindrichius ad vs. 417. *genitor celarat Halaesum.* Inspice tabellam geographicam ed. Wagnerian. Vol. III. pag. 415. et, quae disputavi, esse verosimillima intelliges.

Indiscreta suis gratusque parentibus error. Alii distinguunt post *suis.* Melius. Proles Daucia a suis,

At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis;
Te decisa suum, Laride, dextera quaerit,
Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu, et praeclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas biiugis fugientem Rhoetea praeter
Traiicit. Hoc spatium, tantumque morae fuit Ilo;
Ilo namque procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhoeteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren: curruque volutus
Caedit semianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut, optato ventis aestate coortis,
Dispersa immittit silvis incendia pastor;
Correptis subito mediis, extenditur una

affinibus et domesticis et amicis discerni non poterat, ipsi adeo parentes alterum pro altero saepe salutabant, *dulcisque erat iste error.* Et *suis* ante *parentibus* plane otiosum est. Magis Latinum *proles*, *gratus parentibus error.* Et sic Ambrosius accepit Oper. T. II. pag. 1124, qui de se et fratre simillimo dicit: *quam gratus parentibus error.* Imitatur quoque Quintilianus Declam. VIII. pag. 167. *Ille indiscretus ab utroque latere comitatus, ille gaudentium dulcis error oculorum.* Similia invenies apud interpretes ad Planti Menaechmos, ad Lucani III. 605. Valerii Flacci I. 368. et Silii II. 636.

Dolor et pudor armat in hostes. In Cod. Rom. *furor.* Verum *pudor.* Et agnovit Hegesippus de Excid Hieros. III. 9. *Pudor hos, illos armabat spes ultima.*

Hoc spatium, tantumque morae fuit Ilo. Spatium et *mora* probe discernenda sunt: *spatium* de loco, *mora* de tempore. Ilus eo spatio solum a morte abfuit, quod spatium Rhoeteus inter ipsum et Pallanta occupavit. Mors exigua hac mora fuit dilata, ut prius interficeretur Rhoeteus: mox ipse interfectus est. Pallas Rhoetea traiecit: hoc *morae* fuit Ilo, ne statim traiiceretur. Sed scribendum puto: *Hoc spatii tantum atque morae fuit Ilo.* Hoc spatium, hanc moram tantum Ilus habuit.

Dispersa immittit silvis incendia pastor. Variis locis simul incendit Flamma dispergitur, media corripit, fit una flamma. Et sic Wagnerus ac-

Horrida per latos acies Volcania campos;
Ille sedens victor flammas despectat ovantis:
Non aliter socium virtus coit omnis in unum,
Teque iuvat, Palla. Sed bellis acer Halaesus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque;
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
Elatam in iugulum; saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispersit cerebro permixta cruento.
Fata canens silvis genitor celarat Halaesum;
Ut senior leto canentia lumina solvit:

cepit, cui etiam assentior, coniicienti *stipulis* pro *silvis*. *Silvae* hic nimis ambignum, quia et *silvas*, proprie ita dictae, saepe ardent. Virgilius XII. 521. eandem comparationem elegantius extulit: *Ac velut immissi diversis partibus ignes Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro.*

Seque in sua colligit arma. Ambrosius Hexaem. VI. 4. *Echinus, si quid insidiarum praesenserit, spinis suis clauditur, atque in sua se arma colligit.* Hegesippus IV. 1. *Sese in arma colligens, consertis clypeis cum paucis imperterritus stetit.* Conf. Burmannus ad Quintil. Declam. pag. 48.

Fata canens silvis genitor celarat Halaesum. Sic edidit Heynius, dicens alterum *cavens*, quod erat in aliquot Pierianis, posse defendi, atque etiam praeferri. Ego longe praeferendum esse arbitror. Genitor filium in silvis celaverat, ab omni bello abstinuerat, ut ita mortem caveret, quam timebat, si filius ad bellum proficisceretur. Timebat, ut omnes fere parentes, inprimis senes, quod erat hic pater, et noverat ferocem filii animum. Sed quid iuvabat? Parcae Halaesum morti in bello destinaverant. Ergo pater frustra celaverat Halaesum. Ita XII. 517. Menoetes *frustra bella exosus*. Neque ex *fata canens* necessario efficitur, patrem fuisse vatem. Si *canens* sit Virgilii, interpretarer tamen *praedicens*, ut quivis pater filio nimis feroci et incanto mortem praedicit, si ad bellnm eat. Illud *canens* hic repeti potuit ex X. 192. *Dum canit et moestum Musa solatur amorem, Canentem molli pluma duxisse senectam.* Virgilius locum Homeri Iliad. B. 830. respexit quidem, sed non plane expressit. Et ibi Merops vates filios arma capere vetuit: sed illi non paruerunt, nam fata eos agebant.

Iniecere manum Parcae, telisque sacrarunt
Euandri. Quem sic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halaesi.
Haec arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus: dum texit Imaona Halaesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non caede viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem
Oppositum interimit, pugnae nodumque moramque.
Sternitur Arcadiae proles; sternuntur Etrusci;
Et vos, o Graiis imperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque et viribus aequis.
Extremi addensent acies; nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urguet,
Hinc contra Lausus, nec multum discrepat aetas,
Egregii forma; sed quis fortuna negarat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi;
Mox illos sua fata manent maiore sub hoste.
Interea soror alma monet succedere Lauso
Turnum; qui volucri curru medium secat agmen.

Telisque sacrarunt Euandri. Interpretantur *tela Euandri*, Pallantis hastam, quia a patre acceptam attulerat. Et sic paullo ante *ensis Euandrius* positum esse videtur. Virgilius hic scribere potuisset *telisque sacrarunt Arcadiis;* ut mox *Arcadio telo.*

Pugnae nodumque moramque. Nodum, qui pugnae solvendas commissuras morabatur. Seneca de Benefic. V. 12. *Quemadmodum quaedam in oblectamentum ac iocum sic alligantur, ut eorum solutio imperito difficilis sit: quae ille, qui implicuit, sine ullo negotio separat, quia commissuras eorum et moras novit.* Sic *nodus* Gordianus morabatur Alexandrum. Heynius hic cogitabat de *nodo arboris sub cuneo.*

Succedere Lauso. Alii *succurrere.* Sed Lausus non laborabat. Recte defendit Wagnerus.

Ut vidit socios: Tempus desistere pugnae;
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.
Haec ait; et socii cesserunt aequore iusso.
At, *Rutulum abscessu*, iuvenis *tum*, *iussa superba*
Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu;
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:

Cuperem ipse parens spectator adesset. Pallas mihi debetur. Eum interficiam, vel si pater Euander adstaret. Ante ora patris eum mactarem. Adeo letum non evadet. Et hoc bene vidit Servius, partim saltem. Non erat igitur, cur Heindrichius vellet *patrem Turni Daunum.* Wagnerus recte ostendit vs. 450. ubi Pallas ad hoc Turni dictum respondet: *sorti pater aequus utrique est.* Meus pater, sive vincam seu vincar, utrumque aequo animo feret. Et sic iam Servius.

Cesserunt aequore iusso. Doctius quam *iussi*, ut est in aliis. Bene tuentur Heynius et Wagnerus. Macrobius vocat *insolentius.* Volebat *doctius.* Ita Ovidius II. Fast. 388. *in loca iussa ferunt.* Valerius Flacc. I. 66. *qua iussos sic tandem quaerere Colchos Arte queat.* Quia Iason Colchos petebat non sponte, sed iussus.

Rutulum abscessu, iuvenis tum, iussa superba Miratus. Mira in Codd. varietas: *At iuvenis Rutulum accessu, tam iussa: dum iussa: tamen ipsa: ea iussa: dicta superba.* Tanta varietas in tali versu suspecta est. Heynius *tum*, paullo asperius dictum, iungit: *at tum iuvenis miratus iussa superba, discessu Rutulorum.* Wagnerus *abscessu* pro *quum abscessissent.* Ego ista sic esse scripta arbitror, ut glossam Grammatici in metrum coactam sapiant, non orationem castigati scriptoris. Glossa esse potuit: *Pallas abscessu Rutulorum videt Turnum et miratur. Abscessu Rutulum* est supervacuum. Iam dixit: *cesserunt aequore iusso:* itaque Turnus solus venire in conspectum Pallantis cogitatur. *Iussa* non erat quod Pallas miraretur. Certamen singulare saepe accidebat. Pallas hoc scire potuit ex patre.

Stupet in Turno. Valerius Flacc. I. 66. *stupet in ducibus.* Idem V. 376. *insolito stupuit duce:* ubi Heinsius volebat *in solo.* Idem restitue in Silio XIII. 800. *Inde viro stupet Aeacide, stupet Hectore magno.* Legendum *in saevo stupet Aeacide.* Forma versus Virgiliani Silio ante oculos versabatur: *Saevus ubi Aeacidae tela iacet Hector.*

Obitque truci procul omnia visu. Rutulos discedere, campum fieri vacuum, solum appropinquare Turnum

Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni. Sorti pater aequus utrique est.
Tolle minas. Fatus medium procedit in aequor.
Frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.
Desiluit Turnus biiugis; pedes apparat ire
Comminus. Utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in proelia taurum,
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
Ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum
Viribus imparibus, magnumque ita ad aethera fatur:
Per patris hospitium, et mensas, quas advena adisti,
Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis;
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides iuvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lacrimasque effundit inanes.
Tum Genitor natum dictis affatur amicis:
Stat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus

Meditantem in proelia taurum. Sic habent optima MSS. In aliis *meditantem proelia.* Heinsius exemplis confirmavit, eandemque formulam attigit ad Ovidii Heroid. III. 136.

Cernat. In Cod. Medic. scriptum erat *cerant*, transpositis literis, ut mox vs. 464. *mangum* pro *magnum*. Ex eo *cerant* ortum deinde *cernant*. Wagnerus *cernat* recte defendit.

Morientia lumina Turni. Malim equidem *morientis*. Esset gravius. Mors Turnum doceat ferre victorem.

Corde premit gemitum, lacrimasque effundit inanes. Heynius hemistichium tollere volebat. Heindrichius recte defendit; nisi lacrimae dolorem Herculis prodidissent, Iupiter eum solatio indigere nescisset. Fortasse et defendi potest ex dicto Cremutii Cordi apud Senecam Suasor. pag. 45. *Praecipue tamen solvit pectora omnium in lacrimas gemitusque.* Ubi scribendum: *pectora et ora omnium.*

Stat sua cuique dies. Valerius Fl. V. 12. *dies simul et suus admonet omnes.* Vide Burmannum. Sed aperta est imitatio eiusdem VI. 624. *Hei mihi, si durae natum subducere*

Omnibus est vitae: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Troiae sub moenibus altis
Tot gnati cecidere deum; quin occidit una
Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum reiicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem deripit ensem.
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque, viam clipei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro praefixum robur acuto
In Pallanta diu librans iacit, atque ita fatur:
Adspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga, tot aeris
Cum pellis totiens obeat circumdata tauri,
Vibranti medium cuspis transverberat ictu,
Loricaeque moras et pectus perforat ingens.

sorti Molior, atque meis ausim considere regnis! Frater adhuc Amyci moeret nece: cunctaque divum Turba fremunt, quorum nati cecidere cadentque. Quin habeat sua quemque dies. Ubi scribe: *natum subducere regnis; Frater adhuc Amyci moerens nece, cunctaque divum Turba frement, quorum* sq.

Vaginaque cava fulgentem deripit ensem. Heynius versum, tamquam suspectum, asteriscis notaverat, quia ensis nondum poterat esse usus. Weichertus defendit, quia viri fortis est hasta emissa stringere gladium ad pugnam cominus ineundam, si et sua et adversarii hasta incassum esset emissa. Sed cui bono Pallas stricto gladio hastam Turni exspectaret? Statim in Turnum irruere debuerat, et gladio contra eum uti. Sic factum est Aeneid. X. 653. *Loricam impedit hasta — Tum caput deturbat.* X. 788. *Tum pius Aeneas hastam iacit: — Ocyus ensem Eripit a femore et trepidanti fervidus instat.*

Cum pellis totiens obeat circumdata tauri. *Cum* hic fere significat *quamvis.* Alii Codd. *quem*, quod Marklandus praeferebat.

Loricaeque moras. Valerius VI. 97. *quos crudi mora corticis armat.* Ubi

Ille rapit calidum frustra de volnere telum;
Una eademque via sanguis animusque sequuntur.
Corruit in volnus; sonitum super arma dedere;
Et terram hostilem moriens petit ore cruento. .
Quem Turnus super adsistens:
Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte
Euandro: Qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
Largior. Haud illi stabunt Aeneia parvo
Hospitia. Et laevo pressit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens immania pondera baltei,
Impressumque nefas: una sub nocte iugali

plura interpretes. Virgilius ita saepe loquitur, et homines quoque vocat *moram belli*. Vetus poeta apud Quintilianum Instit. VIII. 6. *ferro an fato virtus Argivum occidit*. Ubi quum in Codice Almelov. inveniatur *moor*, scribi potest *mora*, quod de Hectore optime diceretur, qui bellum in decimum annum distulit. Et hinc facile fieri potest trochaieum.

Quem Turnus super adsistens. Codd. supplent *sic ore profatur:* idque in nonnullis editionibus expressum est. Alii addunt *cum voce superba.*

Euandro: Qualem meruit, Pallanta remitto. Alii iungunt *Euandro remitto.* Illud melius. *Referte* alioquin universe dictum foret. Et ea res unice pertinebat ad Euandrum. *Remitto illi* Pallantem, non vivum, sed mortuum, qualem sibi Pallantem remitti meruit propter hospitia et amicitiam Aeneae et auxilium ei praestitum. Latinum est: remitto patri filium, *qualem pater* (remitti) meruit: remitto *filium*, *qualis filius* (remitti) meruit.

Haud illi stabunt Aeneia parvo Hospitia. Ira Turni cum morte Pallantis finita est. Ergo addit, postquam dixerat *Euander mortem filii meritus est*, hoc tamen Euander habebit solamen, ut filium sepelire possit. Quomodo nunc recte sequitur *Aeneia hospitia haud illi stabunt parvo?* Si *haud parvo* starent, filium canibus et avibus praedam relinquere debuisset. Sic hospitia etiam pluris stetissent, quem morte Pallantis. Oratio Turni est sarcasmus. Scribendum arbitror: *Haud illi stabunt Aeneia tanti Hospitia.* Tanti, ut filius etiam honore sepulturae privetur. Minore poena luet amicitiam Aeneae, sola nati morte.

Impressumque nefas: una sub nocte iugali. Desidero nomen historicum, quod et rem paullo accuratius designet, et ipsi orationi gravitatem

Caesa manus iuvenum foede, thalamique cruenti;
Quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futurae,
Et servare modum, rebus sublata secundis!
Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum
Intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrimisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti!
Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert,
Cum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos!

conciliet. Quantum differunt VNA et DANAI? Nemo negabit longe elegantius fore: *Impressumque nefas Danai: sub nocte iugali Caesa manus iuvenum.* Et *una* otiosum est. Sufficit *nocte iugali caesa manus.* Satis apparet, iuvenes non diversis noctibus fuisse caesos.

Nescia mens hominum fati sortisque futurae. Auctor Hymni in Cererem, 256. *Νήϊδες ἄνθρωποι καὶ ἀφράδμονες, οὔτ' ἀγαθοῖο Αἶσαν ἐπερχομένου προγνώμεναι, οὔτε κακοῖο.* Ubi vide Ruhnkenium.

Et servare modum, rebus sublata secundis. Ad urbem Capuam transtulit Silius VIII. 544. *heu rebus servare serenis Inconsulta modum, et pravo peritura tumore!* Idem X. 378. Magoni, suadenti ut Hannibal post pugnam Cannensem statim Romam pergeret, Hannibal: *Vulnera et exhaustas saevo certamine vires, Ac nimium laetis excusat fidere rebus.* Ubi, credo, scribendum est: *Nec nimium.* Hannibal se hoc non facturum dicit, et, ut se excuset, has caussas affert, *quod vires exhaustae, neque fortuna* secunda nimis fidendum esset.

Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum. Silius haec saepe imitatur, imitantur alii poetae. Loca ostendit Rupertus ad V. 601. *seroque emtum volet impia Roma, Non violasse mei corpus mucrone Sychaei.* Claudianus de Raptu Pros. III. 194. *adspectus miserae non ferre parentis Emtum morte velit.*

O dolor atque decus magnum rediture parenti. Silius XIII. 383. *Fortuna abstulerat Scipiadas magnumque decus magnumque dolorem.*

Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert. Ovidius Fast. II. 235. *Una dies Fabios ad bellum miserat omnes, Ad bellum missos perdidit una dies.*

Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Aeneae, tenui discrimine leti
Esse suos: tempus, versis succurrere Teucris.
Proxima quaeque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro; te, Turne, superbum
Caede nova quaerens. Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis; mensae, quas advena primas
Tunc adiit, dextraeque datae. Sulmone creatos

Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor. *Fama* et *nuntius* seu *auctor* sunt opposita. *Fama* vulgo prior venit, sed multa veris falsa addit. Aeneas sine dubio antea per famam et rumores militum cognoverat, rem alibi minus prospere geri: nunc etiam cognoscit per auctorem certum, missum a duce aliquo, ut auxilio veniret. Scribe: *Nec iam fama mali tantum, sed certior auctor Advolat Aeneae.* Valerius III. 622. *Nec dum fama viri, nec certior exstitit auctor.* Ubi vide Burmannum. Statius Theb. IX. 39. famae ille nolebat credere: *Sed postquam haud dubio clades auctore reperta est.* Ammianus Marcellin. XVIII. pag. 129. *Cum haec primo rumores, deinde nuntii certi perferrent.*

Proxima quaeque metit gladio, latumque per agmen. Valde mihi displicet *agmen* sic solum poni. Pro LATVMQVE malim RVTVLVMQVE.

Ardens limitem agit ferro. Quid *ferro* aliud est, quam, quod statim praecedit, *gladio?* *Metit gladio et agit ferro*, nimis tautologum videtur. Legimus quidem vs. 545. *ense sinistram et clipeum ferro deiecit.* Sed etiam illa puto esse aliter interpretanda. Si scribas *ardens limitem agit latum*, quod *latum* librarius hinc ad superiorem versum transferre potuit, habebis aliquid Virgilio dignius, quam quod nunc legitur: *Proxima quaeque metit gladio, Rutulumque per agmen Ardens limitem agit latum.* Agmen *Rutulum*, pro *Rutulorum*. *Latum* non libens desideraverim, et propter ipsam notionem, et imitationes Silii, iam indicatas ab interpretibus ad IV. 461. *latusque repente Apparet campo limes, metit agmina tectus Coelesti clipeo.* Statius Theb. IX. 182. *ingens limes utrimque datus.*

Mensae, quas advena primas Tunc adiit. Heynius vere iudicat *tunc* nihil esse nisi fulcrum metri. Wagnerus putat ita tempus accuratius definiri. Satis, credo, definitur per *advena* et *primas*. Suspicor *quas* suo loco motum esse, et ad initium sequentis versus retrahendum, atque hic aliquid excidisse, v. c. *Mensae*

Quatuor hic iuvenes; totidem, quos educat Ufens,
Viventis rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam contenderat hastam:
Ille astu subit; at tremebunda supervolat hasta;
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios Manis, per spes surgentis Iuli
Te precor, hanc animam serves natoque patrique.
Est domus alta; iacent penitus defossa talenta
Caelati argenti; sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrum
Vertitur; aut anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat. Aeneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quae multa talenta,
Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior *iam tum Pallante peremto.*

novus advena primas Quas adiit. Novus ita usurpatur. Ovidius Metam. XIII. 904. *alti novus incola ponti.* Claudian. Laud. Herc. 6. *tuam non nunc novus advena turbam Ingredior.* Sic *novus hospes*, et alia. Quod ad sententiam, ea similis est in Silio VIII. 136. *convivia mente reduxit Festasque adventu mensas.*

Inferias quos immolet umbris. Heynius Virgilium excusat, neque ei metuendum fuisse dicit, ne immane facinus lectori displiceret. Nam aetate Aeneae non impium habebatur. Sed bella Romanorum civilia non unum huius crudelitatis exemplum praebuerunt. Ipse Augustus, ut scribit Sueton. 15, dicitur *trecentos ex deditiis electos ad aram D. Iulio exstructam hostiarum more mactavisse.*

Hanc animam serves natoque patrique. Habebat Mago patrem et filium, ut Aeneas brevi ante habuerat patrem, et nunc etiam habebat filium. Ideo obtestatur per patrios Manis et Iulum.

Gnatis parce tuis. Proli tuae. Haec et unus esse potest filius, et plures filii et filiae. Conf. et Ruhnken. ad Terent. pag. 82.

Iam tum Pallante peremto. Turpe Grammatici additamentum. Res ipsa melius et cum gravitate omittitur. Nemo non sentit, quid Aeneas cogitet. Et *iam tum* indicat tempus diu praeteritum. Turnus autem ante quartam horae partem, ut ex rerum cursu

Hoc patris Anchisae Manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus galeam laeva tenet, atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus applicat ensem.
Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veste atque insignibus armis:
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbra tegit; arma Serestus

conficitur, occidit Pallantem. Hoc Latine dici non potest: *iam tum commercia sustulit*, *quum Pallantem interemit.*

Hoc patris Anchisae Manes, *hoc sentit Iulus.* Pro *sentit* elegantius iudico *sancit*. Turnus redemtionem sustulit, exemplum et legem non parcendi constituit. Anchises et Iulus, per quos me obtestatus es, hanc legem sanciunt. Ergo moriere. De verbo *sancire*, quod in MSS. cum *sentire* permutatur, vide Heins. ad Ovid. Heroid. VI. 154. Glossa Placidi apud Maium: *sancit*, *confirmat.* Placidus ille saepe Virgilium nominat, saepe vocabula explicat, quae ex Virgilio esse sumta apparet.

Lapsumque superstans. Variae lectiones hic feruntur *lassumque*, *lapsuque*. Errores. Stare super *lapsum*, iacentem, deiectum, victori proprium est. Conf. Burmannum ad Valerii Fl. IV. 312. et interpretes ad Phaedri II. 1. *Stabat super iuvencum deiectum leo.*

Ingentique umbra tegit; arma Serestus Lecta refert humeris. Vulgo accipiebant *de morte*, ut Homericum σκότος ὄσσ' ἐκάλυψεν. Heynius iungit *superstansque ingenti umbra tegit*, se inclinans, ut spolia legat. Wagnerus: *facit ut umbra eum tegat*, *qua umbra nulla est magis perpetua.* Epitheton *ingens* de perpetua nocte seu morte, non usurpatum inveni, ut neque *umbra*. Aeneas *ingenti umbra* tegit lapsum Haemonidem, significat, *Aeneas ingens corpore*, superstans, lapsum tegit, ne corpus spolietur. Sic Pacuvius apud Charisium: *Vidi tegentem clipeo classem Doricam.* Ovidius Metam. XIII. 75. *Opposui molem clipei*, *texique iacentem.* Valerius Fl. VI. 346. *Extulit orbem*, *Exanimem te*, *Canthe*, *tegens.* Virgilius Georg. II. 489. *me — ingenti ramorum protegat umbra.* Sed ea *tegendi* significatio ab hoc loco est aliena. Scribendum arbitror, parva mutatione in una tantum litera et signo distinctionis: *lapsumque superstans Immolat*, *ingentique umbra legit arma; Serestus lecta refert humeris*, *tibi*, *rex Gradive*, *tropaeum.* Arma Haemonidis erant insignia, ideo Aeneas mortuo eripuit, erepta dedit Seresto, ut esset tropaeum Marti. Arma erant *ingenti*

Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropaeum.
Instaurant acies Volcani stirpe creatus
Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clipei ferro deiecerat orbem; —

umbra, quae ingentem umbram faciebant, ipsa ingentia. Ideo Serestus humeris tollit. Virgilius expressit Homeri δολιχόσκιον. Similia poetarum loca haec sunt. Ovidius X. Metam. 110. *Ingens cervus erat; lateque patentibus altas Ipse suo capiti praebebat cornibus umbras.* Valer. II. 518. *Illa simul molem horrificam scopulosaque terga Promovet, ingentique umbra subit.* III. 199. *ingentem Corythi notat Eurytos umbram.* V. 156. *ingentem umbram alitis.* VI. 235. *ingentem campis hostilibus umbram Fert abies.* VIII. 33. *ingenti circumdata praepetis umbra.* Statius Theb. IV. 137. *equus umbra immane volanti Implet agros.* VIII. 677. *ales olori Imminet et magna trepidum circumligat umbra.* XII. 730. *quercum Marathonida Theseus Extulit, erectae cuius crudelis in hostes Umbra cadit.* Seneca Herc. Fur. 826. ubi Cerberus *sub Herculea caput Abscondit umbra.* Silius III. 409. *dux Sidonius Ibat ovans longaque umbram tellure trahebat.* Ubi dubito an interpres intellexerit, reddens *densam pulveris nubem excitat.* Aeneas autem, qui Haemonidem occiderat, etiam *legit arma; lecta* tradit Seresto. *Legebant* arma ipsi victores, non alii, ut in vulgata lectione facit Serestus. Iam pulchre *lecta* sequitur antecedens *legit. Lecta* bene Servius exponit: *Spolia, quae aptantur tropaeis*, legi *dicuntur.* An recte in Scholio addatur *id est eligi*, dubito. Fuisse iam olim qui *lecta* acceperint pro *splendida*, apparet ex Donato ad Terentii Phorm. I. II. 3.

Et totum clipei ferro deiecerat orbem. Heynius: »Absciderat Anxuris manum cum clipeo, quem tenebat; etsi sic parum placet *Et totum clipei orbem*: cum sit sinistram et totum clipeum deiecerat." Wagnerus: »*Totum* adiicit, qui significetur, ipsum iam hominem totum ad vulnera accipienda apertum fuisse." Sed Anxur, amissa sinistra satis iam erat vulneratus, quam ut Aeneas in eo conficiendo tempus perderet; neque poterat, nam Tarquitus ei obviam occurrit. Nec mihi placet *orbis totus clipei*, ubi solum *clipei* nomen sufficit. Ferrem in comparatione alicuius rei cum clipeo, v. c. oculus Polyphemi erat similis *orbi clipei.* Et *clipeum deiecerat* prius est, quam *sinistram.* Ubi *sinistra deiicitur*, dictu fere ridiculum est, *et clipeus deiicitur.* Neque Virgilium puto scripturum fuis-

Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, coeloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos; —
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
Silvicolae Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta
Loricam clipeique ingens onus impedit hasta.
Tum caput orantis nequidquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terrae; truncumque tepentem
Provolvens, super haec inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, iace. Non te optima mater

se: Anxuris sinistram deiecit *ense*, clipeum deiecit *ferro*, quum *ensis* et *ferrum* omnino idem sint. Conieci: *Et totum clipei ferro deiecerat Orsem. Orses* est nomen proprium, quod etiam legitur X. 747. Virgilius interdum eadem nomina repetit, eaque diversis nationibus tribuit. Deiecit *totum Orsem*, quantus erat, ita ut toto corpore in terram resupinus caderet. Deiecit autem *ferro clipei*, id est, *umbone*, cuspide ferreo, qui ex medio clipeo eminebat: umbone igitur Orsem *resupinavit*, ut Livius dixit IV. 19. Dignum vano homine vulnus, qui facili negotio repellebatur. Aeneas eum contemnebat, et sic vulneratum prostravit et occidit. Si per umbonem aliquis poterat vulnerari, ut poterat, poterat etiam occidi, praecipue si umbo ab heroe, qualis erat Aeneas, impelleretur. Hostis, victu facillimus, umbone vincitur. Hinc ineptus aliquis finxit *bella umbone propellere*, quod reprehendit Quintil. Inst. Orat. VIII. 5. Alia exempla notata sunt ab interpretibus ad l. l. Livii, ad Suetonii Caesar. 68. et Curtii III. 10.

Dixerat ille aliquid magnum. Superbum aliquod *dictum, dicterium*, sententiam, verbum, proverbium. *Dicere* illustravit Heinsius ad Ovid. Fast. III. 195.

Coeloque animum fortasse ferebat. Ac *fortasse*, quod ex dicto magnifico coniiceres, felicem se et supra sortem humanam esse putabat. Plutarchus de Exsilio p. 603. A. servavit Tragici poetae: *Θυμός δέ ποθ' ἁμὸς οὐρανῷ κυρῶν ἄνω.*

Obvius ardenti sese obtulit. Nescio cur Heinsius velit *sese tulit.* Domitius Afer apud Quintil. Instit. IX. 2. *vos obvios casus obtulit.* Dixi alio loco plura de praepositione in adiectivo et verbo posita. Habet colorem antiquae simplicitatis.

Condet humo, patrioque onerabit membra sepulcro:
Alitibus linquere feris; aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti volnera lambent.
Protenus Antaeum et Lucam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri,
Qui fuit Ausonidum, et tacitis regnavit Amyclis.
Aegaeon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Iovis cum fulmina contra

Patrioque onerabit membra sepulcro. Supra dixit patrem Tarquiti fuisse Faunum silvicolam, hoc est deum. Deus non habebat sepulcrum. Neque sepulcrum patrium, cum praesertim nomen patris praecedat, accipi potest de sepulcro *in patria.* Et erat Tarquitus in patria sua. Iam veteres hic aliam difficultatem invenerunt; et putarunt, Faunum tunc, quum natus erat Tarquitus, *nondum fuisse deum*, vel *patrium* dici de sepulcro *avi materni.* Sabinus legebat *Dauno.* Wagnerus hoc ad errorem ipsius Virgilii refert. Si Virgilius ita scripsit, his peccavit. Sepulcrum *patrium* iam exstat. Qui primus in sepulcro componitur, is recte dicitur *sepulcro onerari*, quia terra et lapides super eum congeruntur. Alios, qui postea primo sepulto adduntur, non tam recte *onerari* dicas, quia onus iam congestum est, nec maius terrae pondus adiicitur. Praeterea *membra onerare sepulcro* non dicitur de grato mortuis honore, sed odioso et tristi. Mater filium non *onerat* sepulcro, sed *ornat.* De ea significatione *onerandi* seu *premendi* nonnulla diximus in Bibl. Crit. Nova Vol. II. pag. 217. et *ornabit* hic commendat Wackerus Amoen. Liter. pag. 20. Equidem verum puto: *non te optima mater Condet humo, Parioque ornabit membra sepulcro. Ornabit* erat in uno MS. et centies cum *onerabit* permutatur. Optime conveniunt *ornare Pario sepulcro*, id est structo ex marmore *Pario*, ut *columnae Pariae*, et similia. Cum Aeneas dicere vellet sepulcro splendidissimo, recte dixit *Pario.* Tale marmor ei, Troiano, esse notum poterat. In urbe Troiae regnabat luxus. Et quum *Paron* praetervehebatur, sciebat esse insulam marmore nobilem; nam appellavit *niveam*, Aeneid. III. 126. Valerius quidem Flaccus *marmor Parium* iam ad tempora Argonautarum retulit, libro V. 188.

Alitibus linquere feris. Memorabilis est coniectura Heindrichii *ferisque.*

Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret ensis:
Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphaei
Quadriiuges in equos adversaque pectora tendit.
Atque illi, longe gradientem et dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Interea biiugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos: strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Aeneas tanto fervore furentes:
Irruit, adversaque ingens apparuit hasta.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, nec currus cernis Achilli,
Aut Phrygiae campos: nunc belli finis et aevi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri; sed non et Troius heros
Dicta parat contra; *iaculum nam torquet in hostem.*

Tot paribus. Interpretantur *tot pari numero, quinquaginta.* Fortasse inest notio illius, qui se parem Iovi putabat, ferebat. Nisi legendum sit: *Tot pariter streperet clipeis*, id est tot *simul* clipeis. Lactantius ad Statii Theb. II. 595. sic laudat: *Iovis cum fulmina contra me habeat.* Sed ea corrupta sunt.

Cui Liger. In MS. *Cui Liger ait.* Unde alii fecere *cui tum Liger ait.* In aliis omnia haec exciderunt.

Nunc belli finis et aevi His dabitur terris. In D'Orvill. *telis.* Melius puto. Mors tua et belli finis simul his telis efficietur. Si addas *dabitur his terris finis aevi*, non satis finitum est *aevum Aeneae. Terra* et *tela* saepe confunduntur. Vide Burmannum ad Valerii Fl. VI. 31.

Dicta parat contra; iaculum nam torquet in hostem. Servius: *potest legi: edicta parat contra.* Ubi cum Wagnero scribendum: *potest legi et: dicta parat contra.* Sed cum Heynio ita accipiendum, ut fuerint, qui *contra* non cum *parat*, sed cum sequentibus iungerent. Esset fere idem ac si legeremus: *Aeneas non parat dicta. Contra. Nam iaculum torquet.* Postrema ego dudum suspecta habui. Wagnerum idem sentire laetor; hic etiam *contra*

Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit biiugos; proiecto dum pede laevo
Aptat se pugnae: subit oras hasta per imas
Fulgentis clipei, tum laevum perforat inguen;
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Aeneas dictis affatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanae vertere ex hostibus umbrae;
Ipse rotis saliens iuga deseris. Haec ita fatus
Arripuit biiugos. Frater tendebat inertis
Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuere parentes,

eiecit, quod ego servandum putavi. Wagneri argumenta haec sunt: Vulgatis nihil inveniri potest ieiunius; Glossae saepe a *nam* incipiunt; oratio ita existit fortior, quia nunc eventus statim ante oculos ponitur; Virgilius scripsisset: *Dicta parans contra, iaculum contorquet in hostem.* Non alia ego habebam argumenta, nisi, esse hoc hemistichium, qualia Grammatici libentes supplebant, et notandam lectionum varietatem, *iam*, *contorquet*, *hostes.*

Proiecto dum pede laevo Aptat se pugnae. Wagnerus doceri velit, cur *laevum* ille pedem, non, quod exspectes, *dextrum* pedem proiecerit. Apud veteres, credo, ut hodie apud nos, saepe is status requirebatur, ut pes *sinister* esset proiiciendus in faciendo impetu vel in se defendendo. Ita corpori maior aequilibritas et manui dextrae vis conciliatur. Ipsa natura satis ostendit, uter pes in diverso motu porrectus vim manuum adiuvet. Interdum aliquis *dextro pede* promisso vacillare potest, *sinistro* stat firmior, *εὖ διαβὰς* et *ἐν προβολῇ.* Triarii Romani considebant, ut Livius dicit VIII. 8. *sinistro crure porrecto.* Qui pugnantes pedem retrahunt, retrahunt saepe *sinistrum*, ut apud Euripidem Phoeniss. 1419. *Λαιὸν μὲν εἰς τοὔπισθεν ἀναφέρει πόδα.* Ubi Valkenarius alterum ex Theocrito dedit exemplum Eidyll. XXII. 197. *ὑπεξαναβὰς ποδὶ Κάστωρ σκαιῷ.* Sic Turnus supra 495. cadaver Pallantis *laevo pressit pede*, ut firmius staret, *rapturus immania baltei pondera.*

Prodidit. Hoc est evertit. Vocabulum praeclare illustravit Heinsius ad Ovidium Fast. IV. 715.

Curru delapsus eodem. In quibusdam hic versus additur: *Tendebatque tales illi de pectore voces.*

Vir Troiane, sine hanc animam, et miserere precantis.
Pluribus oranti Aeneas: haud talia dudum
Dicta dabas. Morere, et fratrem ne desere frater.
Tum, latebras animae, pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt, et castra relinquunt
Ascanius puer et nequidquam obsessa iuventus.
Iunonem interea compellat Iupiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima coniunx,
Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Troianas sustentat opes; non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli.
Cui Iuno submissa: Quid, o pulcerrime coniunx,
Sollicitas aegram, et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quae quondam fuerat, quamque esse decebat,

Tum, latebras animae, pectus mucrone recludit. Sive *latebras*, sive *pectus* pro appositione habeas, neutrum hic eleganter positum est. Etiam nunc mihi arridet coniectura Iacobi ad Aetnam Lucilii 139. *Latebras animae penitus mucrone recludit.* Diceres ita legisse Statium Theb. I. 614. *imas animae mucrone corusco Scrutatus latebras.* Imitatur et Paullinus in Vita Martini 6. *Et latebros tanti sceleris mucrone resolvit.*

Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit) Troianas sustentat opes; non vivida bello Dextra viris. Iupiter supra in concilio deorum omnem interventum vetuerat. Fata viam invenirent. Et in omni hac pugna nullum numen adesse cernimus. Quomodo nunc Iupiter potest dicere *Venus sustentat Troianos?* Quomodo *non vivida bello virtus?* Imo, quod etiam Heynius animadvertit, virtus Aeneae pugnam restituerat. Omnino scribendum arbitror: *Non, ut rere, Venus (tua te sententia fallit) Troianas sustentat opes: sed vivida bello Dextra viris* sq. Iuno videbat fortunam Troianorum, et tacite accusabat Venerem, quasi ea clam Troianos adiuvaret. *Non Venus*, dicit Iupiter, hoc facit, sed Troianorum ipsorum summa fortitudo. Cui Iuno: *Cur meum dolorem tali sermone excitas? Video Troianorum fortunam, et aegre fero.* Utinam modo servare possem Turnum. Hoc mihi in hac calamitate solatio esset.

Vis in amore foret: non hoc mihi namque negares,
Omnipotens, quin et pugnae subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine poenas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen,
Pilumnusque illi quartus pater; et tua larga
Saepe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex aetherii breviter sic fatur Olympi:
Si mora praesentis leti tempusque caduco
Oratur iuveni, meque hoc ita ponere sentis:
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum: spes pascis inanis.
Et Iuno allacrimans: Quid, si, quae voce gravaris,

Non hoc mihi namque negares. Haec ita malim distinguere: *Si mihi, quae quondam fuerat, quamque esse decebat, Vis in amore foret — non hoc mihi namque negares.* Video, inquit Iuno, nihil Aeneae resistere potest. Brevi Turnum quoque occidet. Si me amares, ut quondam, in eo amore solatium invenirem. Nam mihi non hoc negares, quin Turnum servarem. Deest in oratione apodosis. Ita Graeci post *εἰ μὲν* apodosin omittunt: quamquam post *εἰ μὲν* saepe sequitur *εἰ δὲ μή*. Iahnius etiam de apodosi hic non reddita cogitavit, eamque ita supplet: *si foret, non hic rerum status esset.* Latinum *si*, ut eadem particula in aliis linguis, quando pro *utinam* ponitur, proprie tamen nihil aliud significat, quam illud conditionale, et semper apodosis ex sententia est supplenda. Quod interdum additur o *si*, hoc propriam significationem non mutat. *O* tantum est interiectio exclamationis, et vim auget. Virgil. VI. 187. *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat nemore in tanto!* Ubi omittitur *quam felix essem!*

Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine poenas. Nunc video ei esse pereundum. Sua eum pietas non servabit. Pium est, arma sumere pro sponsa, quam Aeneas vi parentibus et ipsi eripere conatur.

Ille tamen nostra deducit origine nomen. Quamquam genua te deducat. Iovi parcit, dicens *nostra*. Si dixisset *tua*, tacitum esset crimen adulterii.

Quid, si, quae voce gravaris, Mente dares. Hoc mihi concede ani-

Mente dares, atque haec Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
Haec ubi dicta dedit, coelo se protenus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras;
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.
Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Aeneae (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis; clipeumque iubasque

mo et cogitatione, re vera, quod verbis concedere non audes vel non vis. *Mens* et *vox* opponuntur, ut *res* et *verbum*. Sic Aen. XI. 795. *Phoebus succedere partem Mente dedit.*

Atque haec Turno rata vita maneret? In Cod. Rom. *data*. Praeferam. Iupiter dixerat: Turnum eripe instantibus fatis; plura tibi promittere non possum. Iuno ex verbis istis coniiciebat Turnum manere brevi mortem, quam nunc evadebat. Cur mihi, inquit, non spondes hanc vitam, quam Turno nunc dedisti, mansuram? Vereor ne eam cito perditurus sit.

Misit, agens hiemen nimbo succincta per auras. Longe elegantius foret: *Misit agens, hieme et nimbo succincta, per auras.* Illud *misit agens*, explicavi ad Aeneid. I. 191. Imitationem Valerii II. 115. iam Cerda ostendit: *Cum dea se piceo per sudum turbida nimbo Praecipitat. Nimbo piceo turbida* refert illud *hieme et nimbo succincta.* Si ponas simplex *nimbo*, esse poterat ambiguum, accipiendumne sit de *splendore*, ut annotavit Servius, quamquam addit ambiguum tolli propter *agens hiemem.* Caeterum post hunc versum in MS. Moret. legebatur: *Ordine flammarum et late discriminat agros*, ex Aeneid. XI. 144.

Tum dea nube cava. Si in MS. aliquo bonae notae legeretur *tum de nube cava*, hoc nonnulli fortasse praeferrent. Illud *dea* quidem, sic positum, habet gravitatem, et est sane Virgiliani moris. Sed non peius est *fecit umbram de nube*, eamque in faciem, totum Aeneae habitum, ornavit: *de nube*, nam in nube, hieme et nimbo succincta venit.

Dardaniis ornat telis. In uno MS. *armat*, quod magis convenit cum *telis*, illud certe minus durum facit. Nam paullo durius pro *armis* esse positum, vere Heynius animadvertit. Idque tacite probavit Oudend. ad Appul. Metam. III. pag. 233. ubi locum memoriter affert: *umbram in Aeneae faciem Dardanus ornat armis.*

Divini assimulat capitis; *dat inania verba;*
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis:
Morte obita quales fama est volitare figuras,
Aut quae sopitos deludunt somnia sensus.
At primas laeta ante acies exsultat imago,
Irritatque virum telis, et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Coniicit; illa dato vertit vestigia tergo.
Tum vero Aenean aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quo fugis, Aenea? thalamos ne desere pactos;
Hac dabitur dextra tellus quaesita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem; nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, et ponte parato;
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Aeneae fugientis imago

Dat inania verba. Supplementum, ut videtur. Alii suppleverant *inania membra*, ut erat in Cod. Gud. Heyuius *inania verba* statim iuterpretari ait *sine mente sonum.* Sed *verba* et *sonus sine mente* sunt contraria. Singula verba habent mentem, aliquid significant. Sonus autem *sine mente* nihil significat. Itaque *umbra* verbum nullum protulit, sed Turnum voce, id est *sono* lacessit, nou *verbo.* Si umbra protulisset *verba inania*, quae nec sententiam nec significationem haberent, stulta adeo et iuepta, Turnus fraudem deprehendisset. Nam Aeneas talia verba nou loqui solebat.

Animo spem turbidus hausit inanem. Rupertus ad Silium XII. 407. coniicit *turgidus.* Et Servius explicat: *tumens, elatus arrogantia.* Sed animus etiam nimia spe *turbatur.* Notum est illud Boethii: *Gaudia pelle. Spemque fugato. Nubila mens est, Haec ubi regnant.*

Hac dabitur dextra tellus. Habebis tellurem, sed pro sepulcro. Atque ita Servium accepisse apparet, qui laudat XII. 359. *En agros, et, quam bello, Troiane, petisti Hesperiam metire iacens.*

Sua gaudia. Id, quod unice cupiebat, summum votum, mortem Aeneae.

Coniicit in latebras: nec Turnus segnior instat:
Exsuperatque moras, et pontis transilit altos.
Vix proram attigerat: rumpit Saturnia funem,
Avolsamque rapit revoluta per aequora navem.
Tum levis haud ultra latebras iam quaerit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atrae.
Illum autem Aeneas absentem in proelia poscit;
Obvia multa virum demittit corpora morti:
Cum Turnum medio interea fert aequore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis,
Et duplicis cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton me crimine dignum
Duxisti, et talis voluisti expendere poenas?

Coniicit in latebras. In locum navigii obscurum, ut lateret.

Tum levis haud ultra latebras iam quaerit imago. Hic et sequens versus vulgo legebantur post *Illum autem — Obvia multa.* Brunckius iam transposuit, idque postea MSS. Paris. confirmatum est. Wagnerus praeterea melius interpunxit, vel sic tamen omnia a Virgilio non satis perpolita arbitratur. Nec sunt perpolita. Oratio non recte procedit. *Imago se immiscuit nubi. Illum autem absentem poscit Aeneas, cum turbo fert Turnum in medio aequore.* Negligentiae poetae non tribuerim, sed potius librariis, quos hic turbasse iam constat ex MSS.

Illum autem Aeneas absentem in proelia poscit. Duobus versibus eiectis, nihil est, quod quemquam moretur. Perfecta est oratio. *Autem* saepe indicium est glossae. Deest copula inter *poscit* et *demittit.* Agnoscimus denique centones Virgilianos, ut VIII. 614. *Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.* Altero nihil frequentius, ut *multos Danaum demittimus Orco.* Et Heynius putabat haec aliena, aut a Marone ad marginem appicta, necdum reliquo carmini accommodata.

Cum Turnum medio interea fert aequore turbo. Nunc mutanda est interpunctio in hunc modum. *Cum Turnus interea in medio aequore fertur, respicit ad litus, nesciens quid hoc esset, quod viderat; sed intelligebat esse fraudem numinis alicuius, non intelligebat ad suam ipsius salutem se deceptum.*

Tanton. Explicavit Wagnerus ad Aen. VI. 780.

Quo feror? unde abii? quae me fuga, quemve reducit?
Laurentisne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virum, qui me meaque arma secuti?
Quosne (nefas) omnis infanda in morte reliqui?
Et nunc palantis video, gemitumque cadentum
Accipio. Quid ago? aut quae iam satis ima dehiscat
Terra mihi? vos o potius miserescite, venti,
In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, *saevisque vadis immittite Syrtis*,

Quae me fuga, quemve reducit? Wagnerus plenum esse ait, quod superiores Editores non viderant: *quem reducit ex acie*. Putabam esse: *ex qua fuga* quis reducor, qualis redeo? Quam turpiter reliqui pugnam, quam turpiter revertor.

Quosne (nefas) omnis infanda in morte reliqui? Alia MSS. *quosve*. Wagnerus edidit *quosne*, quam formulam explicavit eandem, de qua dixi nonnulla ad Aen. IV. 536. Hic quidem huic formulae non est locus. Nam oratio talis esset: *Quid manus illa virum, qui me secuti sunt? An eos, quos reliqui?* Quae oratio non expedita procedit. Sententia est: *Quid illa manus virorum, qui me secuti sunt, et quos reliqui, et quos nunc video palantes*. Quare omnino scribendum puto: *Quosque (nefas) omnis infanda in morte reliqui*. Quid manus illa scilicet *dicet*, ut XII. 40. *Quid consanguinei Rutuli, quid caetera dicet Italia?*

Et nunc palantis video. Livius XXV. 6. *Clamorem pugnantium crepitumque armorum exaudimus resides ipsi ac segnes*.

Vos o potius miserescite, venti. *Potius*, quia nulla terra satis ima inveniri potest.

Saevisque vadis immittite Syrtis. Dura semper constructio: *mittite me in Syrtis saevis vadis*, *immittite saevis vadis in Syrtis*, *o Syrtis immittite me vadis*. Verba castigatus scriptor ita non proiicit. Heynius interpretatur: mittite *in Syrtes*, ubi vada exitiosa sunt. Gesnerus ad Claudian. de IV. Cons. Honorii 437. *excitate motus illos*, quibus mutantur brevia, pericula creantur navigantibus. Omnino insititium arbitror. Optabat, quia terra non satis ampla dehiscere poterat, miseram vitam in rupe aliqua trahere, quo eum ne fama quidem sequeretur. Mirum ni Grammaticus finxerit ex I. 111. *In brevia et Syrtis urguet, miserabile visu, Illiditque vadis atque aggere cingit arenae*.

Quo neque me Rutuli, nec conscia fama sequatur.
Haec memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc;
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, et crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an iaciat mediis, et litora nando
Curva petat, Teucrumque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxima Iuno
Continuit; iuvenemque animo miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque aestuque secundo:
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
  At Iovis interea monitis Mezentius ardens

Quo neque me Rutuli, nec conscia fama sequatur. Ineptum est optare nt, si quis in aquis submersns pereat, ne ipsum homines et fama sequantur. Optamus locum ab omni hominum commercio ita seiunctum, quo ne fama quidem penetret. Talis locus est *saxum et rupes in mari ignoto.* In tali fortuna nomen *famae* frequeus positnm invenio. Et est tragicum aliquid, iam in vetere poeta inventum. Cicero ad Attic. XV. 2. *dubitavi nunc eo minus evolare hinc, ubi nec Pelopidarum facta neque famam audiam:* de quo Manntius ad Cicerou. Epist. ad Diversos VII. 28. quae Ruhnkenina in Epist. Crit. II. pag. 217. cum Apollonii Rhodii III. 680. comparat: *ἀλλ' ἐπὶ γαίης Πείρασι ναιετάειν, ἵνα μηδέ περ οὔνομα Κόλχων.* Livius XXI. 10. *Devehendum in ultimas maris terrarumque oras, ablegandumque eo, unde nec ad nos nomen famaque eius accedere possit.* Silius X. 424. *Quis sese occulerent terris, quo nomina nulla Poenorum, aut patriae penetraret fama relictae.* Hinc tales regiones dicnntur *incognitae famae*, et *quo fama non pervenit.* Livius XLII. 52. *incognitum famae aperuerint armis orbem terrarum.* Claudianus Epithal. Palladii 62. *quae sic impervia famae Secessit regio, quo non rumore secundo Palladii penetravit amor?* Orosius III. 20. *Ut inde peregrinam toto mundo cerneres legntionem, quo vix crederes pervenisse rumorem.* Atque hinc, etiam nunc, explicandnm indico illnd Taciti Agric. 30. *Nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit. Defendit famae*, pro *a fama.* Minns recte vulgo inngunt *sinus famae.* Et huc pertinet, quod Suidas ex antiquo poeta laudavit in voce *Φήμη. Φήμη τὸν ἐσθλὸν κἀν μυχοῖς δεικνῦσι γῆς.*

Animo miserata. Bene edidit Wagnerus pro *animi.*

Succedit pugnae, Teucrosque invadit ovantis.
Concurrunt Tyrrhenae acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes, vastum quae prodit in aequor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert *coelique marisque*,
Ipsa immota manens; prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem:
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam: poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso
Donat habere humeris, et vertice figere cristas.
Nec non Euanthen Phrygium, Paridisque Mimanta
Aequalem comitemque: una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, et face praegnans

Ille, velut rupes, vastum quae prodit in aequor. Ille non habet verbum, a quo pendeat. Heynius cogitaverat *ille manet*. Sed hoc statim ipse reiicit. Ergo mutavit distinctionem, ut ordinemus *ille prolem sternit humi*. Wagnerus existimat Virgilium uti singulari comparationis forma, et ex sequentibus repetendum esse *ille immotus manet*. Ego glossatorem haec corrupisse iudico. Nam non video, cur Virgilius unico hoc loco ea comparationis forma usurus fuisset, quae nec Latina est, nec sanae cuiusvis linguae rationi convenit. Facilitas, qua paucis deletis, optimam orationem efficimus, fraudem, ni fallor, satis verosimilem reddit.

Vim cunctam atque minas perfert coelique marisque. Quanto concinnius: Ille vim cunctam et minas instantium perfert, velut rupes, quae prodit in aequor, obvia ventorum furiis et exposita ponto.

Ipsa immota manens: prolem Dolichaonis Hebrum. Non eleganter iterum participium *manens*: cum iam praecesserint *obvia* et *exposta*. Recte autem *Hebrum Dolichaonis*, scilicet *prolem*.

Sed Latagum — Occupat os. Hanc loquendi formulam sic esse accipiendam puto, quasi scriptum esset: *occupat Latagum, os faciemque*. Occupat Latagum, hoc est, *os faciemque illius*. Ipsum verbum explicat Burmannus ad Petron. cap. 80.

In lucem genitori Amyco dedit, et face praegnans. Bentleius corrigit *genitore*. Et hoc aptius ad *in*

Cisseis regina Parim: Paris urbe paterna
Occubat; ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, silva

lucem edidit, ut *genitori* esset aptius ad *creat*. Sic in Silio IV. 356. *quos Ledaeo Sidonia Barce Xanthippo felix uteri inter bella creavit*. Pro *et* Heinsius coniecerat *ut*, tum dicit Virgilium tamen saepe *et* pro *ut* ponere. Et est aliquid insoliti in his verbis: *Theano una nocte dedit Mimantem et Cisseis Parim*. Facilius est Homericum ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο. Sed Virgilius hoc voluit: *una atque eadem nocte Theano peperit Mimantem ac Cisseis Paridem*.

Cisseis regina Parim: Paris urbe paterna. In omnibus MSS. legebatur *Parim creat: urbe paterna*. Wagnerus edidit locum a Bentleio emendatum. Atque ita Potterius in sex Parisinis inveniri scribit. In Mediceo scriptum *crepat*, quod iam propius ad *Paris* accedit. Sed ne sic quidem haec esse sanata arbitror. *Cisseis* est filia Cissei, ἡ Κισσέως. Sed *Cisseis regina* nusquam coniunctum legi. Si Hecuba dicitur *regina*, hoc dicitur tamquam uxor Priami. Praeterea in vulgatis est ridicula et amara ambiguitas. Theano peperit *ex Amyco genitore* Mimanta, eadem nocte Hecuba *peperit Paridem*. Quum genitor Paridis non nominetur, Amycus videri potest genitor Paridis esse, Priamus haberi. Pro REGINA scribe PRIAMO. *Cisseis Priamo Paridem. Paris urbe paterna occubat.*

Ignarum Laurens habet ora Mimanta. Quoniam Virgilius nusquam alibi *ignaro* passivam significationem tribuit, Wagnerus coniicit: *Cisseis regina Parim creat: urbe paterna Occubat hic, Clarium Laurens habet ora Mimanta*. Non hic est locus de adiectivis disputandi, quae vulgo duplicem significationem habere dicuntur: hoc tamen dicendum, multa exempla, in *ignarus* v. e., quae pro passiva significatione afferuntur, habere activam. Laurens ora habet Mimanta *orae illius ignarum*, ut ignari sumus regionis peregrinae. Moritur in regione, quam ignorabat, ignota adeo, ut Paris in nota regione, patria.

Defendit, multosque palus Laurentia, silva Pastus arundinea. Servius *pastus* per antiptosin accipit pro *pastum*. Bentleius legit *pascit* vel *pavit*. Cuninghamus *pastum in arundinea*. Heynius iungit *velut aper pastus substitit*, eamque horridiorem iuncturam carmini epico putat afferre severitatem. Equidem hanc constructionem non tolerandam esse iudico; omnino alia sunt, quae severitatem carmini conciliant, quam talis

Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci propiusque accedere virtus;
Sed iaculis tutisque procul clamoribus instant:
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnis,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas.

negligentia. Haereo quoque in *Laurentia*. Forma adiectivi linguae adversatur. Adiectivum est *Laurens*, urbs *Laurentum*, a *Laurentis* etiam derivatur *Laurentinus*, ut a *Tarentum Tarentinus*. Virgilius saepius quam vicies posuit *Laurens*, nusquam *Laurentius*: et nemo eo usus est. Scribendum puto: *Defendit*, *Laurensque palus uligine et ulva Pavit arundinea*. Haec habent planam sententiam, nec, si literarum formas in MSS. cogites, multum a vulgatis discedunt. Horatius hunc locum novisse videtur Serm. II. IV. 42. *Nam Laurens* (aper) *malus est*, *ulvis et arundine pinguis*. *Ulva arundinea* idem est atque *ulvis et arundine*. Virgilius addidit *uligine*, quia saepe est in huiusmodi paludibus naturalis humor terrae, et apri hac *uligine* multum delectantur, eaque valde ad pinguedinem facit. Schol. Cruq. ad l. l. Horatii annotavit: »Ulva est herba palustris. Sic Maro: *pastus siliquis et arundine longa*." Alius locus, quo respicere potuit Scholiasta, quam hic, in Virgilio non est. Quod nonnulli suspicati sunt, ut Faber ad Senecae Suasor. pag. 28, nos non integra Virgilii opera accepisse, hoc non verosimile videtur. Ergo Scholiasta in Virgilio pro versu, quem emendavi, aliud in suo libro vidit, quam quod nunc legimus. Atque id ipsum fuisse arbitror, ut restituendum putavi. Vide enim, quam verba Scholiastae *pastus siliquis et arundine longa* similia sint verbis *pastus uligine et arundinea ulva*. *Ulva* quin legerit, dubitari non potest. Librarii hic brevi intervallo multa turbaverunt, quod etiam animadvertit Bentleius ad Horatii Epod. V. 28. In eadem hac comparatione versus *Ille autem impavidus* — *Dentibus infrendens* alieno loco positi erant, adeo ut, cura recentiorum interpretum transpositi, bonam demum sententiam praebuerint. Nam ad Mezentium referri non possunt.

Tergo decutit hastas. Aper *decutit*. Lucanus VI. 210. in re simili *discutit*. ubi tamen et alii praeferunt *decutit*. *Discutit* maiorem telorum copiam indicat, et maiorem quatientis vim. Si Virgilius hoc de Mezentio dixisset, non *tergo*, sed *ferro* scripsisset, ut Statius Theb. II. 290. *ferroque micantia tela Decutit*. Augustinus de Civit. Dei XIV. 24. *animalibus quibusdam naturaliter insitum est*, *ut tegmen*, *quo corpus*

Haud aliter, iustae quibus est Mezentius irae,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Graius homo; infectos linquens profugus hymenaeos:
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactae coniugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans;
Suadet enim vesana fames; si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum,
Gaudet, hians immane, comasque arrexit, et haeret
Visceribus super incumbens; lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram

omne vestitur, si quid in quocunque loco eius senserint abigendum, ibi tantum moveant, ubi sentirent, nec solum insidentes muscas, verum etiam haerentes hastas cutis tremore discutiant.

Miscentem longe media agmina vidit. In Goth. *socia*, quod Heynio valde arridebat. Sed maior virtus Corythi apparet, miscentis *media agmina*, quam simpliciter *socia*. Atque illud *socia* repetitum videtur ex Aeneid. II. 371. *socia agmina credens.*

Impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans. Scribendum puto: *Impastus ceu saepe leo stabula alta pererrans.* Sic Georg. II. 279. *Ut saepe ingenti bello quum longa cohortis Explicuit legio. Ceu saepe peragrans* hoc loco nimis ambiguum est. *Stabula* dicuntur *nemora*, in quibus armenta pascuntur. Virgilius IX. 388. *tum rex stabula alta Latinus habebat.* Valerius Fl. II. 548. *Taurus, ubi assueti pecoris stabula alta revisit, Et patrium nemus et bello quos ultus amores.* Dubito, an Burmannus ibi recte ceperit, quum dicat *stabula* appellari *alta*, quia plerumque sunt in montibus et collibus. Imo, propter arbores *alta* sunt. *Stabulum* proprie dicitur locus ubi statur, ubi quis manet, praecipue pecus, Graece σταθμός. Heynius *stabula* hic accipiebat de *aedificio*, quem iam Wagnerus refutavit.

Comasque arrexit. In Valerio Flacco II. 213. legendum est *arrectisque comis*, pro *arrectasque comas.*

Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec iacta caecum dare cuspide volnus:
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abiectum posito pede nixus et hasta:
Pars belli haud temnenda, viri, iacet altus Orodes.
Conclamant socii laetum paeana secuti.
Ille autem exspirans: Non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longum laetabere; te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere. Ast de me divom pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.

Tum super abiectum. Abiectus idem quod *deiectus* in terram. Valer. Flacc. IV. 654. *Corripit abiecti remumque locumque Phaleri:* quem ipse Iason de loco, in quo sedebat, deiecerat.

Conclamant socii laetum paeana secuti. Heynius monet, iungi oportere *conclamant secuti*, non *secuti paeana*. Heinsius malebat *laetum paeane*, ut *laetum* sit pro adverbio. Mihi verum videtur *laeto paeane secuti.* Hoc est Virgilianum. IX. 54. *Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur Horrisono.* IX. 636. *Teucri clamore sequuntur Laetitiaque fremunt.* Quamquam ea non esse Virgilii indicaverim, sunt tamen satis antiqua. Iterum X. 799. *socii magno clamore sequuntur.*

Victor, nec longum laetabere. Melius, ni fallor: *Non longum victor laetabere.* Vulgata non procedunt: *non laetabere me inulto, nec longum laetabere.* Haec non esse possunt diversa. Nam simul atque aliquis mortem Orodis ulcisceretur, Mezentius iam victoria non laetabatur. Sunt haec eadem: *non longum laetabere victor me inulto. Non* cum vi repetitur.

Ast de me divom pater atque hominum rex Viderit. Heinsius ad Ovidium Fast. II. 782. Epist. Pont. I. II. 9. et Gronovius ad Senec. de Provid. 3. hanc formulam explicaverunt.

Eduxit corpore telum. Quo facto vulneratus, amisso sanguine, statim exspiravit. Nepos Epaminonda 9. *quum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim*

Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen;
Partheniumque Rapo et praedurum viribus Orsen;
Messapus Cloniumque Lycaoniumque Ericeten;
Illum infrenis equi lapsu tellure iacentem,
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae
Deiicit; at Thronium Salius, Saliumque Nealces,
Insignis iaculo et longe fallente sagitta.
Iam gravis aequabat luctus et mutua Mavors

emissurum. Valerius Maximus de eodem III. II. 5. *hastam educi iussit.* Ubi male in plurimis MSS. *deduci.* Hinc explicandus Lucanus VI. 231. *Collatura meae nil sunt iam vulnera morti: Non eget ingestis, sed volsis pectore telis.*

Sacrator Hydaspen. Mirum uomen *Sacrator.* Exspectaveram *Sarclator*, a sarculando, ut sit rusticum Latini nomen, veluti *Caedicus*, a caedendo, *Rapo* a rapis, olere rustico. Discrimen quantitatis in nomine proprio saepe toleratur.

Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis. Valerius Flaccus VI. 553. *Argus utrumque ab equis ingenti porrigit arvo Et Zacorum et Phalcen, peditem pedes haurit Amastrum.* Quamquam Valerius locum Virgilii accepisse videtur, ita ut nunc iste locus distinguitur, ego tamen distinguendum indico: *Hunc peditem: pedes et Lycius processerat Agis.* Nulla est caussa cur Messapus peditem occidisse dicatur *pedes*, nisi *equitem* interfecisset *eques*, et ex equis vel curru desiluisset. Nunc *pedes* ita dicitur, quasi Messapus pedes pugnaret. Sed *Messapus equum domitor* in hoc proelio vs. 353. *subit insignis equis*, et equitatui praeest lib. XI. 464. *Rutulos equites Messapus in armis Et cum fratre Coras latis diffundite campis.* Tum *pedes* et *eques* addi solet ad casus eorum, qui interficiuntur, distinguendos. Sic Statius Theb. VIII. 448. *Iphis equos, pedes Argus, Abas auriga iacebant.* Verba, ut nunc leguntur, habent et hoc ingratum, quod *et Lycius* ita vix habent quo referantur. Iunge *pedes et Lycius*, melior prodit sententia. Lycius Agis etiam pedes contra Messapum processerat, ut processerat Ericetes. Agin tamen, non Messapus, sed Valerus occidit.

Funera; caedebant pariter pariterque ruebant
Victores victique; neque his fuga nota, neque illis.
Di Iovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores;
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno;
Pallida Tisiphone media inter millia saevit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo. Quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut, summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Aeneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat;
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastae:

Caedebant pariter pariterque ruebant. Servius: »Legitur et *cedebant* id est *terga vertebant*: secundum quod *ruebant*, *insequebantur* significat." Est quidem ille mos equestris proelii, quem Virgilius descripsit Aen. XI. 629. *Bis Thusci Rutulos egere ad moenia versos, Bis reiecti armis respectant terga tegentes.* Sed iste proeliandi mos nunc obtinere non potuit, quia Virgilius addidit: *neque his fuga nota neque illis.* Ergo *ruebant* est *cadebant*. Atque ita accepit Silius XVI. 71. *hinc tantum caedentum atque inde ruentum.* Haud scio, cur Virgilius non potius scripserit: *caedebant pariter pariterque cadebant.* Esset hoc species quaedam alliterationis. Sic Ammianus Marcellinus XXXI. pag. 486. *magno utriusque partis pugnabatur exitio. Caedebant cadebantque nostrorum non pauci.*

Pallida Tisiphone media inter millia saevit. Heynius hunc versum ad caetera non bene esse accommodatum recte vidit. Nequs intelligo, quis hic locus sit Furiae Tisiphonae. Iuno et Venus spectant. Iupiter omnem deorum interventum vetaverat. Fortasse Grammaticus finxit ex Aeneidos VIII. 700. *saevit medio in certamine Mavors — tristesque ex aethere Dirae.*

Dextra, mihi deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint; voveo praedonis corpore raptis

Dextra, mihi deus, et telum, quod missile libro, Nunc adsint. De hasta et gladio, honore divino cultis, et interpretes ad hunc locum, et ad Valerii Flacci II. 512. Silii V. 118. Heraldus ad Arnob. pag. 196. et Ruhnkenius in Epist. Critica II. pag. 195. multa annotaverunt. Homines singulos et totas nationes bellicosas armis suis tantum tribuisse, ut ipsis numinibus non plus tribuerint, nemo mirabitur. Sed interpretes isti fecere, quod saepe factum est. Multa scriptorum loca non satis distinxerunt, neque sententiam accurate consideraruut. Duo exempla ex Virgilio laudare solent. In Aeneidos XII. 95. Turnus alloquitur hastam: *Nunc o nunquam frustrata vocatus Hasta meos, nunc tempus adest — da sternere corpus.* Turnus vehementi ira correptus, et certamen singulare cum Aenea initurus postero die, equos iam vespera antecedente et arma inspicit, et hastam quassat. In hasta praecipuum ponebat pugnae praesidium. Ope illius hastae (et erat spolium Actoris Aurunci) multos hostes occiderat. Quis miretur Turnum hastam sic alloqui, tamquam *amicum*, fere ut Mezentius alloquitur *equum* Rhoebum. Venator hodie sic optimum ex telis suis interdum alloquitur. Alter Virgilii locus hic est. Dicunt: Mezentio, deum contemtori et suis viribus confiso, *arma deorum instar erant:* et Servius: » *Non alium sibi putat deum esse sacrilegus*, quam dextram et fortitudinem." Ex quo Virgilius VII. 648. Mezentium appellavit *divum contemtorem*, interpretes, antiqui inprimis, omnia in Aeneide loca de Mezentio, quae trahi poterant, ad illum deorum contemtum traxerunt. Qui *deos contemnit*, rex inprimis, is deos minoris facit, quam par est, religionem et iustitiam negligit, non ut *opinione et doctrina* deos esse neget. Virgilius in Mezentio naturam humani ingenii pulchre observavit. Idem *ille divum contemtor* in periculis non contemnere videtur, utiturque iisdem dicendi formulis religionis, quibus alii homines ntuntur. Ita X. 743. *de me divum pater atque hominum rex viderit;* et vs. 845. *ad coelum tendit palmas:* quae interpretes per ironiam et aliis modis explicare conati sunt. Sed hic *Dextra mihi deus* Mezentium divorum *contemtorem*, plane, ut opinantur interpretes, ostendit. Quae res tam aliena est ab ipsa huius loci natura, ut non ferendam arbitrer. Praecedere aliquid vel sequi debuerat *contra deos*, ut intelligeretur, cur Mezentius *dextram suam esse deum* nunc diceret. Quod quale sit, melius ex appositis poetarum locis quam ex longiore disputatione apparebit. Apollon. Rhod. Argon. I. 466. ἴστω νῦν δόρυ θοῦρον — οὐδ᾽ ἔμ᾽ ὀφέλλει Ζεὺς τόσον, ὁσσάτιόν

Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum
Aeneae. Dixit; stridentemque eminus hastam

περ ἐμὸν δόρυ — καὶ εἰ θεὸς ἀντιόῳτο. Ea est oratio Idae ebrii, et propterea ab Idmone reprehenditur. Statius Theb. III. 615. Capaneus, *superum contemtor*, postquam multa contra Apollinem effuderat: *Virtus mihi numen et ensis, Quem teneo.* Idem IX. 548. *Ades o mihi dextera, tantum Tu praesens bellis et inevitabile numen, Te voco, te solam, superum contemtor, adoro.* Idem Capaneus loquitur, quem iam ex libro III. cognovimus, longe melius quam Mezentius ex simplice *divum contemtor.* Et quam saepe dicimus, hic homo vel ea res *mihi deus est*, *numinis instar*, ut tamen deos esse non negemus. Ovidius Metam. XIV. 568. *Perstat, habetque deos pars utraque: quique deorum Instar, habent animos.* Ubi ante *perstat* cogitandus est Turnus, et scribendum *habentque deos.* Nulla igitur caussa reddi potest, cur Mezentius hic, tamquam in parenthesi, dicat, nunc vero *se dextram* pro deo habere. Loquatur, ut ubique loquitur, et alii loquuntur. Loquetur autem, si scribas: *Dextra mihi, et deus, et telum, quod missile libro, Nunc adsint.* Optat felicem iactus eventum. *Dextra, deus et telum faveant.* Talia sunt VII. 498. *Nec dextrae erranti deus afuit.* XI. 118. *Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.* In quibus *deus* solum positus, non multum a *fortuna* differt. Iunxit Statius Theb. II. 540. *intervolat auras Hasta, sed audendi deus et fortuna recessit.* Si Statius Virgilium accepit, ut vulgo legitur, sua imitatione saltem ostendit, se nudum illud *dextra mihi deus* non probare. Appuleius quidem de Deo Socratis pag. 131. consueto more interpretatur, ut philosophus, non grammaticus: »*Quem denique iureiurando arbitrum adhibebo? An, ut Virgilianus Ascanius* per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat? — — *An, ut ferocissimo Mezentio*, dextra et telum? *Quippe haec sola advenerat* (pro *advenerantur*) *quibus propugnabat*, Dextra mihi deus, et telum, quod missile libro." Quae sic esse emendanda puto: *An, ut ferocissimus Mezentius, dextram et telum.* Quae in medio posita sunt de iureiurando Ascanii, ea mentem librariorum ab antecedentibus avocarunt.

Ipsum te, Lause, tropaeum Aeneae. Grammatici et hic mentem sacrilegam Mezentii accusant, qui Lauso spolia occisorum, diis debita, voveret. Est, credo, amarum et ironicum dictum. *Aeneae*, ni fallor, dative ponitur. *Voveo, polliceor Aeneae tropaeum. Hoc tropaeum tu eris*, indutus spoliis isti praedoni detractis. Vivum adeo tropaeum. Poeta haec dicentem facit patrem, quia mox Lausus revera factum est tropaeum Aeneae, sed ab eo occisus.

Iecit; at illa volans clipeo est excussa, proculque
Egregium Antoren latus inter et ilia figit:
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
Haeserat Euandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno volnere, coelumque
Adspicit, et dulcis moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Aeneas hastam iacit: illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine; sed vires haud pertulit. Ocius ensem
Aeneas, viso Tyrrheni sanguine laetus,
Eripit a femine, et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus, lacrimaeque per ora volutae.
Hic mortis durae casum, tuaque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,

Dulcis moriens reminiscitur Argos. Statius Theb. VIII. 436. *dilecta genis morientis oberrant Taygeta.*

Tuaque optima facta. Habent illa antiquum quendam orationis Romanae colorem, iu qua gravis simplicitas conspiciebatur. Sic II. 547. *illi mea tristia facta — narrare memento.* Tum Valerius Flaccus II. 262. *Stabilem quando optima facta Dant animum.* Male alii *optime.*

Si qua fidem tanto est operi latura vetustas. Heynius: »*Si qua serior aetas fidem habebit tantae Lausi pietati et virtuti.*" Wagnerus: »*Si qua huic operi* (meis carminibus) *fides habebitur, tu quoque harum rerum, quas cano, pars eris, nec infima.*" Neutra interpretatio mihi placet. Wagnerus in Heyniana reprehendit *tantum opus* pro *conatu*, qui maxime quidem laudabilis, frustra tamen esset susceptus. Etiamsi *opus* significet non *conatum*, sed ipsam mortem, cui se filius pro patre quasi devovit, illud tamen melius Latine *factum*, *facinus*, quam *opus* nominaretur. Et fuit praeclarum facinus, sed non *incredibile*, ut idem Wagnerus animadvertit. Virgilius, puto, non dixisset, se timere, ne posteritas crederet: nam similia exempla eum non latebant filiorum, qui magno vitae periculo patres servaverant, Antilochi apud Homerum, Alexandri Magni, Scipionis. Qui dicit *pietatem Lausi narrabo*, quamquam postera saecula vix credant, is postera saecula immodeste accusat,

Non equidem, nec te, iuvenis memorande, silebo.

quasi similis pietas iterum gigni non posset. Tum *vetustas* ita pro *posteritate* vix Latinum est. Si recte scripsit Cicero pro Milone 35. *de me nulla unquam obmutescet vetustas;* non sequitur recte scribi *si qua vetustas fidem habebit*. Rectum erat *si qua fidem*, vel *si qua ratione* fidem habebit vetustas. *Aliqua* vetustas ut *aliqua* posteritas, vix intelligitur, nisi, si hic vel ille e posteris significetur, sed hoc ipsum tamen duriter. Legitur quidem apud Lucan. III. 406. *Si qua fidem meruit superos mirata vetustas.* Sed scribendum ibi est: *siqua fidem meruit*, ut cuivis locum consideranti apparebit. Latinum est: *si qua fides*, *si qua fides vetustati*, *si quam fidem vetustas mereat*. Denique *fidem ferre facto alicui* non tam *fidem habere* quam *fidem facere* significat. Nonnulla ex iis, quae dixi, etiam ad interpretationem Wagneri pertinent, qui, quum *tantum opus* de carminibus Virgilii accipiat, hoc poetae dictum tribuit: *si posteritas Aeneidem pro vera historia habebit*. Virgilius autem non loquitur de tota Aeneide, sed de una illa particula, quae in pietate Lausi celebranda versatur. Et *tantum opus*, pro *mea carmina* obscurum et ambiguum foret. Nos de Virgilio loquentes, recte scriberemus *tantum opus nulla unquam vetustas delebit*. Virgilius, ubi nihil praecessit vel sequitur, dixisset, ut alibi: *si quid mea carmina possunt*, vel modo haud ita dissimili. Nemo ibi ferret: *si quid tantum opus possit*. Et Wagnerus, si recte intelligo, in sua interpretatione committit idem, quod in Heyniana reprehendit. Heynius dicit: *si posteritas fidem habebit pietati Lausi*. Wagnerus: *si posteritas fidem habebit meis carminibus*. Quod eodem redit. Nam si posteritas fidem habet carminibus, habet etiam virtuti, quae in carminibus celebratur. Equidem haec omnia pro corruptis habeo, scribendumque iudico: *Ne qua fidem tantam possit delere vetustas*. Ne ulla unquam vetustas tantam fidem delere, nulla aetas obliterare et exstinguare possit. *Ne qua vetustas* iam in negatione recte ponitur. Sententia plana et facilis, quam multis similibus confirmare possem, praecipue ex Cicerone petitis, sed ostendo simillimam in Ovidio Metam. I. 445. *Neve operis famam possit delere vetustas.* Ovidius, ut dicit Gallio apud Senecam in Suasor. III, *in multis versibus Virgilium aperte imitatur, non surripiendi caussa, sed hoc animo, ut vellet agnosci.* Ne quis autem me nimis multa mutasse arbitretur, TANTOESTOPERILATVRA comparet cum TANTAPOSSITDELERE, et in ESTOPE cogitet literarum transpositionem, plurimorum errorum in MSS. Virgilianis fontem.

Non equidem, nec te, iuvenis memorande, silebo. Iam primum

Ille pedem referens, et inutilis, inque ligatus
Cedebat, clipeoque inimicum hastile trahebat.
Proripuit iuvenis, seseque immiscuit armis;
Iamque assurgentis dextra plagamque ferentis
Aeneae subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit; socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret;
Telaque coniiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus. Furit Aeneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
Praecipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola, et tuta latet arce viator,

nemo non videt, quanto melius hoc cum sententia supra a me emendata conveniat. *Non ego te silebo, ne tanta pietas oblivioni tradatur.* Sed quid illa: *non silebo, o iuvenis memorande, tua optima facta, nec te?* Ridiculum. Quomodo laudare poterat *facta Lausi*, et *de Lauso* tacere? Quis unquam sic locutus est? Diceres Virgilium do altero esse acturum, quando incipit *nec te.* Iam illud *memorande* humilius est pro tam insigni pietate. Ego malim: *Non equidem, aeternum iuvenis memorande, silebo.*

Proturbantque eminus hostem. Recte Wagnerus: *proturbare student.*

Furit Aeneas, tectusque tenet se. Scribendum videtur *tectusque tenens se, Sustinet, et Lausum* sq.

Ac velut, effusa si quando grandine nimbi. Ipsa comparatio satis ex aliis poetae locis cognita. Hoc initium statim ex Aeneid. IX. 669. ductum: *quam multa grandine nimbi In vada praecipitant.*

Omnis campis diffugit arator. Metro dedit perfectum. Requirebatur praesens. Non prius *fugit* arator, quam nimbi praecipitant. At quis arator, *quam mollis*, qui nimbos timet! Nec *fugit* bene lectum est verbum. *Manere* debuit, et vestimenta contrahere, seque, quantum posset, tegere, ut fecit Aeneas. Aeneas non fugit, sed *furens sustinet.* Comparatio hic nimis claudicat.

Omnis et agricola. Nescio quomodo hic *arator* et *agricola* differant. Wagnerus copiam reprehendit, eidemque displicet geminatum *omnis.* Neutrum tamen a consuetudine veterum abhorret. Apollonius Rhodius alicubi dixit: ὕπνοιο δὲ καί τις ὁδίτης καὶ πυλαωρὸς ἐέλδετο. ubi ὁδίτης et πυλαωρὸς differunt melius, quam *arator* et *agricola.* Ut in Senecae Hippol. 1062. *omnis e saltu*

Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris; ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Aeneas nubem belli, dum detonet omnis,

fera Diffugit, omnis frigido exsanguis metu Venator horret. Qui locus Senecae huic, de quo egimus, perquam similis est. Sed similior Silii ille VI. 324. *Omnis et agricola et nemoroso vertice pastor Et pelago trepidat subductis navita velis.* Sed, ut vides, in gemineto *omnis* elegantiam quaesivere. Albinovanus Eleg. I. 202. *adsumus omnis Eques; Omnis adest aetas.*

Et tuta latet arce viator. Quasi non suffecerint *agricola* et *arator*, addidit *viatorem*. Viatori dedit tres latebrarum vias, *arcem*, *ripas amnis* et *saxi fornicem*. Et hoc nimium est in comparatione. Interpretantur quidem *arcem* ipsas latebras in *ripa et antro*. *Ripa amnis*, credo, non recte dicitur *arx*, quia latebras non adeo tutas praebet. Denique, quod et alii sentiunt, sonus in *arator* et *viator* est ingratus. Pro *arce*, iam veteres legerunt *arte;* quod etiam esset ineptius. Servius explicat: *quod se perite a tempestatibus defendunt.*

Dum pluit in terris. Lucretius VI. 630. *Cum pluit in terris, et venti nubila portant.* Servius iam comparavit. Grammatici, falsa Virgilio affingentes, sequebantur saepe illius morem, quo versus veterum poetarum, interdum nihil mutatos, in sua carmina transferebat. Sed Grammatici hic quoque se non esse Virgilios produnt. Veluti *terris* in hocce additamento friget, et omnino *pluit* post *nimbos effusa grandine praecipitatos* langnet. Longe alia res est in Lucretio. Dixerat nubes humorem tollere ex ponto, eumque humorem in toto terrarum orbe spargere, *quum pluit in terris.* Ubi opposita sunt *pontus* et *terrae.*

Ut possint — Exercere diem. Alia MSS. *ut possit*, *possint ut.* Et sunt in hoc loco aliae varietates, quod suspicionem interpolationis auget. Agricolae *exercent diem*, *opus die* exercentes. Minus recta *viator* opus *exercet.*

Obrutus undique telis. Obrutus parum differt ab *interfectus.* Aeneas undique fuit *petitus*, non *obrutus;* nam tela, dum se in sua arma colligit, defendit.

Aeneas nubem belli, dum detonet omnis, Sustinet. Et hic variant MSS. et veteres edit. *omnes*, *omnem*, *unus*, *detonat*, alia. Wagnerus edidit *omnis.* Praefero *omnem.* Timidi est exspectare, donec *omne* periculum abierit. Pro *sustinet*, melius esset *fert*, *patitur.* Iam *nubes belli* est *totum bellum*, non aliquis casus proelii, qualis hic describitur. Iustinus XXIX. 3. *Videre se ait consurgen-*

Sustinet, et Lausum increpitat, Lausoque minatur:
Quo moriture ruis, maioraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens; saevae iamque altius irae
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso

tem in Italia nubem illam trucis et cruenti belli. Plutarchus in Mario, 16. *νέφος τοσοῦτον πολέμου καὶ σκηπτὸν ὠσάμενος.* Annotavi alia ad Aen. VII. 223. *Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis Tempestas ierit campos.* Apud Homerum Hector nominatur *πολέμοιο νέφος*, Iliad. P. 143, ut Latine *belli mora*, *fulmen belli.* In indicanda varietate *detonat* et *detonet*, consideranda est verbi significatio: si sit *tonare desinit*, scribendum *detonet;* si sit *tonat*, scribendum *detonat.* Eadem est ratio in Valerio Flacco IV. 293. *furentemque Oebalides prima refugit, dum detonet, ira.* Ubi Weitzius non intellexit discrimen.

Sustinet. Eiectis spuriis, egregia exsistit oratio. *Furit Aeneas, tectusque tenens se, Sustinet.* Litera *s* in *tenet* facile excidit ob sequens *se.* Latine *sustinet*, ut *sustentat*, *patitur* et similia, absolute ponuntur. De verbo *sustinere* vide Gronovium ad Livii XXXIX. 31. et Oudendorpium ad Caesarem de B. Gall. II. 25. Ostendi, credo, hos versus bono poeta esse indignos. Wagnerus putat Virgilium duos versus *Praecipitant — viator* reliquisse in emendandis. Sed hoc ipsum, quod Virgilius ita reliquit, tam malum non esse potuit, quam sunt versus, quos hic et alibi spurios indicavi. Artifex magni pictoris manus vel ex primis lineis agnoscitur.

Lausum increpitat, Lausoque minatur. Eadem orationis forma in Valerio IV. 289. *Emicat hic, dextramque parat, dextramque minatur Tyndarides.* Repetitum nomen indicat Tyndariden unice dextram ostendere, nihil nisi dextram. Virgilius IX. 438. *solumque per omnes Volscentem petit, in solo Volscente moratur.* Claudianus de Consul. Prob. et Olybr. 121. *Exuvias Bellona levat, Bellona timentes Pulvere solvit equos.* Graevius in Valerio non recte volebat *laevamque parat.*

Extremaque Lauso Parcae fila legunt. Claudianus in Entrop. II. 461. *Tandem fila tibi neverunt ultima Parcae.* Parcae nunc *fila legunt* extrema, quando venerunt ad ultimam filorum partem, quae Lauso debebantur. *Fila legere* est *colligere.* Leguntur tamdiu, quamdiu non superest *quod legat*, lana consumta est, unde fila nentur. Theseus in Labyrintho fila legebat ultima, quum finem viae attigerat. Conf. Heinsius ad Ovidium Heroid. X. 104. et Fast. III. 462. ubi h. l. Virgilii explicat.

Parcae fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Aeneas iuvenem, totumque recondit;
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro;
Implevitque sinum sanguis: tum vita per auras
Concessit maesta ad Manis, corpusque reliquit.
At vero ut voltum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris:
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit;
Et mentem patriae subiit pietatis imago.

Molli mater quam neverat auro. Addere potuisset Heinsius exemplis, quae collegit ad Ovidii Ibin. 76.

At vero ut vultum. Heynius putabat Ianius fore: *Ut vero vultum.* Equidem *ut* pulchre positum inter tria vocabula ab eadem litera incipientia arbitror. Si quid mutandum sit, malim: *Tum vero ut vultum.*

Dextramque tetendit. Manum *alicui tendimus*, ut eum ad misericordiam moveamus, ut labentem sustineamus, *mortuo* non tendimus manum, quia nostram manum accipere non potest. Exempla ubique inveniuntur, et exstant nonnulla apud Heins. ad Ovid. Metam. V. 175. Scribendum censeo: *dextramque prehendit:* quod et signum erat misericordiae, et ita Lausum *terra sublevat.* Virgilius Aeneid. II. 592. *dextraque prehensum continuit.* Ovid. Metam. VII. 89. *dextramque prehendit hospes.*

Et mentem patriae subiit pietatis imago. Heynius: »*Amoris sui in Ascanium recordatio:* et quem ipse dolorem suscepturus sit in simili casu." Sed *imago pietatis* non est *recordatio*, verum *ipsa pietas*, tam illustri exemplo ante oculos posita. Tum *patria pietas* dicitur Lausi erga patrem. Aeneas hac imagine pietatis admoneri poterat, quid suo patri deberet, non adeo quid *deberet filio.* Ita Aen. II. 560. *subiit cari genitoris imago*, videnti Priamum vitam exhalantem. Ovidius Metam. VII. 170. *mota est pietate rogantis, Dissimilemque animum subiit Aeeta relictus.* De Ascanio, si Lausum vidisset occisum, recte diceretur: *mentem patriae tetigit pietatis imago.* Nam in tali re ne *subiit* quidem probandum est. Atque illud, quod de Ascanio dixi, adeo verum est, ut Ciofanus ad Ovidii Metam. II. 92. imprudens scripserit: »*Virgilius libro X. de Ascanio, cum Lausum iam interfecisset Aeneas: Et mentem patriae subiit pietatis imago.*" Pro *subiit* in aliis MSS. legitur *strinxit*, quod unice verum iudico: hoc exem-

Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus laetatus, habe tua: teque parentum
Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
Aeneae magni dextra cadis. Increpat ultro

plum pietatis, qua Lausus mortem pro patre subiit, animum Aeneae commovit.

Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis. Tota haec oratio, quam omnes interpretes tribuunt Aeneae, equidem esse puto Virgilii. Poeta sic loquitur, quasi ipse rei gestae testis praesens intersit. Conferantur similia Aen. IX. 446. *fortunati ambo.* X. 507. *o dolor atque decus.* Lucan. IV. 811. sq.

Arma, quibus laetatus, habe tua. Virgilius, Lausum alloquens, solatur ex eo, quod Aeneas fecit.

Teque parentum Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto. Lege *remittit.* Error nasci potuit ex *remittot.* Ita Aen. XI. 84. scriptum a manu prima in Codice Medic. *figot* pro *figit*, unde postea emendatum *figi.* Caeterum in vulgatis multa me offendunt. Lausus erat *remittendus illi*, qui miserat, hoc est *patri*, ut X. 492. *qualem meruit Pallanta remitto*, nempe Euandro. Lausus non potest remitti *proavis.* Et quid hoc est *remitto manibus et cineri parentum*, pro, ut in sepulcro parentum condatur? Tum *si qua est ea cura* non eleganter ita absolute ponitur. Addendum nomen illius, qui curat vel non curat. Dudum emendaveram: *Teque parenti, Manibus et cineri si qua est ea cura.* Si manes et cinis talia curant, ut maxime curant: si mortui curant, si qua talis cura est mortuis ut sepeliantur, adeoque et tibi. Frustra igitur dicunt *cinerem* non recte nominari in morte Lausi, vix interfecti. Quod ad sententiam, eadem est supra vs. 492. *Pallanta remitto, Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi, Largior.* Iam illa *Si qua est ea cura manibus et cineri*, alibi poeta sic expressit: *Id cinerem aut manes credis curare sepultos?* Non multum ab hac differt altera notissima formula: *si umbrae sentiant, si quis sensus apud inferos.* Valer. Fl. V. 52. *Nunc quoque, si tenui, superant in imagine curae, Adsis umbra, precor.* De veritate huius emendationis eo minus dubitavi, quum Schraderum plane idem coniecisse vidi.

Miseram solabere mortem. Angelus Decembrius II. de Polit. Liter. p. 125. legit *matrem.*

Aeneae magni dextra cadis. Dicat de se: *Sum pius Aeneas, fama*

Cunctantis socios, et terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comtos de more capillos.
  Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Volnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris acclinis trunco. Procul aerea ramis
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum iuvenes; ipse aeger, anhelans,
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam;

super aethera notus. Hoc ibi rationem habet. Quod se ipse *magnum* appellat, nimia est simplicitas, vel sarcasmus a misericordia abhorrens. Virgilius recte dicit: *cadis manu Aeneae magni.* Achilles apud Ovid. Metam. XII. 79. de se ipse: *Quisquis es, o iuvenis, solatia mortis habeto, Dixit, ab Aemonio quod sis iugulatus Achille.*

Increpat ultro Cunctantis socios. Haec animo legentis iungenda sunt cum superioribus *dextram prehendit.* Socii Lausi ex eo videre poterant Aenean corpus non spoliare et ad sepulturam concedere: sed non audebant appropinquare ad corpus tollendum. Itaque ipse *sublevat*, ut cunctantibus ostendat, quid fieri velit. Partem versus respexit Valerius Flacc. III. 613. *Iamque morae impatiens, cunctantes increpat ausus Tiphys.* Ubi *ausus* non intelligo.

Volnera siccabat lymphis. Sanguis *aqua frigida* sistitur. Id iam Cerda animadvertit, deinde alii, et interpretes ad Silii VI. 91. *purgat vulnera lympha.* Adde Scholiast. ad Statii Theb. I. 527. *siccati vulnera lymphis.* Idem X. 716. *undantem lacrimis siccare cruorem.* Male in quibusdam *corpusque lavabat.* Noverant Grammatici Ennianum: *Tarquinio corpus bona femina lavit.*

Arboris acclinis trunco. In multis *acclivus* et *acclivis*, quod Cerda defendere non debuerat. Callim. H. Deli 208. *ἀπὸ δ' ἐκλίϑη ἔμπαλιν ὤμοις Φοίνικος ποτὶ πρέμνον.* Claudian. de Cons. Prob. et Olybrii 114. *Arbore fultus Acclines humeros. Acclinis* de hominibus, *acclivis* de locis dicitur. Vide Drakenb. ad Silii V. 470.

Fusus propexam in pectore barbam. Servius: » Barbam *in pectus* profusam habens; archaismos autem est, quod ait *in pectore*, pro, *in pectus*, sicut alibi VI. 339. *mediis effusus in undis.*" Castigatus scriptor huiusmodi Archaismis abstinet. In libro Aen. VI. non iungenda *effusus in undis*, sed *effusus quum erat in mediis undis*, in medio mari. Hic Mezentius non dicitur *barbam fusus in pectore*, sed *fusus propexam in pectore.* Sed utro cumque ista modo enunties, semper scribendum erit *in pectora.* Suus cuique sensus indicat magis Latinum et exquisitum esse

Multa super Lauso rogitat, *multumque remittit*,
Qui revocent, *maestique ferant mandata parentis*.

propexam in pectora barbam, quam *pectore*. Hoc *in pectore* significare posset, Mezentium habere *barbam in pectore*. Ovidius Fast. I. 259. *Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam*. In Cod. Ursini est *in pectore*. Heinsius vere coniicit *in pectora*: quem adeo miror hunc Virgilii locum reliquisse intactum. Claudian. de Cons. Prob. et Olybr. 223. *In liquidos fontes se barba repectit*. Silius XIII. 310. *propexis in pectora barbis*. Ubi, quod Silius bene scripserat, Rupertus male ex corrupto Virgilii loco emendare volebat *pectore*. Concedit tamen et *pectora* se recte habere. Accusativus in similibus verbis requiritur. Seneca Epist. 77. *demissa usque in pectus vetere barba*. Statius Theb. XII. 108. *deiecti in pectora crines*. Lucan. V. 142. *crines in terga solutos*. In Statio Theb. I. 109. *riget horrida tergo Palla et coerulei redeunt in pectore nodi*. Scribe *pectora*. Sic iam olim emendavi versum Livii seu Laevii apud Terentianum Maurum 1935. *Balteus et revocet volucres in pectora sinus*. Statius Achill. I. 533. *fluxae veniunt in pectora vestes*. Prudent. X. Perist. *manus revinctas in tergum revocant*. Claudian. in Rufin. II. 79. *revocat fulvas in pectora pelles*. Ubi Heinsius *pectora* tuetur, sed exemplis minus aptis, unde praestantissimus Gesnerus eum non intellexisse videtur, interpretari putans *in memoriam et usum revocans*. Sed etiam sic dicendum erat *revocans in pectora*, ut Silius XII. 82. *revocate in pectora Cannas*. Atque his ita diu appositis exemplis, in Virgilio legendum putaveram *propexam in pectora barbam*, quum et Heindrichium voluisse *pectora* vidi; quod tamen Wagnerus verbo ita memorat, ut *pectore* praeferre videatur.

Multumque remittit. In aliis *multosque*. *Multumque* remittit idem significare debebit. Locum esse non genuinum indico. *Remittit* est *missos* iterum mittit: ergo missos iterum ac saepe remittit, ut Lausum revocent. Sed si *unus* semel missus ad locum pugnae pervenisset, is statim mortem Lausi cognoscere potuit ac patri renuntiare, quia Lausus brevi post discessum Mezentii cecidit. Ergo Mezentius nuntium mortis accipit non ab iis quos miserat, sed ex eo, quod ipsum filii cadaver apportabatur. Neque Mezentius tam longo spatio a pugna erat remotus.

Qui revocent. Hoc plane a moribus hominum bellicosorum abhorrebat. Pater mandare poterat, ut esset prudens neque nimio fervore in hostes irrueret: ut pugna excederet, mandare non poterat. Filius non sine maximo dedecore talibus mandatis paruisset.

Maestique ferant mandata parentis. Cur *maestus*? Fortasse, quod

At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti volnere victum.
Agnovit longe gemitum praesaga mali mens.
Canitiem multo deformat pulvere, et ambas
Ad coelum tendit palmas, et corpore inhaeret.
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextrae,
Quem genui? Tuane haec genitor per volnera servor,
Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
Exitium infelix! nunc alte volnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.

ipse pugnae interesse non possit. De filio magis erat cur laetaretur, cuius virtus ipsum servasset. Viso cadavere, erat *moestus*, nunc magis *anxius*.

At Lausum. Pulchre statim sequitur post *multa super Lauso rogitat.*

Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas? Quintil. Instit. Orat. Proem. 6. *Optimum fuit super immaturum funus consumturis viscera mea flammis iniicere, neque hanc impiam vivacitatem novis invicem curis fatigare.*

Morte tua vivens. Quintilianus Declam. VI. pag. 128. *Parum est, quod iuveni singularis exempli caussa mortis fui, et tam pretiosa redemtus anima senex odiosus morte filii mei vivo.*

Heu, nunc misero mihi demum Exitium infelix. Observa numeros artificiosos *heu, nunc* sq. Pro *exitium*, alii *exilium*, idque Servius exponit, *solatio filii antea tolerabile.* Recte, puto. Sic Tarquinius dicebat, *exilium seni longe miserrimum esse.*

Nunc alte volnus adactum! Volnus, quod Aeneas corpori intulit, non curo. Hoc demum, quod morte Lausi accepi, gravissimum est. Haec sola erat via, qua me perdere posset Aeneas, ut mox dicit Mezentius. Nepos in Dione 6. *Accepit parens gravissimum morte filii vulnus.* Seneca Medea 1006. *Hac, qua recusas, qua doles, ferrum exigam.* Silius Virgilium interpretatur VI. 580. *leve vulnus? an alte Usque ad nostra ferus penetravit viscera mucro?* Parentes scilicet in vulneribus filiorum ipsi vulnerantur. Seneca Consol. ad Helv. 3. *gravissimum est ex omnibus, quae unquam in corpus tuum descenderunt, recens vulnus.* Quintil. Declam. XII. p. 256. *Hoc vulnus altissime penetrat.* Atque hinc defenditur Ovidii Metam. VI. 266. *non alte percusso corde sagitta;* ubi Heins. volebat *alta.*

Debueram patriae poenas odiisque meorum:
Omnis per mortes animam sontem ipse dedissem!
Nunc vivo! neque adhuc homines lucemque relinquo!
Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in aegrum
Se femur; et, quamquam vis alto volnere tardat,
Haud deiectus, equum duci iubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus. Alloquitur maerentem, et talibus infit:
Rhoebe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)

Debueram patriae poenas odiisque meorum. Malim, *odiisque meorum?* An fortasse, diris meorum petitus, poenas debebam? Nemesis a me poenas postulabat? Has solvere me ipsum oportuerat, non filium. Nunc punior in filio. Si quid peccatum est, ego peccavi. Filius est insons.

Omnis per mortes animam sontem ipse dedissem! Ovid. Fast. V. 469. *crudelem animam per vulnera reddas.* Sabinus Epist. I. 77. *animam per vulnera mille profudit.* Seneca Octav. 375. *Animam tandem per fera tristem Vulnera reddit.* Orosius III. 17. *extrema vitae per vulnera efflantem.*

Quamquam vis alto volnere tardat. Varie MSS. praebent *sese alto, alto sese, quamvis alto se.* Ego illud *vis* hinc ortum esse arbitror, quia in nonnullis MSS. erat *quamvis* pro *quamquam.* Excidit, credo, in antiquo aliquo Codice verum vocabulum *dolor.* Hinc illa supplementa *sese,* et alia. Scribe: *quamvis dolor alto volnere tardat:* scilicet *Mezentium,* ille tamen haud animo deiectus, equum duci iubet. Vis Mezentii *tardat,* tardatur vulnere, minus elegans, quam *dolor eum tardat* vulnere. *Vulnera* omnino aliquem tardare dicuntur. Virgilius II. Aeneid. 436. *vulnere tardus Ulyxi.* Ovidius Metam. XIII. 66. *Vulnere tardus equi.* XIII. 81. *nullo tardatus vulnere fugit.* Silius IV. 622. *quamquam tardata morantur Vulnere membra virum.*

Rhoebe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est). Mezentius haec secum loquitur, sed orationem ad equum convertit, eumque sui doloris testem facit: et recte dolorem animali testatur, quod hominis bellatoris est amicum. Mezentius hunc equum docuisse videtur, ut ipsi tergum praeberet: nam eius *tergo exceptus* consueta membra locavit. Mezentius, credo, iam provectae aetatis, non satis agilis erat, ut saltu tergum occuparet, quod olim, instrumentis equi conscendendi ab utroque latere dependentibus carentes, facere cogebantur, nisi manus suorum adiuvarent. De sententia, eadem est in Ovidii Metam. VII. 691.

Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Aeneae referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. Neque enim, fortissime, credo,
Iussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit, et exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas iaculis oneravit acutis;
Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit. *Aestuat ingens*
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus:
Atque hic Aenean magna ter voce vocavit.
Aeneas (agnovit enim) laetusque precatur:
Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo!

sed minus eleganter elaborata: *facietque diu, si vivere nobis Fata diu dederint.*

Aut hodie victor spolia illa cruenta. Wagnerus in Quaest. XXI. explicat *illa diu optata. Spolia illa et caput* Aeneae, quum dicit, monstrat digito locum, ubi pugnatur. Spolia *quae illic* sunt. Caeterum haec ante oculos fuere Statio Theb. I. 461. *Aut hodie spoliis gavisus abibis — Aut me magni de stirpe creatum Aeneos accipies.*

Lausique dolorum Ultor eris mecum. Malim *Lausique dolorumque.* Mecum ulcisceris et Lausum et meos dolores.

Credo. Wagnerus eleganter post *credo* distinxit, ut sit *dignabere pati iussa et dominos.*

Aestuat ingens Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu. Ego et haec translata arbitror ex XII. 667. Ibi optime de Turno dicuntur, hic minus bene de Mezentio. Inprimis displicet *in uno corde.* De Turno melius, in cuius *uno* corde regnent *pudor, luctus, insania, amor, virtus.* Mezentium Virgilius facit summo quidem moerore affectum, sed animo tamen sedato, minime *insanum.*

Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus. Deest versus in MSS. quibusdam: repetitus ex Aen. XII. 668. huius loci sententiae contrarius. Multi ante me iam eiecerunt. Neque Servius vidit. Testor interpretationem: »Tribus vero adfectibus conturbatum significat, pudore, ira, dolore, quae potentia sunt singula."

Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo! Incipias conferre manum. Heindrichius Virgilium scripsisse putat: *Sic pater ille deum faveat.*

Incipias *conferre manum.*
Tantum effatus, et infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me, erepto, saevissime, nato,
Terres? haec via sola fuit, qua perdere posses.
Nec mortem horremus, *nec divom parcimus ulli.*
Desine: iam venio moriturus, et haec tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem;
Inde aliud super atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circum adstantem laevos equitavit in orbis,
Tela manu iaciens; ter secum Troius heros
Immanem aerato circumfert tegmine silvam.

Melius puto *facias*, et mox *incipiat.* Meo enim iudicio, in tertia illa persona *incipiat* maior est contemtus et ira. Et Aeneas haec secum dicit. Versus autem in nonnullis sic expletus est: *et mihi iungere pugnam.* Si MSS. essent vetustiora, legeremus, credo, hodie, et haec pro Virgilianis, ut nunc legimus *conferre manum. Incipiat* est minantis, et provocantis. Incipiat, si andet, veniat. Virgilius Aeneid. IX. 741. *Incipe, si qua animo virtus.* Valerius Fl. IV. 205. *tali personat ira: Incipite, o iuvenes: etenim fiducia, credo, Huc tulit.* Seneca Herc. Furent. 100. *Incipite, famulae Ditis.*

Nec mortem horremus, nec divom parcimus ulli. Ut a divo aliquo auxilium exspectemus. *Parcere* pro *vereri, metuere, curare.* Sic Heynius. Wagnerus autem: »*Nec dei, quos invocas, quidquam profuerint mecum pugnanti.* Atque ita fere Servius: »Quia *Aeneas invocaverat deos.* Adde Scholiastam Lucani IV. 123. Sed *diis parcere*, est *deos dictis factisque non laedere*, dictis factisque ostendere, quod deos vere curamus. Quomodo talis sententia huic loco conveniat, plane non assequor. Interea haec habeo pro additamento hominis, qui, quid ipse velit, ignorat.

Desine: iam venio moriturus. In nonnullis *nam.* Vulgo nihil praecedit. Ovidius Fast. II. 759. *Pone metum, venio.* Heroid. Epist. VII. 103. *Nulla mora est: venio.* Si quid praecedat, requiritur, in tali quidem sententia, *iam.*

Et haec tibi porto Dona prius. Valerius Fl. IV. 215. *Prima manu cui dona feram?* Sic recte Heinsius emendavit, quod hoc loco Virgilii unice comprobatur.

Immanem aerato circumfert tegmine silvam. Hoc non esse nimium, similia docent exempla. Livius II. 10. *In unum hostem tela coniiciunt. Quae*

Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet
Vellere, et urguetur pugna congressus iniqua:
Multa movens animo, iam tandem erumpit, et inter
Bellatoris equi cava tempora coniicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, eiectoque incumbit cernuus armo.

quum in obiecto cuncta scuto haesissent, iam impetu conabantur detrudere virum. Lucanus VI. 205. *tot vulnera belli Solus obit, densamque ferens in pectore silvam.* Ubi vide Cortium, et interpretes ad Flori IV. 11.

Iam tandem erumpit. Imitatur Iosephus Iscanus de Bello Troiano V. 269. *Subit obvius Aiax Iam tandem erumpens.*

Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras Verberat. Equus se *arrectum tollere* et simul *recalcitrare* non potest. Pro *et calcibus* poeta scribere potuisset *tum calcibus*. Heynius putat *et* scripsisse ad celeritatem facti indicandam. Recte, credo. Coniectura quidem Wakefieldi: *tollit se ac rectus quadrupes ita:* non est verosimilis. In imitationibus aliorum nihil invenio, unde eos aliud legisse apparet. Silius IV. 145. *erectus in auras It sonipes.* IX. 594. *Exstimulata gravi sese fera tollit ad auras Vulnere, et erectis excussam cruribus alte Pone iacit volvens reflexo pondere turrim.* XVII. 133. *Prima in cornipedes sedit spirantibus ignem Naribus hasta volans, erexitque ore cruento Quadrupedem, elatis pulsantem calcibus auras. Corruit asper equus, confixaque cuspide membra Huc illuc iactans, rectorem prodidit hosti.* Fortasse Silius *calcibus* in Virgilio accepit de pedibus anterioribus. Ita quidem ipse usurpasse videtur.

Eiectoque incumbit cernuus armo. Heynius: »*Incumbit armo*, suo scilicet, equus (quis enim aliter accipiat?) domino *eiecto.*" Verba *quis enim aliter accipiat?* Wagnerus adiecit. Liceat mihi ad illa respondere: ego. Adspice Latinitatem: equus equitem effundit, et ipse super effusum secutus, effusum implicat, et *eiecto* incumbit. In quibus *eiecto* ita otiosum est, ut castigata Latinitas non toleret. Virgilius potius repetivisset *effusoque*. Tum, credo, Latinum est *equo deiicitur*, non adeo *eiicitur*. *Armus* equi ipsius dicitur *eiectus*, hoc est *luxatus*. Scribonius Largus: »*Ad luxatum omne et eiectum et expositum articulamentum*. Graeci habent suum ἐκβάλλειν et ἐκβολαὶ τῶν ἄρθρων. Vide Wouwer. ad Appul. Florida III. pag. 67. et Wyttenbachium ad Plutarchi Moral. Animadv. T. I. p. 999.

Clamore incendunt coelum Troesque Latinique.
Advolat Aeneas, vaginaque eripit ensem,
Et super haec: Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit coelum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in caede nefas; nec sic ad proelia veni;
Nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro:
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem;
Et me consortem nati concede sepulcro.
Haec loquitur, iuguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

Clamore incendunt coelum. Cerda, Heynius et Wagnerus rationem reddere conati sunt, cur *incendere* in tali re significare possit *implere*. Cerda proposuit duas, quarum neutra Heynio satisfacit, ut neque Heyniana Wagnero, nec Wagneriana mihi. Fortasse nec mea Wagnero. Proponam tamen. Proprie *incendimus lignum* flamma admota, hoc est, facimus ut lignum ardeat, sicuti flamma, quam admovemus, ardet. *Incendimus in aliis luctum*, facimus ut lugeant, sicuti nos lugemus. *Incendimus coelum clamore*, facimus ut coelum clamet, sicuti nos clamamus, nostro clamori respondeat. Alio modo rem expedit glossa Barthiana ad Statii Theb. V. 553. »*Incendit clamore nemus: implet*, quia reclamans nemus flammae vigorem refert." Quod Silius scripsit XIV. 209. *hinnitibus aera flammat*, hinc potius explicandum arbitror, quia equi *fumum et ignem* e naribus efflant.

Ut auras Suspiciens hausit coelum. Alii iungunt *auras suspiciens*, alii *auras hausit*. Malim *auras suspiciens hausit coeli*. Mezentius sub equo iacebat, adeo ut spirare non posset. Hinc eluctatus, suspicit et auras aetherias coeli trahens, animam recipit.

Nullum in caede nefas. Non est quod irascaris. Quid increpitas? Parce minis, et me occide.

Nec sic ad proelia veni. Ea cogitatione, ut putarem nefas esse me occidi, si vincerer. Quintilianus Declam. III. pag. 60. *Neque in militiam ita venit, ut nesciret sibi mortem in procinctu habendam.*

Nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus. Interfecisti filium. Cur patri parceres?

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER UNDECIMUS.



Oceanum interea surgens Aurora reliquit:

Oceanum interea surgens Aurora reliquit. Hoc esset: Interea, dum Aeneas Mezentinm interficeret, dies advenerat. Sed neque noctu pugnatum erat, neque ad primam lucem. Servius annotavit: »*More suo praetermisit noctis descriptionem, quam transisse indicat praesens ortus diei.*" Ignorabam hunc esse Virgilii morem. Contra. Vel noctem describit, vel dicere solet *postera aurora* vel *postera dies.* Heynius formulam *interea* parum opportunam censet; Wagnerus in Quaest. XXXX. 2. ad negligentiam poetae refert. Tam negligens, credo, Virgilius non fuit, ut in principio novi libri, post caedem Mezentii adeo praeclare descriptam, aliquid absurdi diceret. Omnino requiritur *postera*, idque latere puto in *interea.* Scribendum arbitror, transpositis vocabulis: *Postera ut Oceanum surgens Aurora reliquit.* Hoc optime cum antecedentibus connectitur. Mezentius animam efflavit. *Quum postera* dies advenit, victor Aeneas iam vota diis solvebat. Virgilius ita solet sequentem diem indicare. Aeneid. III. 588. *Postera iamque dies primo surgebat Eoo.* IV. 6. *Postera Phoebea lustrabat lampade terras, Humentemque Aurora polo dimoverat umbram.* V. 42. *Postera quum primo stellas Oriente fugarat Clara dies.* VII. 148. *Postera quum primo lustrabat lampade terras Orta dies.* XII. 113. *Postera vix summos spargebat lumine montes Orta dies.* In quibus exemplis nulla plerumque noctis mentio praecedit.

Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Praecipitant curae, turbataque funere mens est,
Vota deum primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias; tibi, magne, tropaeum,
Bellipotens; aptat rorantis sanguine cristas,

Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis Praecipitant curas. Quid movere aliquem potuerit, ut talia insereret, non intelligo. Virgilii esse non possunt. Quid enim significant? vel potius, quid significare debebunt? Dicam Latine: *quamquam curae eum quiescere non patiuntur, nisi tempus humandis sociis dedisset.* Hoc idem quam non satis Latine dictum est! Aeneas *cupit dare tempus*, satis est, ni fallor. *Curae praecipitant Aenean dare tempus*, tumidum et inflatum in re tenui. Et diceres anxiam illam et ardentem cupiditatem, quae eum sic agitabat, dies aliquot fuisse differendam. Imo vix horae dimidiatae mora interponitur. Quercum constituit tumulo, arma Mezentii induuntur. Quibus peractis Aeneas sedato animo dicit: *nunc parati estote ad primum signum.* Iter nobis erit ad urbem Latini. Interea socios sepeliamus. Quid? quod *soli duces* Aeneae tropaeum ponenti aderant? Si ergo moram non tulisset, milites statim ad socios terrae mandandos dimittere potuisset. In aliis MSS. *et* omittitur, in uno legitur *humandi.* Alterum melius. Ut Valerius V. 276. *Datus et sociis utrimque cremandis Ille dies, alterque dies. Utrimque* dederunt illum et alterum diem cremandis sociis. Ubi Burmannus nulla de caussa volebat *caesis utrumque cremandis.*

Turbataque funere mens est. Quo funere? *Suorum et inprimis Pallantis*, dicit Heynius. *Funere suorum* vix Latinum est, *Pallantis* obscurum. Cogitares de Mezentio, cuius mors proxime praecesserit. Sed hoc ineptum. Et vir fortis belloque assuetus, propter mortem suorum, tacito dolore affici potest, *turbari* non potest. Hanc esse belli sortem novit. *Turbatur*, quando tot ac tales amisit, ut, quod supersit, desperet. In Mediceo est *funera*, quod Apronianus explicabat: *mens turbata praecipitat funera.*

Vota deum primo victor solvebat Eoo. Pulchre *victor*, omisso Aeneae nomine. Nemo dubitare poterit, quis ille nominetur *victor.* Nominatur demum vs. 36. *Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis.* Illud habet magnam gravitatem.

Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clipeumque ex aere sinistrae
Subligat atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantis:
Maxima res effecta, viri; timor omnis abesto,
Quod superest; haec sunt spolia, et de rege superbo
Primitiae, manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate animis, et spe praesumite bellum,
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Adnuerint superi, pubemque educere castris,
Impediat, segnisve metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terrae

Manibusque meis Mezentius hic est. Locus difficillimus, quem interpretari frustra coneris. Heynius merito orationem vocat duriorem, sed exponit: *Mezentius mea virtute huc est redactus*, quod de eo superest, hoc est tropaeum. Bona sententia, si verba ferrent. Nemo enim non intelligit, *Mezentius meis manibus talis est*, referre Latinitatem haud satis exactam. Alia in MSS. quibusdam distinctio: *et de rege superbo Primitiae manibusque meis: Mezentius hic est*, nihil iuvat. Cod. Voss. habet *in manibusque*. Hoc mihi viam emendandi ostendit. Pro INMANIBVSQVE MEIS conieci INMANIS QVERCVS, et HAEC pro HIC. *Inmanis quercus Mezentius haec est. Haec quercus est immanis ille Mezentius.* Supra *ingens quercus* constituitur. Hic *immanis* rectius cum Mezentio iungitur, quia opponitur quercui, trunco. Ut Ovidius Metam. XII. 615. *Iam cinis est; et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.* Seneca Herc. Oet. 1758. *Timete superi fata. Tam parvus cinis Herculeus est, huc ille decrevit gigas.* Ubi scribendum puto: *tam parvus cinis Est Hercules.*

Arma parate animis, et spe praesumite bellum. Alii iam olim distinguebant *animis et spe praesumite bellum.* Tum malim *arma parate, animisque et spe praesumite bellum:* quod et Wagnero videbatur. Sed *arma animis parate* idem fere est atque *spe praesumite bellum*, quod praegresso tamquam epexegesis subiungitur. Eadem forma Aen. XI. 491. *Exsultatque animis, et spe iam praecipit hostem*

Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait; egregias animas, quae sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus; maestamque Euandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Sic ait illacrimans recipitque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes
Servabat senior, qui Parrhasio Euandro
Armiger ante fuit: sed non felicibus aeque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis famulumque manus Troianaque turba
Et maestum Iliades crinem de more solutae.
Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis:

Qui solus honos Acheronte sub imo est. Ammianus Marcellinus XXXI. pag. 495. *Nec Valenti sepulturam, qui supremitatis honor est, contigisse.*

Ite, ait. Veteres Critici, teste Servio, vitiose *ait* in media oratione positum notarunt. Burmannus putat Aenean se nunc ad milites aut famulos convertisse. Non me latet, illud *ait*, quamquam praecesserit *fatur* aut simile, saepe in media oratione repeti, de quo vide interpretes ad Virgilium Aeneid. V. 551. Tamen pro AIT hoc quidem loco elegantius esset AGITE. *Ite, agite, egregias animas.* Seneca in Suasor. I. pag. 23. servavit versus Silonis: *Ite, agite, o Danai, magnum paeana canentes, Ite triumphantes, belli mora concidit Hector.* Et sic alii multi loquuntur. Vide annotata in Biblioth. Critica Nova Vol. II. pag. 21. Quod ibi locum Trebellii Pollionis emendavi, hoc iam diu antea esse factum postea cognovi ex Anthol. Burmanni Vol. I. pag. 684. Quo minus Virgilium hic scripsisse credam *ite ait*, etiam hoc est, quod orationis Aeneiae initium fecit *sic incipiens hortatur*, et finem *sic ait.*

Funere mersit acerbo. In Vratisl. *vertit*, quod memorabile est propter Horatii Carm. I. 35. *superbos vertere funeribus triumphos.*

Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis. Schol. Statii *tectis extulit.* Hamburg. *impulit.* Rectum est *se inferre.* Iam alibi vidimus. Et Valerius Flacc. V. 457. *Cum se sole satus patriis penetralibus infert:* hoc est in templum solis. Male Burmannus *edit.* Silius X. 430. *ruptis*

Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, maestoque immugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, levique patens in pectore volnus
Cuspidis Ausoniae, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, quum laeta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non haec Euandro de te promissa parenti
Discedens dederam: quum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret

foribus sese arduus infert. Servius pulchre animadvertit: »Naturale est, ut intermissa lamenta repetantur, cum aliquis notus advenerit." Iudicium Virgilii hic iterum elucet ex comparatione cum Statio, quem Servius laudat. Statius in simili loco omnia dixit, quae dici potuerunt: Virgilius legenti reliquit, ut cogitando suppleret, *ceu nova tunc clades occidisset.* Livius sensum habebat magis poeticum, quam multi, qui post Virgilium versus fecerunt. Livius I. 29. *Conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrimas, vocesque etiam miserabiles exaudiebantur.* I. 48. *Adventu suorum lacrimae obortae.*

Maestoque immugit regia luctu. *Immugit* vehementius fere est, quam ut cum luctu *maesto* coniungatur. Et *maestum* in eadem caussa brevi intervallo praecedit, quae repetitio Heynio displicebat. Quare scribendum esse arbitror: *mistoque immugit regia luctu.* Luctus famulorum turbae Troianae et Iliadum mixtus efficere poterat ut regia mugiret. Lucan. VII. 37. *Te misto flesset luctu iuvenisque senexque.* Aen. XI. 807. pro *mixtoque metu* Cod. Rom. habet *moestoque.*

Levique patens in pectore volnus. Servius: »*Puerili*, nondum setoso." Heynius: »*Loto*, et a cruore purgato." Wagnerus: »*Niveus* et *levis*, primam declarant iuventam." Equidem *niveus* dici puto de *pallore* mortui, et pro *levi* potius scribendum *laevo*, ut Pallas in corde fuerit vulneratus. Poetae vulnera variare solent, quod satis in Homero cognitum est. Vulnera in *pectore* saepe legimus apud Virgilium, in *laevo* nusquam. Quintilianus Inst. Or. VI. 2. refert hoc exemplum ad *evidentiae* figuram, quae non tam dicere videtur, quam ostendere. Maior, credo, evidentia seu *ἐνάργεια* in pectore *laevo* quam in *levi.*

Mitteret in magnum imperium. Ut *magnum* illud imperium exerci-

Acris esse viros, cum dura proelia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis;
Nos iuvenem exanimum, et nil iam coelestibus ullis
Debentem, vano maesti comitamur honore.

tus Tyrrheni capesserem, et sic Rutulos adorirer. Explicatio petenda ex Aeneid. VIII. 509 et 513. ubi Euander dicit: *Tarchon me rogat succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam. Sed mihi tarda gelu, saeclisque effoeta senectus Invidet imperium. Tu, (Aenea) quem numina poscunt, Ingredere.* Heynius aliter interpretatur: »*Mitteret ad parandum* magnum imperium Troianis, quod Aeneas in Italia erat conditurus." Sed ad *hoc imperium* fata Aenean mittebant, et iam miserant, quum esset in Italia.

Et nunc ille quidem spe multum captus inani Fors et vota facit. Horrida oratio. *Et nunc ille quidem fors et vota facit, multum captus spe inani.* Wakefieldus iungit *multum inani.* Quod de duritie non demit. Nunquam haec esse manum Virgilianam credidi, sed: *Et nunc ille quidem spe mulcet pectus inani; Fors et vota facit, cumulatque altaria donis.* Verbo non opus erat, ut talis scriptura commendaretur, si in uno Codice modo esset inventa. At vide, quam parum absit, quin scriptura MSS. appellari possit: MVLTV et MVLCET, CAPTVS et PECTVS. De Latinitate nemo dubitavit. Statius Silv. II. 1. *Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis Pectora.* Silius XVII. 46. *Extemplo maior cunctis spes pectora mulcet.* Adde Marklandum ad Statii Silv. III. III. 109.

Nil iam coelestibus ullis Debentem. Pater vota facit pro salute filii. Sed filius tale beneficium, et omnino nullum, a diis accipere iam non potest. Nulli deo amplius aliquid debet. Nullum ei cum diis coelestibus ultra est negotium. Exempla formulam loquendi, non eodem plane modo semper explicandam, melius declarabunt. Ovidius hic rursus ingenio indulsit Metam. XIV. 489. *Nam dum peiora timentur Est in vota locus. Sors autem ubi pessima rerum, Sub pedibus timor est, securaque summa malorum.* Lucan. VI. 5. *Martemque secundum Iam nisi de genero fatis debere recusat.* Statius Silv. V. I. 185. *Non in te fatis non iam coelestibus ullis Arbitrium.* Imitationem Silii XV. 370. iam ostendere Rupertus et Wagnerus. *Circumdata postquam Nil restare videt virtus, quod debeat ultra Iam superis.* Acute Seneca Medea 163. *Qui nil potest sperare, desperat nihil.* Phoeniss. 194. *Cui deo nullo est opus, Quare ille mortem cupiat, aut quare petat?* Ubi

Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi?
Haec mea magna fides? At non, Euandre, pudendis
Volneribus pulsum adspicies; nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Praesidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!
  Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat, et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrimis; solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii cratis et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic iuvenem agresti sublimem stramine ponunt:

vide Gronovium. Eodem referenda sunt haec Taciti German. 46. *Securi adversus homines, securi adversus deos, rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset.* Securi sunt hominum ac deorum, eos non multum curant, illis nihil debent. Plinius Panegyr. 30. *Aegyptus alendis augendisque seminibus ita gloriata est, ut nihil imbribus coeloque deberet.* Ab hac formula discrepat altera, qua quis *alicui aliquid debere, poenam*, dicitur, cui iniuriam fecit. Hanc formulam explicavit Ruhnkenius ad Terentium Enn. V. II. 22. qui tamen imprudens eadem h. l. Virgilii complectitur.

Nec sospite dirum Optabis nato funus pater. Varie olim haec accepta sunt. *Sospite* pro *sospiti* Latinum non est. Exempla, quae citat Bernart. ad Statii Theb. I. 406. sunt vere ablativi. Vide et Wagnerum ad Aeneid. X. 361. qui probat interpretationem Heynianam. Neque haec olim erat ignota. Servius: »*Non talem habes filium, quo sospite tibi dirum funus optares.*" Quod tamen mihi non placet. Esset enim non *dirum* funus, sed *miserum*. Mortem sibi optare possunt infelices liberorum culpa parentes, nemo optare potest *diram*. Accipe: *nec pater, sospite nato, Optabis dirum funus* (nati). Illud *nati* omisit propter atrocitatem voti. *Dirum* appellatur tale funus, quia *dirus* est qui optat, et impius. Hinc *impia vota* parentum, qui liberis superstites esse cupiunt. Conf. Burmannus ad Ovidium Metam. VIII. 499.

Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi;
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit;
Non iam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tum geminas vestis, auroque ostroque rigentis,
Extulit Aeneas, quas illi laeta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Harum unam iuveni supremum maestus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu;
Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat, et longo praedam iubet ordine duci.
Addit equos, et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeso sparsurus sanguine flammam;
Indutosque iubet truncos hostilibus armis

Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit. Locus corruptus. Vulgata significant: qui non amplius habet fulgorem, nondum tamen suam formam amisit. In quo dura ellipsis verbi *est* post *adhuc*, neque vera sententia apparet. Nam si flos *suam formam* servavit, non amisit *fulgorem*. *Sua forma* est iusta, quae esse debet, *perfecta*. Si explices *cui neque fulgor neque forma* recesserunt, contra bonam Latinitatem in rei omnino eiusdem altera parte *adhuc*, altera *necdum* ponitur. Non dubito, quin Virgilius scripserit: *Cui neque fulgor adhuc, neque adhuc sua forma recessit.* Hoc quam eleganter Latinum sit, sciunt, qui optimorum poetarum scripta tenent. In vulgatis, ut dixi, est oppositum. Sic Ovidius Heroid. XV. 93. *O nec adhuc iuvenis, nec iam puer.*

Arsurasque comas obnubit amictu. Aeneas extulit geminas vestes. Unam iuveni induit, *et obnubit comas amictu*. Qui hoc interpretari possunt *et altera comas obnubunt*, hi omnia ex omnibus eliciunt. Nec video, quare hic *comae* dicantur *arsurae*, cum et *iuvenis* esset arsurus. Pro ARSVRASQVE reponendum iudico ALTERIVSQVE. *Alteriusque comas obnubit amictu.* Wagnerus in Quaest. XXXIV. 1. docet copulas interdum poni pro iterato pronomine *alius*. Sed ea exempla a nostro hoc esse diversa, quivis videbit.

Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix aevo confectus Acoetes,
Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur, et toto proiectus corpore terrae.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Aethon,
It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt; nam cetera Turnus
Victor habet. Tum maesta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique omnes, et versis Arcades armis.

Inimicaque nomina figi. In Medic. a manu prima *figot.* Unde hic mallem *figit.*

Sternitur, et toto proiectus corpore terrae. Editor Parmensis versum deleri volebat. Wakefieldus totum locum sic constituit: *Acoetes: — — ora, Sternitur, ex toto proiectus corpore terrae.* Wagnerus post *sternitur*, comma posuit, et in *proiectus* deesse verbum auxiliare arbitratur. Sed ipse in Quaest. XV. 1. docuit: praegresso verbo finito, annexa per copulam superioribus sententia requirere *est* videtur. Duo tamen contraria exempla apposuit. His nunc tertium hoc addidit. Sed *sternitur proiectus terrae* adeo idem est, ut separari non possit per copulam, nec prius verbum finite poni, alterum non finite, nisi per ellipsin. *Sternitur, et proiectus*, pro *proiectus est* vel *se proiecit*, mihi quidem valde durum videtur. Oratio in Georg. IV. 444. longe lenior est: *victus In sese redit, atque hominis tandem ore locutus:* ubi *locutus*, quia praecedit *victus*, fere est participium. Neque alterum ex Aeneid. VII. 486. *cui regia parent Armenta et late custodia credita campi*, quemquam offendet. Ibi tam facile cogitatur *credita est*, quam dure trahitur ad *sternitur et proiectus.* Expedita est omnis difficultas, si pro ET scribas AUT. Ducitur infelix Acoetes, et foedat *nunc pectora pugnis, nunc ora unguibus, Sternitur aut toto proiectus corpore terrae.* Acoetes modo ducitur, modo non vult duci, sed sternitur.

Tyrrhenique omnes, et versis Arcades armis. Equidem interpunctionem esse mutandam arbitror: *Tyrrhenique, omnes et versis Arcades armis.* Omnes Tyrrheni Pallantis funus non comitabantur. Aeneas ex toto exercitu legit *mille viros.* Exercitus autem Tyrrhenus solus efficiebat millia. Vide VIII. 496. Sed Arcades tantum erant *quadringenti*, ut apparet ex VIII. 518. Fuerunt igitur trecenti Phryges, totidem Tyrrheni, quadrin-

Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Aeneas, gemituque haec addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve aeternum mihi, maxime Palla,
Aeternumque vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Iamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleae, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quae fusa iacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terrae;
Nullum cum victis certamen et aethere cassis;
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Aeneas, haud aspernanda precantis,
Prosequitur venia, et verbis haec insuper addit:
Quaenam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremtis

genti Arcades, exceptis pancis, qui ceciderant. Bene *Arcades omnes*, qui sequerentur popularem, regis filinm. Wagnerus putat *Tyrrhenique omnes* (alii legebant ex MS. *duces*) probari ex vs. 171. *Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.* De his suo loco videbimus.

Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli Fata vocant. Servins: »Ad ceteros sepeliendos, qui eodem proelio eeciderunt." Malim: *Nos alias hinc ad lacrimas, eadem horrida bella Fata vocant.* Nos hinc vocamur ad eadem bella, quae novarum lacrimarum caussa erunt. Dubito an *fata belli* hic recte dicantur. Conferatur Seneca Herc. Oet. 178. *alio nostras Fortuna vocat Lacrimas, alias flere ruinas Mea fata iubent.* Ut nos, ita Silius h. l. accepisse videtur X. 574. *ac supremo affatur honore: I, decus Ausoniae, quo fas est ire superbas Virtute et factis animas. Tibi gloria leto Iam parta insigni. Nostros Fortuna labores Versat adhuc, casusque iubet nescire futuros.*

Salve aeternum. Statius Silv. III. III. 209. *Salve supremum, senior mitissime patrum, Supremumque vale.*

Pacem me. Alii *pacemne.* Vis est in *me: me*, qui et vivis concedere vellem.

Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero; rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potius se credidit armis.
Aequius huic Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat: his mecum decuit concurrere telis;
Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris supponite civibus ignem.
Dixerat Aeneas. Olli obstupuere silentes;
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances
Infensus iuveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Troiane, quibus coelo te laudibus aequem?
Iustitiaene prius mirer, belline laborum?
Nos vero haec patriam grati referemus ad urbem;
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Iungemus regi. Quaerat sibi foedera Turnus.
Quin et fatalis murorum attollere moles,

Conversique oculos inter se atque ora tenebant. Valerius Fl. IV. 188. *Atque oculos cuncti inter se tenuere silentes.* Ubi Heinsius, si cogitasset Virgilium, non voluisset *in se.* Ovidius Heroid. III. 11. *Alter in alterius iactantes lumina vultus, Quaerebant taciti noster ubi esset amor?* Statius Theb. II. 173. *fixosque oculos per mutua paullum Ora tenent.*

Quin et fatalis murorum attollere moles. Hunc et sequentem versum ego non addidissem. Alia literarum forma expressi, ut legentes melius sentirent, quanto elegantior prodeat sententia, si absint. Nimium enim dixit Drances. Hoc polliceri non potest, nisi patriam prodere velit. Amicitiam, inquit, inter regem nostrum et te restituere conabimur, si qua id fieri a nobis possit. Turnus alios sibi socios quaerat. Hic oratio rectius finitur. Praeterea Drances ille sic de nova Troia loquitur, quasi plane fuerit nulla, neque exstaret. Sed nova Troia iam erat parata, duram obsidionem sustinuerat, erant muri, portae, propugnacula. Aeneas vs. 89.

Saxaque subvectare humeris Troiana iuvabit.
Dixerat haec, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et, pace sequestra,
Per silvas Teucri, mixtique impune Latini,
Erravere iugis. Ferro sonat alta bipenni
Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinos;
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et iam Fama volans, tanti praenuntia luctus,
Euandrum Euandrique domos et moenia complet,
Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces. Lucet via longo

ad altos Tendebat muros, gressumque in castra ferebat. In ea urbe eosdem legatos excepit, adeo etiam ut Drances suis oculis videre posset, rem se actam esse acturos, si murorum moles attollerent et saxa suis humeris subvectarent.

Mixtique impune Latini. Lucan. IV. 196. *Pax erat, et castris miles permixtus utrisque Errabat.*

Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat. Servius *Latio* pro *in Latio* accipit. Ego illud *Latio* nullam propemodum vim habere arbitror, et elegantius puto: *quae modo victorem late Pallanta ferebat.* Fama, quae modo late, ubique, per ditionem Euandri vicinasque regiones spargebat victorias et fortunam Pallantis. *Late ferebat*, plane ut VII. 104. *Sed circum late volitans iam Fama per urbes Ausonias tulerat.* Vocabula *Latius* et *latus* in MSS. centies confusa sunt. Vide Ovid. Metam. I. 560. XIV. 422. interpretes ad Silii XII. 412.

Funereas rapuere faces. Heynius: »*Sumtis facibus* ardentibus prodeunt obviam Pallanti Arcades." Vix ferat aliquis Servii et aliorum nugas. Virgilius, ni fallor, aliud voluit. Secundum interpretationem Heynii dicere debuerat: *faces rapuere et ad portas ruerunt.* Faces *funereae*, nescio quid hic significet nisi fortasse, *ut facibus in funere* uterentur. Quale epitheton valde esset otiosum. Virgilius *morem vetustum* Romanorum respexit, quem explicare conabor, ut alii deinde vel refutent vel confirment. Varro et Verrius Flaccus, ut discimus ex Servio, narrant: *Si filius familias extra Urbem decessit, liberti amicique obviam procedunt, et sub noctem in Urbem infertur cum cereis facibus praelucentibus, ad cuius exsequias nemo rogatur.*

Ordine flammarum, et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia iungit
Agmina. Quae postquam matres succedere tectis
Viderunt, maestam incendunt clamoribus urbem.
At non Euandrum potis est vis ulla tenere:
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque haeret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:

Haec Varro, in *Vita*, credo, *populi Romani*, et postea ex Varrone Verrius Flaccus. Notum est in Urbe funus appropinquare. Obviam eunt liberti et amici, (nemo invitatur) sine facibus. Faces inveniunt in pompa funebri, fortasse in curru vectas. Quisque, ut advenit, facem rapit, incendit, et funus sequitur. Tales faces recte appellantur *funereae*. Eodem respexit Ovidius VI. Metam. 430. *Eumenides tenuere faces de funere raptas*.

Et via vix tandem voci laxata dolore est. Varietas lectionum haec est: *mox tandem*, *vocis*, *voces*. Ego illud *dolore* nunquam ferre potui. Significare debebit *propter dolorem*. Sed humile et languidum est, post *Euandrum non potis est vis ulla tenere*, et postquam vidimus *patrem filio inhaerere lacrimantem gementemque*, subiungere *vix viam invenit voci dolore*. Verum erat vel *via laxata est voci*, vel *vox laxata est dolori*, vel *via vocis est laxata dolori*. Heinsius ad Ovidii Heroid. XV. 113. volebat *dolori*. Equidem Virgilii esse puto: *Et sua vix tandem vox est laxata dolori*. VIA et SVA non valde differunt, ut neque VOCES et VOXEST. Quod ad postremum *est* attinet, illud in uno MS. saepe addebatur, in altero omittebatur. Poetae hanc rem variis modis expressere. Exempla, quae propius ad Virgilianum accedunt, haec sunt: Statius Theb. V. 526. *tandem laxata dolore Vox invenit iter, gemitusque in verba soluti*. Ubi tamen Heins. ad locum l. Ovidii corrigit *dolori*. Ego scribendum puto *doloris*. *Vox doloris* tandem *laxata invenit iter*. Claudianus de Consul. VI. Honor. 265. *Ergo ubi praeclusae voci laxata remisit Frena dolor*. De Rapt. Proserp. 179. *postquam suspiria tandem Laxavit frenosque dolor*. Seneca Hippol. 995. *Vocem dolori lingua luctificam negat*. Iustin. XLII. 4. *Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud quam Pacorum vocabat*. Pulchre autem, *sua vox* dolori est laxata. Ovid. Metam. X. 506, *nec habent sua verba dolores*. Heroid. XII. 133. *iusto desunt sua verba dolori*. Conf. Heins. ad Metam. VIII. 884. *Dolor* igitur

Non haec, o Palla, dederas promissa parenti.
Cautius ut saevo velles te credere Marti!
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et praedulce decus primo certamine posset.
Primitiae iuvenis miserae! bellique propinqui
Dura rudimenta! et nulli exaudita deorum
Vota precesque meae! tuque, o sanctissima coniunx,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!

Euandri primum erat mutus, vocem non habebat; tandem *vix vocem invenit*, vox adeo, quae erat praeclusa, *laxabatur*. *Vocem dare magno dolori* legitur apud Statium Silv. V. III. 28. Haec de loco non facili: vulgatam tamen scripturam agnovisse videtur Quintil. Declam. IX. p. 195. *Ubi primum lux rediit, laxatumque est iter voci.*

Non haec, o Palla, dederas promissa parenti. Pro PARENTI scribendum indico PRECANTI. *Non haec, o Palla, dederas promissa precanti, Cautius ut saevo velles te credere Marti.* Sciebam quid nova gloria posset; ideo precabar ut cautus esses, cautior, quam te fuisse nunc apparet. Iam olim fuere, qui legerent *petenti*, ut novimus ex Servianis. Idque Heinsio et Heynio placebat. Wagnerus, quod edidit, interpretatur: »Utinam *velles* tum, quum te Marti credidisti, cautius credere." Dicerem Latinum esse *utinam voluisses*. *Petenti* Silius legisse videtur VI. 584. *Quoties, heu nate, petebam, Ne patrios iras animosque in proelio ferres.*

Quantum nova gloria in armis. Statius Theb. IV. 246. *tantum nova gloria suadet.* Silius V. 589. *dulcedine laudis Flagrantem et nimio primi Mavortis amore.* Conf. Burmannus ad Valerii I. 77.

Belliquo propinqui Dura rudimenta! Si bellum longius abfuisset, Pallas non fuisset missus. Et sic fere Servius. Valerius Fl. VI. 557. *semperque propinquas Riphea venali comitantem sanguine pugnas.*

Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem! Ipsa sententia satis cognita, et illustrata ab interpretibus Sallust. de B. Ing. 14. et Taciti Agric. 45. Ovidius Metam. XIII. 521. cogitabat hunc locum: *Felix morte sua, nec te, mea nata, peremtam Adspicit.* Caeterum *servari in dolorem*, *reservari ad dolorem*, exquisitae Latinitatis esse videtur, quam alii, ex Virgilio, secuti sunt. Quintil. Instit. Orat. VIII. 3. *mole usque in illum diem servati fato senes.* Silius XI. 361. *Servatus in arma Scipiadae Poenus.* Idem XI. 378. *lentus servatus ad iras.* ubi scribendum *in iras*. Seneca Octav. 70. *Nunc in*

Contra ego vivendo vici mea fata, superstes

luctus servata meos Magni resto nominis umbra. Ambros. de Excessu Satyri I. 33. *Felix tam opportune obitu, quia non est in hunc servatus dolorem.* Reservari *ad dolorem*, est apud Virgil. Aeneid. IV. 368. *Quae me ad maiora reservo.* Et cum dative, ut V. 625. *cui te exitio Fortuna reservat.* Appul. Metam. I. pag. 54. *Non misericordia meo iugulo pepercisse, sed saevitia cruci me reservasse.* Graece σταυρῷ φυλαττόμενος. Usitatum tamen et *servari calamitatibus.*

Contra ego vivendo vici mea fata. Ego haec non intelligo. Iam veteres hic laboraverunt, ut ex Servianis cognoscimus. Alii interpretabantur *fata* non *fatum proprium*, sed naturalem ordinem, ut senex prius moriatur; alii distinxisse videntur: *Contra ego vivendo vici* (*Mea fata!*). *Vivendo vici te*, est, diutius, quam tu, vixi. Heynius: »*Vitam protraxi longius*, quam natura ferre videbatur." Wagnerus: »Euander *vicit sua fata*, naturalem fatorum ordinem pervertens." Sed ordo fatorum ipse non est naturalis. Saepe fata non eunt ordine, et naturae sunt contraria. *Fata* et *natura* significationem habent non diversam, si agitur de *morte*, quam nos appellamus *naturalem*, oppositam morti *violentae.* Morbo morientes, sive sint pueri sive senes, *naturae et fati lege* moriuntur; *interfecti* vi ferro, contra *naturalem fati conditionem* moriuntur. *Naturalis fati conditio* legitur apud Iustin. II. 2. *Vivendo aliquem vincere* significat *diutius vivere quam aliquis;* vivendo *aliquid vincere* significat *vim rei*, *mortem minantis*, *superare.* Servius antiquam loquendi formulam sic illustravit: »*Veteres vivendo vincere* dicebant *supervivere:* ut II. Georg. 295. *Multa virum volvens vivendo saecula vincit.* Nam et in Togatis *victrices* appellantur, quae viros extulerunt. Plautus in Epidico II. 1. 8. *quia tibi licuit sum vivendo vincere.*" In Georg. legitur *durando.* Manet tamen, *durando vincit saecula*, dum ea saecula volvuntur. Atque ita Lucretius III. 961. *Omnia si pergas vivendo vincere saecla.* Sed ita intelligi non potest *vincere fata vivendo.* Oedipus apud Senecam dicit 1046. *fata superavi impia*, quia plus fecerat, quam erat praedictum. Neque hoc ad locum interpretandum valet. Quare cum puto esse corruptum, atque ita restituendum, ut pro VICI scribamus VIDI. *Contra ego vivendo vidi mea fata. Vidi ipse meam mortem*, meum funus. *Vivus vidensque sepelior.* Veteres sententiam variis modis expressere, partim de *calamitosis*, partim de *inertibus.* Lucretius III. 1059. *Mortua cui vita est prope iam vivo atque videnti.* Cicero pro Quint. 15. *Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur.* Maecenas apud Quintilianum Instit. Or. IX. 4. *Ne exsequias*

Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
Atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret!
Nec vos arguerim, Teucri, nec foedera, nec, quas
Iunximus hospitio, dextras; sors ista senectae
Debita erat nostrae. Quod si immatura manebat
Mors natum: caesis Volscorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros, cecidisse iuvaret.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Aeneas, et quam magni Phryges, et quam

quidem unus inter miserrimos viderem meas. Seneca Epist. 30. *Bassus noster videtur mihi prosequi se et componere, et vivere tamquam superstes sibi.* Seneca Phoen. 94. *Funus extendis meum, Longasque vivi ducis exsequias patris.* Conf. Lipsius ad Senecam de Tranquill. 3. Schultingius ad Suasor. 3. et Pricaeus ad Appul. Metam. IV. pag. 87. Hoc ergo vult Virgilius: Felix tua morte, uxor, quae hunc dolorem, ipsa morte graviorem, non videris. Ego contra vivendo, mea vivacitate miserrimus, vidi meam ipse mortem. Pro *vici*, in MSS. erat nonnullis *vixi*, *vinci*, *vinco*.

Superstes Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum Obruerent Rutuli telis! Post *genitor* requiritur elegans et triste oppositum *natus*. Ellipsis pronominis *me* post *obruerent* dura est. Pronomen vix desiderari potest. Fortasse haec ita sunt constituenda: *Contra ego vivendo vidi mea fata, superstes Restarem ut genitor, natum socia arma secutum Obruerent Rutuli telis! Animam ipse dedissem, Atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret!* Nimium vivendo in hanc aerumnam decidi, ut genitor superstes restarem, natum Rutuli interficerent. Ipse animam dare, et nunc pro Pallante sic domum referri debuissem. In his nihil mutavi, nisi NATVM pro TROVM. Addi *Troum* non erat necessarium. *Socia arma* sufficit. Animam *dedissem*, pro *dare debueram*, notum vel ex VIII. 643. *At tu dictis, Albane, maneres.* Plautus Menaechm. IV. II. 47. *At tu ne clam me comesses prandium.*

Cecidisse iuvaret. Alii *iuvabit.* Cum Heynio melius puto, sed ita explicandum arbitror. *Si omnino erat in fatis*, ut Pallas in flore aetatis moreretur, solatio mihi esse debet, quod ita mortuus est. Non aliam ei funeris pompam optare possem, quam qua Aeneas eum dignatur.

Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto;
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par aetas, et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?

Tyrrhenum exercitus omnis. Opinio Aeneae, Troianorum et Tyrrhenorum de Pallante apparebat ex eo, quod Aeneas partem utriusque exercitus legerat, ut funus comitarentur. Aderant trecenti Troiani, totidem Tyrrheni. Wagnerus, minus recte, puto, supra ad vs. 93. *Tyrrhenique omnes*, scripturam *omnes* probari arbitratur, quod hic nominatur *exercitus omnis.* Heynius illa *et quam Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis* pro insititiis habet. Wagnerus recte defendit, contendens *Tyrrhenos* non sine offensione hic praeteriri potuisse, repetitumque *Tyrrhenorum* vocabulum habere vim copulae. Quod addit, nullum in tot versibus imperfectis inveniri, qui quinque pedibus constet, hoc me quidem minus movet. Hoc per ipsam rei naturam rarius accidere debuit, nec versus in ultimum pedem duorum vocabulorum desinentes multi reperiuntur.

Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto. Heynius ex hoc versu hanc sententiam traxit: »Troes et Tyrrheni magna tropaea ferunt, eorum, quos dedit tua dextera leto." Virgilius hoc non tam obscure neque tam negligenter significavisset. Ficta sunt ex vs. 83. *Indutosque iubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces.* Ea hic repeti non erat necessarium. Versum delebant etiam Ortvinus et Brunckius, culpabat Heynius, et deerat in nonnullis MSS.

Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis. Pro *stares*, exspectaveram *portareris*, ut nunc portabantur *tropaea.* Quid sit *immanis* truncus, nemo accurate dixerit. *Armis* statim repetitur.

Esset par aetas, et idem si robur ab annis. Desierat poeta in *tua dextera, o Palla.* Orationem convertit ad Turnum. *Tu, o Turne, si par aetas esset, nunc quoque stares.* Vix aliter quam de ipsius Turni aetate accipi licet. Accipiendum tamen de aetate Pallantis. Heynius dicit fuisse virum doctum, nescio quem, qui haec expuncta maluerit.

Sed infelix Teucros quid demoror armis? Non demoratur Teucros armis, sed exiguam tantum partem, nec Teucros solos, sed etiam Tyrrhenos. Iterum non pulchre sequitur *moror.* Tum Euander *moratur* et *demoratur* Teucros, *arma* Teucrorum. Ita Lucanus VII. 295. *Sed mea fata moror, qui vos in tela ruentes Vocibus his teneo.* Statius Theb. I. 655. *Sed quid fando tua tela*

Vadite, et haec memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante peremto,
Dextera caussa tua est; Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
Fortunaeque locus. *Non vitae gaudia quaero:*
Nec fas: sed nato Manis perferre sub imos.

manusque Demoror? Euander Teucros, qui iam essent armati, *ab armis* demorari non poterat. Melius Statius Theb. IV. 774. *Sed quid ego haec, fessosque optatis demoror undis?* impedio, quominus statim, undis potiantur. Heiosius coniicit: *Teucros quid demoror ultra?*

Vadite. Optime cum antecedentibus, post deletos quatuor versus, cohaeret. Et tota Euandri oratio est sedata et constantiae plena.

Dextera caussa tua est. Hoc brevius: alii *est caussa vitae.* Iuvenalis Satyr. VIII. 84. *Et propter vitam vivendi perdere caussas.* Seneca Medea 147. *Haec caussa vitae est.*

Meritis vacat hic tibi solus Fortunaeque locus. Egregia est Servii interpretatio: »Nihil est aliud, quod possit vel virtus tua vel fortuna praestare, nisi ut, occiso Turno, et vindices filium, et patrem consoleris orbatum." Heynius dubitare videtur, an ea sententia ex istis verbis effici possit. Ego non dubito. Aeneas caetera omnia meritorum, virtutis, et fortunae loca impleverat. Hoc solum deerat, quominus summam absolvisset. Nihil deerit, si Turnum interfecerit. Cicero de N. D. I. 7. *Tres trium disciplinarum principes convenistis. M. enim Piso si adesset, nullius philosophiae vacaret locus.* Lucanus II. 583. *Pars mundi mihi nulla vacat, sed tota tenetur Terra meis, quocunque iacet sub sole, tropaeis.* I. G. Capoferreus in Animadv. ad Ovid. Metam. ed. Burm. T. II. p. 1092. 6. utitur his versibus: *meritis patet hic mihi primum Doctrinaeque locus.* Quos an ipse ex Virgilianis finxerit, ignoro.

Non vitae gaudia quaero. Inepta oratio illius, qui unicam vivendi caussam Pallanta amiserit. Nemo non videt, patri omne vitae gaudium periisse. Sed falsa est etiam sententia. Nam Euander revera unum vitae gaudium quaerebat, quaerebat haec gaudia sola, ut Turnum videret interemtum. Ideo *vitam morabatur* invisam. Ovidius hoc votum in Priamo bene expressit Metam. XII. 607. postquam Paris Achillem interfecerat: *Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset, Hoc fuit.* Euander adeo dicere non potuit, quod volebat Wagnerus: »Non mihi viventi, quo vitam mihi reddam iucundiorem, sed nato peremto quaero gaudia."

Sed nato Manis perferre sub imos. Difficile. Heynius putat in apographo

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores:
Iam pater Aeneas, iam curvo in litore Tarchon
Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum; subiectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine coelum.
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos; ter maestum funeris ignem
Lustravere in equis; ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma.
It coelo clamorque virum clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Coniiciunt igni, galeas, ensisque decoros,
Frenaque, ferventisque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clipeos, et non felicia tela.

Maronis versum vel defuisse vel excidisse. Idem putabat Brunckius. Heynius malebat *nato hoc*. Wagnerus *perferre* pro *nuntium perferre*, ut alii acceperunt, exemplis illustrat. Sed hinc oritur dura ellipsis *perferre mortem Turni*, vel simile. Verba, ut leguntur, vix aliam admittunt significationem, nisi hanc: *mihi non quaero vitae gaudia, sed vitae gaudia nato perferre quaero*. Quod loco et tempori non est consentaneum. Melior sententia ex his verbis nasceretur; *Meritis vacat hic tibi solus Fortunaeque locus. Sola haec mihi gaudia quaero; Nam fas; haec gnato Manis perferre sub imos*. Hoc Latinum esset. Ovidius Metam. V. 73. *Et tulit ad Manes iunctae solatia mortis*. Seneca versum nostrum cognovit in Herc. Oet. 1515. *Tartara et manes peto: Hanc tamen ad imos perferam laudem inclitam*.

Subiectisque ignibus atris. Malim cum Burmanno *atras*.

Ensisque decoros. Tam cari erant mortui, ut in rogos eorum pulcherrima quoque spolia iniicerent. Ne quis *decoros* inane epitheton habeat.

Ferventisque rotas. Horatius bene *rotas* appellat *fervidas*, celerrime circum metam agitatas. Hic excusari non potest, nisi ex regula de epithetis *simpliciter ornantibus*. Quae regula tamen, si in Homero valeat, ad Virgilium non sine multis exceptionibus accommodanda esse videtur. Pro FERVENTES coniicio FERRATAS. Ipse Virgil. Georg. III. 361. *Undaque iam tergo ferratos sustinet orbes*.

Multa boum circa mactantur corpora Morti;
Saetigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes. Tum litore toto
Ardentis spectant socios, semiustaque servant
Busta; neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit coelum stellis fulgentibus aptum.

Nec minus et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, et corpora partim
Multa virum terrae infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt;
Cetera, confusaeque ingentem caedis acervum,
Nec numero nec honore, cremant; tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam coelo dimoverat umbram:
Maerentes altum cinerem et confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terrae.
Iam vero in tectis, praedivitis urbe Latini,

Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt. Multa hic esse reprehendenda iudico. *Avecta tollunt* est *avehunt et tollunt.* Habemus ergo *avehunt*, *tollunt*, et *remittunt.* Nimium de una re, eaque tam simplice. Tum ratio Latinitatis poscit *sublata avehunt*, non *avecta tollunt.* Non ferendum tale hysteronproteron. Denique non video cur de *agris* dixisset poeta *avehunt*, de *urbe*, *remittunt.* Neque Latinum est *urbi*, nisi acceperis de *una urbe*, ut Heynius de Laurento. Wagnerus, cum Servio: *suae quemque urbi remittunt.* Recte. Sed ita pluralis requiritur, ut praecedit *agros*, non *agrum.* Poeta enim illud *suae quemque* non addidit. Quare scribendum puto: *avectaque partim Finitimos plaustris in agros urbisque remittunt.* Corpora *plaustris* in agros orbesque *avecta* remittunt. Ex PLOSTRIS (nam ita saepe pro *plaustris* scribebatur, pronuntiabatur semper), uno in litera aliqua commisso errore, praecipue nonnullis transpositis, facile nasci potuit TOLLVNT.

Cetera, confusaeque ingentem caedis acervum. Scio equidem, quae diligentissimus Wagnerus in Quaest. XXXIII. 7. de tali epexegesi disputat; praeferam tamen, si Codex haberet: *Ceteraque, ingentem confusae caedis acervum.*

Iam vera in tectis, praedivitis urbe Latini. Marklandus ad Statii

Praecipuus fragor, et longi pars maxima luctus.
Hic matres, miseraeque nurus, hic cara sororum
Pectora maerentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenaeos;
Ipsum armis, ipsumque iubent decernere ferro;
Qui regnum Italiae et primos sibi poscat honores.
Ingravat haec saevus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.

Silv. V. praefat. hunc locum magno mendo laborare dicit. Nihil praeterea. Burmannus coniicit *in tristi praedivitis*, vel *in tectis et divitis*. Heindrichius *arce Latini*. Wagnerus *tecto et praedivitis:* quamquam appositionem defendi posse arbitretur ex X. 601. *latebras animae*, *pectus:* displicet ei tamen *divitis*, praecipue *praedivitis*. Equidem nec tale in hac caussa epitheton, nec structuram verborum tam ingratam *tectis urbe Latini* tolerandam esse censeo. Loco PRAEDIVITIS scribendum puto ARDESCIT. *Iam vero tectis ardescit in urbe Latini Praecipuus fragor.* Virgilius adhuc descripserat luctum in campis, ubi socii sepeliebantur. Nunc describit luctum in oppido. Fragor praecipuus iam *ardescebat tectis*, per omnia tecta, per omnes domos in urbe Latini. *Ardescit*, ut XI. 607. *Adventusque virum fremitusque ardescit equorum.*

Hic matres, miseraeque nurus, hic cara sororum Pectora maerentum. Cara sororum pectora, vel sunt pectora, sinus sororum, ut Statius VII. Theb. 495. *nunc ipsam urgens, nunc cara sororum Pectora:* vel est periphrasis, *pectora sororum* pro *sorores*. Sed *cara pectora lugentur*, non *lugent*. Pater luget filium *carum*, non *carus* pater luget filium, nisi dicas: o fili, *carus te* pater luget. *Cari* sunt fratres mortui sororibus, *sororum caritas* a mortuis non sentitur. Omnino scribendum puto: *hic cara sorores Pectora maerentes;* illudque *cara pectora maerentes* referendum simul ad *matres*, *nurus* et *pueros*. Iosephus Iscan. B. Troi. VI. 78. *stant crine soluto Iliades, haec questa virum, natum altera, fratrem Multae, nunc pariter lugent, nunc singula plangunt.* Similis locus apud Diodor. Siculum XIII. pag. 554. *καὶ θεωρεῖν γονεῖς μὲν τέκνων ἀπώλειαν, ἀδελφὰς δὲ καὶ γυναῖκας ἀνδρῶν καὶ ἀδελφῶν οἰκτρὰν καταστροφήν.*

Ipsum armis, ipsumque iubent decernere ferro. Non requiro Bryantii *animis*. Non enim est otiosa oratio, sed quasi formula *ferro et armis*, ab historicis etiam usurpata. Iustin. I. 4. *Tractantique lanam ferrum et arma portantes parere.*

Multa simul contra variis seutentia dictis
Pro Turno; et magnum reginae nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropaeis.
  Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce, super maesti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum; nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quaerenda, aut pacem Troiano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Aenean manifesto numine ferri,
Admonet ira deum, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maximus aevo,
Et primus sceptris, haud laeta fronte, Latinus.

Multa simul contra variis sententia dictis. *Simul* hie non recte interpretari scio. Transponamus vocabnla *simul* et *virum*, legentea: *Multa virum contra variis sententia dictis Pro Turno:* et mox, *Multa simul meritis sustentat fama tropaeis.* In Mediceo Cod. a manu prima erat *multa simul meritis.* Drances ista ingravat. Contra autem aliorum virorum sententiae pro Turno eraut, eumque regina obumbrat, simulque fama sustentat.

Nihil omnibus actum Tantorum impensis operum. Valerius Fl.V. 300. *Nil domitis actum Symplegados undis.* Sulpitins Severus Histor. p. 610. *Nihil actum morte Priscilliani.*

Imperia accitos. Heynius: »Cum iis imperatum esset, ut venirent." Heindrichius: »*Quos adsciverat ad imperium*, quorum opera et consilio utebatur in republica gerenda." Heindrichius legisse videtur *adscitos.* Vis est in *imperio*, quod fere idem significat atque *pro imperio.* Erat pars regii imperii, honos regni, patres et populum convocare. Maiestas regia in eo cernitur.

Primus sceptris. Heynius: »*Primus inter reges* ae duces copiarum, qui auxilio venerant." Wagnerus spectare putat ad *regiam dignitatem* declarandam. *Primus* sceptris tamen, credo, comparationem aliquam indicat.

Atque hic legatos Aetola ex urbe remissos,
Quae referant, fari iubet, et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomedem Argivaque castra;
Atque iter emensi casus superavimus omnis;
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriae cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi:
Munera praeferimus, nomen patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quae caussa attraxerit Arpos.

Latinus convocaverat primos suorum. Erat magnum concilium. Ergo sedebat *primus inter primos*, medius, loco honoratiore, qui quum propter aetatem iam Latino deberetur, si esset inter pares, etiam debebatur regi, cui erat prima potestas.

Remissos. A Diomede, nec consecutos, quod petierant.

Diomedem Argivaque castra. In MSS. *Diomeden* et *Diomede.* Illud est contra metrum, hoc accusativus Latinus sine exemplo. Quod enim Graeci *Διομήδεα* contrahunt in *Διομήδη*, Latini non faciunt. Macrobius Saturn. V. 17. *Et talium nominum accusativus Graecus est in e desinens. Nam si quis eum putat Latine dixisse* Diomedem, *sanitas metri in versu desiderabitur.* Sed Latinus accusativus ipse hic requiritur, ne sanitas metri desideretur. Locus Macrobrii est corruptus. Pro *e*, in MSS. teste Heinsio legitur *en.* Verba Macrobii sic restituenda esse censeo: (Virgilius) *adeo autem et declinationibus Graecis delectatur, ut* Mnesthea *dixerit* pro Mnestheum. *Sicut ipse alibi:* nec fratre Menestheo. *Et pro* Orpheo *dicere maluerit* Orphi, *Graece declinando: ut* Orphi Calliopea, Lino formosus Apollo. *At:* vidimus o cives Diomedem. *Et talium nominum accusativus Graecus est in ea desinens. Nam, nisi quis eum putat Latine dixisse* Diomedem, *sanitas metri in versu desiderabitur.* Virgilius, dicit Macrobius, libens sequitur declinationem Graecam, ut in *Mnestheus* et *Orpheus.* Sed in *Diomedes* servavit accusativum Latinum. Quamvis et talia nomina desinentia in *des* accusativum habeant in *ea* desinentem, aeque atque nomina in *eus.* Graece dicitur *Diomedea*, ut *Menesthea.* Sed Virgilius hoc loco *Diomedea* scribere non potuit, quia metrum non ferebat.

Auditis ille haec placido sic reddidit ore:
O fortunatae gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quae vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violavimus agros
(Mitto ea, quae muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervae
Sidus, et Euboicae cautes, ultorque Caphereus.
Militia ex illa diversum ad litus abacti,
Atrides Protei Menelaus adusque columnas
Exsulat; Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque Penatis
Idomenei? Libycone habitantes litore Locros?
Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivum
Coniugis infandae prima intra limina dextra

Ignota lacessere bella? Quae ignoratis. Nam bella suscepistis cum gente, quae vinci non potest.

Scit triste Minervae sidus. Heynius *tempestatem a Minerva commotam* interpretatur. Nihil melius novi. Suspectum tamen hoc genus dicendi videtur. Tum *scit* de locis usurpatur, quae aliquid viderunt, ubi calamitas accidit. Scit Caphereus, non tempestas. Tempestas caussa fuit calamitatis, Caphereus vidit. Pauca de hac formula annotavit Gronovius ad Senecae Herc. Oet. 460. et Statii Theb. II. 108. Lucanus V. 109. *Ut Salaminiacum meminit mare.*

Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivum. Quid tibi referam Idomenea, quid Locros? Ipse Agamemnon occisus est ab uxore: cum ipse Agamemnon occisus sit. Wagnerus post *magnorum* putabat excidisse *ut.*

Coniugis infandae prima intra limina dextra. Heynius: »*Cum vix domum intrasset.*" Servius pro *ipso limine imperii*, *litore* accipit. Heynianum profecto melius, quamquam ne sic quidem satis distincte dictum. Additum oportuisset *domus* val simile. Praeterea Homerus, et Homerum secuti Tragici, faciunt Agamemnonem non in primo limine domus caesum, sed in convivio, quae res facti atrocitatem valde augel. Homerus Odyss. *Λ*. 408. Aegistheus, dicit Agamemnon, *σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ οἶκόνδε κα-*

Oppetiit; devictam Asiam subsedit adulter.
Invidisse deos, patriis ut redditus aris

λέσσας, convivio excepit. Atque hoc visu erat miserabile inprimis, *Ὡς ἀμφὶ κρητῆρα τραπέζας τε πληθούσας Κείμεθ' ἐνὶ μεγάρῳ.* Seneca Agam. 875. *Sanguinem extremae dapes Domini videbunt et cruor Baccho incidet.* Quid Macrob. Saturn. IV. 3, legerit, hoc quidem incertum est, sed *prima intra limina* legisse non videtur. Nam dicit: *Et ut Agamemnonem indigne ostenderet occisum, assumsit locum.* Nisi voluerit *in sua ipsius domo.* Tamen maior semper est atrocitas in convivio, et ita praeiverat Homerus, cuius *οὐλομένῃ ἀλόχῳ* quum Virgilius reddiderit *infandae coniugis*, caussam non video, cur caetera deseruisset. Pro *intra* in aliis est *inter.* Scribere igitur poterat pro PRIMA LIMINA —, BACCHI MVNERA. Pro *limina*, in aliis *lumina*, idque saepe confunditur cum *munia*, *moenia.* Et supra vs. 235. legitur *intra limina. Coniugis infandae Bacchi inter munera dextra Oppetiit.* In hilari convivio, ob reditum Agamemnonis celebrato, ubi tale scelus nemo suspicari posset. *Inter munera Bacchi*, ut Horatius Carm. IV. 15. *Inter iocosi munera Liberi.* Sic *inter pocula* et similia, de quibus Oudendorpius ad Sueton. Caesar. 4. Tale aliquid, quale nos coniecimus, in Virgilio legisse diceres Iuvenalem Satyr. VIII. 216. *Quippe ille deis auctoribus ultor Patris erat, caesi media inter pocula.* Satis constat Iuvenalem versus Virgilianos et memoriter tenuisse, eosque, ubi posset, imitando expressisse.

Devictam Asiam subsedit adulter. In insidiis domi apud Clytaemnestram sedit, ut Agamemnonem exspectaret, fructusque victoriae, *Asiam*, quasi *praedam*, exciperet. Male in quibusdam *devicta Asia.* Esset, quasi adulter *Asiam devicisset.* Elegans est glossa Vossiana ad Lucanum V. 226. »Dicunt, *subsidere* esse activum, pro *sibi subiicere per insidias et fraudem.*" Vide ibi Oudendorpium. Adde Fabritium ad Senecae Hippol. 52. *Tu praecipites clamore feras subsessor ages.* Quod optime explicatur ex Phaedri I. 11. *Contexit illum frutice, et admonuit simul, Ut insueta voce terreret feras, Fugientes ipse exciperet.* In *subsessoribus* igitur minor virtus, ut in Aegistheo, qui praeda, Clytaemnestra manu deiecta, potitus est. Adde Salvagnium ad Ovidii Ibin. 317. Quod Scholiasta ad eum locum citat versus Latinos Callimachi, hi non sunt ex Graecis veri Callimachi Latine redditi: sed ipse poeta ille Latinus se, in schola aliqua poetarum, vocabat Callimachum. Tales fuere Propertius, Ennius, Lucretius, Tibullus, quos idem memorat.

Invidisse deos, patriis ut redditus aris. Heynius per exclamationem accipit: Credatur aliquis! Nonne

Coniugium optatum et pulcram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt aethera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus implent.
Haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro coelestia corpora demens
Appetii, et Veneris violavi volnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum

durum est? Wagnerus putat tam subitum animi affectum reliquae orationi non convenire, ergo repetendum esse *referam*. Quod tamen cum durum sit, excidisse post *magnorum* particulam *ut*. Regna Neoptolemi referam? Referam ut Agamemnon oppetiit? *Referam illud, quod mihi accidit?* Equidem nihil mutem. Neque infinitivi isti semper adeo vehementem animi commotionem indicant. Est et sedate dolentium. Diomedes, calamitatibus aliorum memoratis, addit: Deos et mihi invidisse: cur et ego patria carere debebam! Nonne poena illorum sufficiebat? Valerius Fl. in eodem verbo, II. 375. *Invidisse deos tantum maris aequor adortis.* Wagnerus edidit *aris*. MSS. variant inter *aris*, *oris*, *agris*. Praefero *oris*. Affectatum est *reddi aris*, quando simpliciter de reditu in patriam agitur. MSS. non satis fidere licet. Vocabula ista perpetuo confunduntur. Vide interpretes ad Ovid. Metam. XIV. 476. et Silii XIII. 81. Aliud est reddi *aris focisque*, *diis patriis et coelo*, similia.

Et socii amissi petierunt aethera pennis. Iam olim, teste Servio, legebatur *admissis*. In MSS. quibusdam *admissi*. Schottus volebat *amissis*, hoc est, *emissis*. Recte animadvertit Wagnerus *celeritatis* notionem ab hoc loco esse alienam. Heynium offendit sonus *socii amissi*. Me et ista omnia offendunt, at *pennis* sic positum sine epitheto. Pro AMISSI, Virgilium scripsisse credo SVMTIS. *Et socii sumtis petierunt aethera pennis.* Socii, in aves mutati, pennas accipiebant et avolabant. Ovidius Metam. IV. 560. *Pars volucres factae: quae nunc quoque gurgite in illo Aequora destringunt sumtis Ismenides alis.* Ubi plura Heinsius.

Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum Pergama. Diomedes apud Ovid. Metam. XIV. 462. suas vires excusat. Quod notandum, quia Ovidius in aliis Aeneidem plane sequitur.

Pergama; nec veterum memini laetorve malorum.
Munera, quae patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aenean. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clipeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo praeterea tales Idaea tulisset
Terra viros, ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Graecia fatis.
Quidquid apud durae cessatum est moenia Troiae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium
Haesit, et in decimum vestigia retulit annum.
Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis:
Hic pietate prior. Coeant in foedera dextrae,
Qua datur; ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quae sint, rex optime, regis

Quantus In clipeum assurgat. Statius Achill. I. 485. *Odrysiam Gradivus in hastam Surgeret.* Male hinc Orosius VII. 33. *in arma surgere*, pro *arma sumere.* Adsurgit *in clipeum*, est adsurgit ita ut habitus adsurgentis praecipue in *sublato clipeo appareat.* Talia sunt Plauti Captiv. IV. II. 25. *in ventrem sumsit confidentiam.* Virgilius XII. 104. *irasci in cornua.* Irasci et *iram cornibus ostendere.* Ovidius Metam. V. 547. *in caput crescit.* Idem X. 538. *celsum in cornua cervum.* Statius Theb. I. 414. *Celsior ille gradu procera in membra.* Adde Oudendorp. ad Appul. Metam. I. p. 93.

In decimum vestigia retulit annum. Messala apud Senecam Suasor. II. pag. 23. dicebat haec esse explementum, et Virgilium debuisse desinere in *haesit.* Schultingius *explementum* interpretatur *non a Virgilio profectum.* Messala sic non cogitavit. Alioquin non dixisset Virgilium in *haesit* debuisse desinere. Virgilius non desiit, sed alia, ut versum expleret, adiecit, ex opinione Messalae. Mihi tale supplementum, ne in oratione quidem soluta displiceret. *Quod cessatum est*, accuratius explicatur, enumeratis annis. Est autem oratio anacolutha. *Quod ad illud attinet*, quod cessatum est ad Troiam — *victoria primum haesit*, non, ut inceperat, ad Graios perrexit, deinde a Graiis recessit, idque virtute Aeneae et Hectoris. Pro *cessatum*, in MSS. Frontonis pag. 490. *cassatum.*

Audisti, et quae sit magno sententia bello.
Vix ea legati; variusque per ora cucurrit
Ausónidum turbata fremor: ceu saxa morantur
Cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur,
Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
Ut primum placati animi, et trepida ora quierunt,
Praefatus divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros assidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente deorum
Invictisque viris gerimus: quos nulla fatigant
Proelia, nec victi possunt absistere ferro.

Et quae sit magno sententia bello. Heynius: »*Bello* paullo durius seu tertio casu, quod ad bellum attinet, seu pro *de bello.*" Wagnerus: »*Bello* est ablativus, structura ad Graecam rationem non satis recte, ut videtur, accommodata." Virgilius, credo, Graecismum tam obscurum Latinitati non intulisset. Facillima erat emendatio: *et quae de magno sententia bello.* Audivisti et quae sint responsa Diomedis, et quae sententia de bello. *Sit* non opus erat repeti. Opus erat *de*, si Latine loqui vellet poeta.

Praefatus divos. Servius: »*More antiquo: nam maiores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant. Sicut sunt omnes orationes Catonis et Gracchi.*" Elegans de hoc more est locus Plinii Panegyr. 1. *Bene ac sapienter maiores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere: quod nihil rite nihilque providenter homines, sine deorum immortalium ope, consilio, honore, auspicarentur.* In principio etiam librorum deos invocabant, ut Varro I. 1. *de re rustica.* Livius in Praefatione, quo erat antiquo animo, et hanc, si posset, pietatem revocare vellet.

Non tempore tali. Valer. Fl. V. 535. *cuperem haud tali vos tempore tectis Advenisse meis, quo me gravis adsidet hostis.* Vide Heinsium.

Nec victi possunt absistere ferro. Ne victi quidem a se impetrant, ut arma deponant. Tam molesti aliis sunt. Ita vs. 325. *possuntque solo decedere nostro.* Ovidius Metam. XIV. 567. *Posse metu monstri Rutulos desistere bello.* Lactantius Institut. III. 8. cogitabat Virgilium, dicens: *cur ne victi quidem absistant.* Multi olim

Spem si quam adscitis Aetolum habuistis in armis,
Ponite. Spes sibi quisque. Sed haec, quam angusta, videtis.
Cetera qua rerum iaceant perculsa ruina,
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso. Potuit quae plurima virtus
Esse, fuit. Toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quae sit dubiae sententia menti,
Expediam, et paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, finis super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent collis, atque horum asperrima pascunt.

hanc formulam explicaverunt, quasi nihil fere significaret, nisi quod additum verbum significat, v. c. Burmannus ad Phaedri I. 15. Si exempla inspicias, haud raro suam inesse vim cernes, et *possum facere* non esse idem atque *facio*. Adde Schultingium ad Senecae Controv. I. pag. 67.

Adscitis. Ita Heinsius ex optimis MSS. qui et conferatur ad Ovidium Metam. XV. 625. Alii *accitis*.

Spes sibi quisque. Veteres Grammatici iungebant: *ponite spes sibi quisque*. Vel additum *sibi quisque* eos docere potuisset iungenda esse *spes sibi quisque*. Et dicendi ratio, et ipsa sententia est nota. Quintilianus Declam. XII. pag. 247. *Iam tantum sibi quisque cura est*. Silius IX. 33. *Dux sibi quisque viam rapito*. XV. 571. *Hortatur sibi quisque*. Tale est illud Plauti: *ipse mihi sum puer*, et similia. De sententia, Sallustius Iugurth. 60. *Neque alius in alio magis, quam in sese spem habere*. Livius IX. 23. *Nullam alibi, quam in semet ipse cuiquam relictam spem*. Heinsius ad Ovidium Metam. I. 59. versum ita citavit: *ponite spes sibi quisque suas*. Imprudens, ni fallor, et ex memoriae errore. In vulgatis exemplaribus Martiani Capellae III, legebatur: *Ponite spes quisque suas*. Et Latinus Grammaticus Huidecoperi in Bibliotheca Leidensi: »Est ubi abiicitur *s* sola. Ut: *ponite spes sibi quisque suas*." Legebat homo indoctus: *ponite spes sibi quisque suas Haec angusta videtis*. Metrum quidem *ponite spes* — me non sollicitat. Sententia in *ponite* finitur. A *spes sibi quisque* nova sententia incipit. Non erat cur Burgessius omnia post *ponite* deleret: nec, si deleas, *cetera qua rerum iaceant perculsa ruina*, habent quo bene referantur.

Atque horum asperrima pascunt. Videri potest illud *horum* esse humi-

Haec omnis regio, et celsi plaga pinea montis,
Cedat amicitiae Teucrorum; et foederis aequas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus;
Considant, si tantus amor, et moenia condant.
Sin alios finis aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore navis,
Seu pluris complere valent: iacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Praecipiant; nos aera, manus, navalia demus.
Praeterea, qui dicta ferant, et foedera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu praetendere ramos;
Munera portantis aurique eborisque talenta
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.
Tum Drances, idem infensus, quem gloria Turni

lius. Quamquam poetae non ita cogitaverint, ut Virgilius VII. 94. *mactabat rite bidentes, Atque harum effultus tergo stratisque iacebat.* Ovid. Metam. I. 479. *Carminibus grates, et dis auctoribus horum:* Virgilium tamen hic aliud scripsisse maluissem. Elegantius v. c. *Exercent colles et saxa asperrima pascunt.*

Possuntque solo decedere nostro. Alii *poscuntque.* Alterum melius. Si relinquere Italiam possunt, quod dubito, quia tot aerumnas toleravere, ut invenirent, et nunc tam fortiter pugnavere, ne eiicerentur. Tales non facile a se impetrare poterunt, ut deserant.

Aera. Curtius X. 1. *Materia in Libano monte caesa, ingentium carinas navium ponere. Cypriorum regibus imperatum, ut aes, stuppamque et vela praeberent.*

Munera portantis aurique eborisque talenta. Talenta *eboris*, mihi suspectum est. Nusquam alibi in donis legitur. Virgilius *auri* et *argenti* addit. Pro EBORIS melius legeretur AERIS. *Aurique aerisque talenta.* Aes censetur in pecunia. Apud Homerum χαλκός τε χρυσός τε. Silius XI. 263. *Quot bello pateant argenti aerisque talenta.*

Tum Drances, idem infensus. Difficultas est in *idem.* Servius:

Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens; genus huic materna superbum

»*Idem, qui supra* apud Aenean egerat." Sed, ut animadvertit Wagnerus, vix ad illa tanto ante acta nobis respicere licet. Neque poeticum esset, *idem ille* Drances, de quo supra dixi. Heynius tamen coniicit: *Tum Drances idem, infensum quem gloria* sq. Wagnerus totum locum ita constituit: *Tum Drances, lingua melior, sed frigida bello Dextera, consiliis habitus non futilis auctor, Idem largus opum, infensus, quem gloria Turni Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris, Seditione potens* cet. Mox tamen *idem* explicat, ut ad omnia spectet, quae de Drance praedicantur; Drances *et infensus et largus opum* cetera. Ego pro IDEM omnino legendum arbitror PRIDEM. Iam veteres simultates inter Drancem et Turnum exstabant, ideo ira et oratio nunc est vehementior. Valerius Fl. sic legisse videtur, VI. 43. *iam pridem infensus Anausis, Pacta quod Albano coniux Medea tyranno.* Adde imitationes Silii II. 276. ubi omnia Virgiliana sequitur: *sed olim Ductorem infestans odiis gentilibus Hannon.* Idem IV. 770. *petebat Hannibalis prolem discors antiquitus Hannon.* Et XI. 542. *retro conversus in ora Hannonis vultus, quem gliscens gloria pravum Ductoris studio iam dudum agitabat acerbo.* Silius Ital. tribus locis Virgilium ante oculos habuit, illudque *pridem* ter expressit, quia vim in eo sitam animadvertit. Dixit enim, *olim*, *antiquitus*, *iam dudum.*

Stimulisque agitabat amaris. Silius VII. 512. *mentes invidiae stimulo fodit.* Epitheton *amaris* mihi suspectum videtur. Graeci tamen et βέλεμνα appellant πικρά.

Et lingua melior, sed frigida bello Dextera. Concinnius Sallust. B. Iug. 44. *Lingua quam manu promtior.* Ovidius Metam. IX. 29. *melior mihi dextera lingua.* Virgilius suam orationis formam praetulit. Potuisset enim: *Largus opum, melior cui lingua, at frigida bello Dextera.* Vel adeo transpositis vocabulis: *Largus opum, lingua melior, nec futilis auctor Consiliis habitus, sed dextera frigida bello;* vel: *lingua et melior, sed frigida bello Dextera.* Ita *lingua* esset nominativus.

Futilis. Servius: »*Futile* vas quoddam est ore lato, quo anguste utebantur in sacris Vestae." Vossius in Annot. MS. hic emendat *antistitae.* Sic enim Vestalium praesides appellabantur.

Genus huic materna superbum Nobilitas dabat. Silius III. 246. *cui vano corda tumore Maternum implebat genus.* Hegesippus de Excid. Hieros. I. 44. *quibus materni generis nobilitas animos dabat.*

Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;
Surgit, et his onerat dictis atque aggerat iras.
Rem nulli obscuram, nostrae nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cuius ob auspicium infaustum moresque sinistros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu, dum Troia tentat
Castra, fugae fidens, et coelum territat armis.
Unum etiam donis istis, quae plurima mitti
Dardanidis dicique iubes, unum, optime regum,
Adiicias; nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenaeis
Des, pater, et pacem hanc aeterno foedere iungas.
Quod si tantus habet mentis et pectora terror:
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso;
Cedat, ius proprium regi patriaeque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula civis
Proiicis, o Latio caput horum et caussa malorum?

Incertum de patre ferebat. In Rom. Cod. et aliis *ferebant.* Melius, ni fallor. Homines ferebant, narrabant. Turnus *fert genus*, pro *habet*, nescio an satis Latinum sit. *Referre* invenitur.

Rem — Consulis. De re consulis. Vide Burm. ad Ovidii Pont. II. IX. 34.

Pacem hanc aeterno foedere iungas. In aliis *firmes.* Quod praefero. Pax etiam sine isto foedere et matrimonio iungeretur. Sed iungenda pax hoc foedere in aeternum *firmaretur.*

Ius proprium regi patriaeque remittat. Heynius coniicit *patrique.* Brunckius *regique patrique.* Melius, et magis rhetoricum: nam oratio est rhetorica; et Virgilius hic ostendit, quam difficile sit, labe saeculi manere prorsus intactum. Cedat regi suum ius, qui in rege quoque pater est, et in patre rex, ut Ovidius dixisset.

O Latio caput horum et caussa malorum? Lactantius Instit. II. 8. *quod tandem sit caput horum et caussa malorum.*

Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en, supplex venio. Miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi. Sat funera fusi
Vidimus, ingentis et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est:
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia coniunx,
Nos, animae viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et iam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum adspice contra,
Qui vocat.
  Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum, cum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis,
Quae tuto tibi magna volant, dum distinet hostem

Nulla salus bello. Ovidius Amor. I. II. 21. *Nil opus est bello, pacem veniamque rogamus.*

Nos, animae viles, inhumata infletaque turba. Iuvenalis Satyr. XIII. 142. *Nos viles pulli, nati infelicibus ovis.* Ibi vetus Schol. Virgilium citavit. Scholiastae illi Virgilium fere memoriae mandaverant, in qua re diligentiam recentiorum interpretum saepe desideres. Valerius Fl. VI. 651. scripsit: *flexit ad ignotum caput infletumque Monaesi.* ubi nemo Virgilii meminerat. Quum Lautius in Orosio III. 9. emendabat: *infletaeque iam undique catervatim strages egerebantur*, pro *inflictae;* Havercampus illud *infletae* inveniri nesciebat, fictumque a Lautio vocabulum putabat.

Qui vocat. In Cod. Leidensi suppletum: *audacem solum te in proelia dura.*

Tum, cum bella manus poscunt. Salmasius Epist. pag. 25. citat *nunc.* Ex memoria.

Quae tuto tibi magna volant. Valerius Fl. V. 600. *non frustra magna*

22*

Agger moerorum, nec inundant sanguine fossae.
Proinde tona eloquio; solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance, quando tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropaeis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quaerendi nobis: circumstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim
Sanguine, et Euandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere saeptus.

superbo Dicta volant, ait, et vocem paria arma sequuntur. Statius Theb. III. 661. *tibi tuto Nunc eat iste furor.*

Distinet hostem. Eleganter defendit Wagnerus. Alii *detinet. Distinet*, *separat* et arcet ab altera ripa. Ambrosius in Excessu Satyri I. 31. *tam tenui discrimine tuos ab hoste distineri.* Est Homericum *διείργειν.*

Tot stragis acervos Teucrorum. Minus elegans versus. Durum, *dedit tot acervos stragis Teucrorum.* Malnissem *tot stragis acervos Dardaniae tua dextra dedit. Teucrorum* nasci potuit ex glossa. Virgilius X. 245. *Ingentes Rutulae spectabis caedis acervos.* XI. 207. *ingentem confusae caedis acervum.*

Semper erit? In Mediceo a manu prima suppletur: *nequidquam armis terrebimus hostem.* In Leid. *nunquamne sines fallacia verba.*

Haud ita me experti Bitias. Silius XII. 501. *Haud ita me experti Fabius, Fabiique magister.*

Et quos mille die victor sub Tartara misi. Quid est *die?* An *uno die*, an *clara luce*, non furto noctis? Ego malim pro DIE scribere ALIOS. Pandarus et Bitias haud ita me experti sunt, et mille alii, quos ad Tartara misi, idque muris hostium inclusus.

Nulla salus bello. Capiti cane talia, demens,
Dardanio, rebusque tuis. Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victae; contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt:
Nunc et Tydides, et Larissaeus Achilles;
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.

Capiti cane talia, demens, Dardanio rebusque tuis. Livius XXX. 28. *Huius tantae dimicationis vatem Fabium haud frustra canere solitum.* Statius Theb. X. 724. *sibi callidus ista Tiresias nataeque canat.* *Rebus tuis* non multum differt a *tibi.* Plautus Psend. III. I. 13. *Nunc nescio hercle rebus quid faciam meis.* Nepos Agesil. 2. *Suis rebus abalienaret.* Horatius Epod. IX. *Curam metumque Caesaris rerum iuvat Dulci Lyaeo solvere.* Carm. Saecul. *Divum pater annuisset Rebus Aeneae potiore ductos Alite muros.* Hinc emendanda puto Enniana apud Ciceronem de Divinatione I. 48. *Sic exspectabat populus, atque ora tenebat Rebus, utri magni victoria sit data regni.* *Ora rebus tenere* pro *rebus intenta* etiam Moserus duriuscule dictum iudicat. Verum puto: *Sic exspectabat populus, atque ora tenebat, Rebus utri magni victoria sit data regni.* *Utri* pro *utrius.*

Proinde omnia magno Ne cessa turbare metu. Heynius *proinde* non suaviter repeti indicat. Praecessit vs. 383. *Proinde tona eloquio.* Est illud intervallum non quidem exiguum, repetitur tamen *proinde*, eadem connectendae orationis forma, in eodem Turni responso.

Arma tremiscunt. Non bene repetitum *arma*, quod in antecedente versu iam legitur.

Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas. Tanaq. Faber in Epist. pag. 309. »*Istud* amnis Aufidus *mihi segnius est, et ignavius est, hoc quidem loco, quam ut id Virgilianum possim credere:* legendum itaque puto: *Amnis et Adriacas retro fugit Appulus undas.*" Faber erat elegantissimi ingenii vir et acuti indicii, tenebatque eam in hoc literarum genere viam, qua deinde et Bentleius paucique alii incesserunt. Bentleius ad Manilium III. 272. dicit talia, quale *amnis Aufidus, amnis Nilus*, esse potius Geographi quam poetae. Et Cuninghamus, quamquam eum minus moror, emendabat *Omnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.* Burmannus neque Fabro neque Bentleio assentitur. Sed quid opponit? »*Fabrum*, ait, *refutat vir doctus* in Miscellan. Observ. Crit. Vol. I. pag. 23. *Neque ergo apud Ovidium* Metam. V. 47. flumen Ganges *tole-*

Vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit

rari debet, *nec* frigidus amnis *apud Claudianum* Consul. III. Honor. 99." Sed quid vir ille doctus ad Fabrum refutandum? Nihil usitatius esse, dicit, tam in prosa quam ligata oratione, quam *amnis Tiberinus*, *Nilus amnis*, *Indus flumen*. Burmannus duo exempla adiecit, hoc e Claudiano, illud ex Ovidio. Argumenta huiusmodi nihil valent. Quod Ovidius et similes Ovidio, eoque peiores poetae sibi permisere, hoc in Virgilio non excusandum. Sed Ovidius, ut Lucanus et alii, posuit in simplice narratione: *Indus Athis*, *quem flumine Gange Edita Limnate vitreis peperisse sub antris Creditur.* In qua re *amnis Ganges*, tolerari potest. Quamquam Virgilius, qui melius tenebat discrimen inter orationem solutam et ligatam, abstinuerit, dixeritque *Caeritis amnem* VIII. 597. quod ipsum est magis poeticum, quia *Caeritis amnis*, est *amnis dei* fluvii Caeritis. In Aeneid. VI. 550. non dixit *amnis Phlegethon*, sed *rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon.* VII. 729. *amnisque vadosi Accola Vulturni.* Aeneid. IX. 125. non legitur *amnis Tiberinus*, licet tum *Tiberinus* esset adiectivum, sed *amnis cunctatur*, et *Tiberinus* (deus fluvii) *revocat pedem.* Aeneid. VII. 516. *audiit amnis Sulphurea Nar albus aqua.* Iam Virgilium nusquam dixisse apparet *amnis Caeres*, *Phlegethon*, *Tiberinus*, *Nar.* Quare dixisset *amnis Aufidus*, eo loco, ubi minime omnium decebat? Atque hoc Faber sensit; non senserunt, qui Fabrum refutarunt scilicet. Faber addidit *hoc quidem loco.* Vere. Nam vehementissima est oratio Turni, et plena rhetorici spiritus. A quo quam alienum sit *amnis Aufidus*, nemo non videt, qui videre velit. Horatii Carm. IV. 4. *Testis Metaurum flumen*, si quis uti velit contra nos, non movemur. Nam *Metaurum* est adiectivum. Pulchra imago et dignis verbis depicta *Aufidus retro fugit undas Hadriacas.* Sed omnis color corrumpitur adiecto fatuo *amnis.* Quare, nisi cui melius in mentem veniat, vel accipienda est emendatio Fabri, vel nostra haec: *Agmine et Hadriacas verso fugit Aufidus undas.* Qui literarum ductus in AMNIS et AGMINE, in RETRO et VERSO perpendat, is non multum a nobis esse mutatum fatebitur. Quam Latinum sit *agmine verso*, exempla docebunt. Virgilius Georg. I. 322. *Saepe etiam immensum coelo venit agmen aquarum.* Aeneid. II. 782. *Inter opima virum leni fluit agmine Thybris.* Macrobius cum Euniano comparavit: *Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen.* Unde et Lucretius V. 272. *fluit agmine dulci.* Neque interpretes latuit imitatio Statii Theb. I. 356. *ruit agmine facto Inachus*, *et gelidas surgens Erasinus ad Arctos.* *Ruit agmine facto*, ut Virgilius *agmine verso.* Et flumen *aquas*

Artificis scelus, et formidine crimen acerbat.

vertit, ad fontes rediens. Ovidius Heroid. V. 31. *Xanthe retro propera, versaeque recurrite lymphae.* Formam versus Virgiliani expressit Lucanus II. 407. *Hadriacas qui verberat Aufidus undas.*

Vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit. Quintilianus Instit. Orat. IX. 3. »*Alia commendatio vetustatis, cuius amator unice Virgilius fuit*, Vel cum se pavidum contra mea iurgia iactat: Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci audierat. *Quorum similia apud veteres Tragicos Comicosque sunt plurima. Illud etiam in consuetudine remansit* enimvero. *His amplius apud eundem:* Nam quis te iuvenum confidentissime — *cum quis sermonis initium sit. Et:* Tam magis illa tremens, et tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae. *Catullus in Epithalamio:* Dum innupta manet, dum chara suis est: *cum prius* dum *significet* quoad, *sequens* usque eo." Heinsius putabat Quintilianum pro *mea* legisse *mis*, inqua ea re archaismum esse situm. Burmannus *vel cum se* pro *cum se vel pavidum* esse scriptum arbitratur. Gesnerus in Quintiliano aliquid excidisse credit, vetustatem tamen in usu vocabuli *vel* quaerendam. Spaldingius ponit in vocabulis *vel cum*, ubi omne id, quod protasin sequi debebat, lectori intelligendum relinquatur: Wagnerus deniqua in *pavidum contra iurgia.* Ego totum Quintiliani locum dedi, ut lectores mecum viderent, Virgilium commendationem vetustatis petiisse in *vel*, quod esse debuit antiquum, ut *sed enim*, *nam quis*, *tam magis*, *dum:* ergo in particulis, de quibus hic tantum loquatur. Habet autem particula *vel* hoc vetustum, ut significet: *quid opus est longe exempla quaerere; vel hoc, quod afferam, praecipue probat, quod volo; hoc, verbi caussa, statim sufficit.* Exprimit fere Graecum αὐτίκα γάρ, εὐθὺς γάρ. Plautus Miles Glor. I. 1. 59. *Amant te omnes mulieres, neque hercle iniuria, Qui sis tam pulcher; ut vel illae, quae here pallio Me reprehenderunt.* Idem in Poenulo IV. 1. 2. *Studeo hunc lenonem perdere: Velut meum herum miserum macerat.* Pacuvius in Oreste, ut videtur, apud auctorem librorum ad Herennium II. 23. *Id magi' verisimile esse usus reapse experiundo edocet. Veluti Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est.* Terentius in Hecyra I. 1. 1. *Per pol quam paucos reperias meretricibus Fideles evenire amatores, Syra: Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi.* Horat. Epod. XII. *Vel mea quam saevis agitat fastidia verbis.* ubi alia ad hanc particulae vim illustrandum attuli. Nunc potissimum ex Comicis et Tragico exempla quaesivi, quae plura in Terentio reperiuntur, quia Quintilianus ad veteres *Comicos et Tra-*

Nunquam animam talem dextra hac (absiste moveri)

gicos provocavit. Adde Horatium Satyr. II. VII. 95. *Vel quum Pausiaca torpes, insane, tabella, Qui peccas minus atque ego?* Pro *fingit*, Quintilianus legit *iactat*. Idque in duobus MSS. invenitur. Interpretes silentio praetermisere, quum tamen auctoritas Quintiliani omnibus MSS. nostris sit antiquior. Ego *iactat* verum iudico. Turnus respondet ad illud Drancis: *invisum quem tu tibi fingis, et esse Nil moror*. Sed scribendum puto: *Vel cum se impavidum contra mea iurgia iactat. Fingit* et *iactat* se *impavidum contra iurgia* magis Latinum est, quam *pavidum contra iurgia*. Tum *iactat* omnino requirit *impavidum*. *Pavore* nemo se *iactat*. Et Drances in omni oratione videri vult *non esse pavidus*. Dicam, inquit, licet arma mihi mortemque minetur. Cuncti fatentur scire quid fortuna populi ferat, sed dicere non audent. Et tamen magno artificio speciem formidinis prae se fert, quamquam iactet se esse impavidum. Nam in illis: *licet arma mortemque minetur*, est tacita metus significatio; praecipue autem metus simulatur, quando ait: *Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso.*

Artificis scelus, et formidine crimen acerbat. Accipiunt *scelus artificis*, pro *scelesto artifice*. Habemus ergo: *vel quum scelestus artifex se pavidum fingit et crimen acerbat.* In qua oratione non est apodosis, nec facile intelligitur, quomodo sit supplenda. Sed etiam *scelus artificis* non recte se habet. Significat enim *scelus, quod artifex et auctor sceleris patravit.* Sic posuit ipse Virgilius Aeneid. II. 125. *mihi iam multi crudele canebant Artificis scelus.* Sallustius B. I. 35. *sicarios* vocat *talis negotii artifices.* Seneca Agam. 983. *Etiam monebit sceleris infandi artifex.* Vide Rittershus. ad Guntheri Ligurin. V. 217. *artifices scelerum.* Quare, quod iam olim ad Horatii Epod. XII. conieci, idem et nunc coniicio: *Artifici scelere et formidine crimen acerbat. Artifex scelus*, est *arte et dolo* compositum, ut *artifex vultus, sermo, forma*, de quibus Heinsius in Adversar. II. 6. Pro *acerbat* male in quibusdam *acervat*. Drances iactat quidem se esse *impavidum*, tacite tamen se magnopere timere significat, ut accusationem meam faciat acerbiorem, regisque et populi misericordiam excitet. Sed *acervat* ortum est ex diversa scribendi oratione, pro *acerbat*. Conf. interpretes ad Valerii Fl. VI. 655. et Silii VI. 117. Versus igitur Virgiliani meo iudicio sic legendi sunt: *Vel cum se impavidum contra mea iurgia iactat, Artifici scelere et formidine crimen acerbat.* Ne cessa, o Drance, omnia metu turbare. Nunc, o cives, ut ille dicit, Graeci timent Troianos, et Aufidus terrore correptus, ad fontes suos relabitur.

Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te, et tua magna, pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum:
Oremus pacem, et dextras tendamus inertis.
Quamquam, o, si solitae quidquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis, et adhuc intacta iuventus,
Auxilioque urbes Italae populique supersunt;
Sin et Troianis cum multo gloria venit
Sanguine; sunt illis sua funera, parque per omnis
Tempestas; cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis aevi

Sed sensus populi metu perturbare ei non satis est: me quum accusat, hanc accusationem formidine astute simulata acerbat. Quid plura de Drance dicam? Vel hoc, quod praecipuum est, cognoscite: ex eo enim, qualis sit, indicabitis.

Neque habet Fortuna regressum. Non recte in nonnullis *recursus.* Statius Silv. III. III. 157. *seu blanda diu Fortuna regressum Maluit.*

Ne quid tale videret. Ovidius Metam. II. 812. *Saepe mori voluit, ne quidquam tale videret.*

Humum semel ore momordit. Pessime Burmannus in Anthol. Tom. I. pag. 88. coniicit *simul.* Recte Servius: »*Quasi nihil ultra passurus.*" *Semel*, ut ἅπαξ, momordit, et sic *in perpetuum liberatus est a talibus videndis.* Livius XXV. 6. *hostis est datus, cum quo dimicantes, aut vitam semel aut ignominiam finirent.* Vide Burmannum ad Ovid. Metam. VI. 511. et Wagnerum ad h. l. Virgilii.

Sunt illis sua funera. In aliis *suntque;* quod praefero.

In limine primo Deficimus? Seneca Epist. 92. *in summo clivo deficere.* Conf. Heinsius ad Ovid. Heroid. XX. 41.

Variique labor mutabilis aevi. Heynius: »*Labor aevi* pro *aevo* simpliciter cum notione *aerumnae*, quae

Retulit in melius; multos alterna revisens
Lusit et in solido rursus Fortuna locavit.

in aevo toleratur, adiecta." Equidem sic explicandum arbitror. Ut tempus et aevum dicitur *labi*, hoc est *currere*, praeterire, v. c. Ovid. Metam. XV. 179. *ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu:* ita *labor aevi* est perpetuus ille motus aevi, qui nunquam cessat, adeo ut aevum neque stet neque quiescat. Inque ea notione ipsa temporis *diuturnitas* continetur. Valerius Flaccus II. 619. *Sic pelago pulsante, reor, Neptunia quondam Cuspis, et adversi longus labor abscidit aevi: Ut Siculum Libycumque latus.* Ubi *labor aevi* idem est, quod Virgilius in re simili dixit Aeneid. III. 414. *Haec loca — Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas, Dissiluisse ferunt — pontus Hesperium Siculo latus abscidit.* Valerius ista Virgilii tantum variavit. Claudian. in Eutrop. I. 287. *Nil adeo foedum, quod non exacta vetustas Ediderit, longique labor commiserit aevi.* Claudianus *vetustatem* et *laborem aevi* coniunxit, ex duobus Virgilii locis, et significationem utriusque vocabuli non differre sensit. Virgilius, quia in *labor* est notio *motus perpetui*, eleganter accommodavit ad *lances*, Aeneid. XII. 727. *quem damnet labor et quo vergat pondere letum.* Sententia igitur huius loci non est alia, quam in hoc Livii XLII. 50. *Multa diem tempusque afferre posse, quibus non amissa modo recuperare, sed timendus ultro iis esse, quos nunc timeret, posset.*

Multos alterna revisens Lusit et in solido rursus Fortuna locavit. Fortuna homines modo relinquit (miseros), modo revisit (felices). Hoc est, *alterna* revisit, ut, *Aeneas se matutinus agebat*, et Homeri χθιζος ἔβη. Sed quos *Fortuna revisit*, hos reddit beatos, atque adeo non *ludit. Ludit eos*, quos, secundis rebus gaudentes, subito mutata in miserias detrudit. Nam *lusit* significat *fefellit, decepit.* Iam nemo mortalis, qui alteram sortem sperat et accipit, *luditur, fallitur. Ludere, ludus, ludibrium* semper in malam partem accipiuntur, ut vel in noto Epigrammate: *Inveni portum: spes et Fortuna valete! Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.* Quando autem Iuvenalis Satyr. III. 40. dicit: *Quales ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit Fortuna iocari;* significat, quoties Fortuna aliquid ridiculi facere vult. Similia quaedam sunt in annotatione Cortii ad Plinii Epist. IV. 11. Horat. Satyr. II. VIII. 61. Heu! Fortuna! *quis est crudelior in nos Te deus? Ut semper gaudes illudere rebus Humanis!* Ego pro LVSIT scribendum credo IVVIT. *Multos alterna revisens Iuvit, et in solido rursus Fortuna locavit.* Qui nunc miseri sumus, non semper erimus.

Non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi:
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misere duces; nec parva sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentis aere catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra; vel magnum praestet Achillen,

Tempus et dies multa in melius retulere. Fortuna multos, quos reliquerat, reviseus, iterum iuvit, et iu solido locavit. *Iuvare* est Fortunae. Ovidius Trist. I. v. 25. *Dum iuvat et vultu ridet Fortuna sereno.* Idem Metam. II. 140. *Fortunae caetera mando; Quae iuvet, et melius, quam tu tibi, consulat, opto.* Pro *in solido* erravere librarii, scribentes *in solio* et *in solito*. Vulgatum etiam vidit Ammianus Marcell. XIV. p. 7. *securitas poterat in solido locari.*

Non erit auxilio. Forma orationis eadem in Valerio Fl. III. 667. *Non datur haec magni proles Iovis: at tibi Pollux Stirpe pares Castorque manent.* Ubi legendum videtur: *non erit hic magni proles Iovis.*

Felixque Tolumnius. Cur Tolumnius dicatur *felix*, non intelligo. Servius *felicem* opponit infelici Diomedi. Heynius interpretatur *opibus florentem*, Wagnerus, *augurem, qui felicia auguratur.* Nam Virgilius Tolumnium in libro XII. vocat augurem. Mallem *fidusque Tolumnius.* FIDVS et FELIX non multum a se discedunt.

Nec parva sequetur Gloria delectos Latio et Laurentibus agris. In aliis *tarda*: quae vocabula in MSS. permutantur, ut permutata sunt in Ovidio Trist. IV. II. 18. In Bigotiano *sequentur.* Nemo interpres hoc curavit; ego verum puto, si scribatur: *nec parva sequentur Gloria delecti Latio et Laurentibus agris.* Hoc melius cum sententia loci convenit. Messapus erit nobis auxilio, et Tolumnius, sequentur nos Latini et Laurentes, haud parvum decus: Latini et Laurentes, quibus sociis multum gloriamur. Est et Camilla. Elegans appositio *Latini, haud parva gloria.* Aeneid. VI. 767. *Procas Troianae gloria gentis.*

Vel magnum praestet Achillen. Servius annotavit dici et *praesto illum* et *illi*. Eadem est annotatio Scholiastae Statii Theb. IV. 207. For-

Factaque Volcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Aeneas vocat. Et, vocet, oro.
Nec Drances potius, sive est haec ira deorum,
Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat.
Illi haec inter se dubiis de rebus agebant
Certantes; castra Aeneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque volgi
Pectora, et arrectae stimulis haud mollibus irae.
Arma manu trepidi poscunt; fremit arma iuventus.
Flent maesti mussantque patres. Hic undique clamor

tasse melius est: *ostendat*, *reddat Achillen*, *se praestet Achillen*, tamquam Achillen.

Sive haec est ira deorum, *Morte luat*. Laetor me ab Aenea esse provocatum ad certamen singulare, non Drancen. Nam ille vel morte vel gloria, quae ex hoc certamine sequentur, indignus est. *Ira deorum* ab aliis quoque sic posita est. Ovidius Metam. X. 397. *Seu furor est — sive aliquis nocuit — sive est ira deum*. Idem in Trist. V. I. 13. *Sive mihi casus*, *sive hoc dedit ira deorum*. Scholiasta Lucani cum X. 103. comparat, dicens: »Et hoc dolet in morte Pompeii, *vel facinus esse Pothini*, *vel laudem*. Statius Theb. III. 60. *Sive haec sententia divum*, *Seu Fortuna fuit*, *seu*, *quod pudet ira fateri*, *Vis invicta viri*.

Arma manu trepidi poscunt. Servius: »Praeter vocem, gestum etiam flagitantis expressit, nec est superfluum *manu*, ut quidam volunt." Wagnerus putat *manu* tantum ornare. Heinsius coniicit: *arma manus trepidae poscunt*. Ego Virgilium scripsisse existimo: *Arma*, *arma*, *intrepidi poscunt*; *fremit arma iuventus*. De repetitione *arma arma* aliquid dictum est ad VII. 460. Adde Brisson. de Formulis IV. III. 14. Heinsium ad Ovidium Metam. XI. 377. *cuncti coeamus*, *et arma*, *Arma capessamus*. Statius Theb. III. 348. *vociferans: arma*, *arma*, *viri*. Horatius Carm. I. 35. *ad arma*, *cessantes*, *ad*

Dissensu vario magnus se tollit ad auras:
Haud secus, atque alto in luco quum forte catervae
Consedere avium, piscosove amne Padusae
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, et pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus
Corripuit sese et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis;
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis.

arma Concitet. Trepidi quamquam non sit indicium *timoris*, tamen *intrepidi* melius convenit cum *stimulis irae* et opposito *flent patres*. Iuventus, iuvenes et viri *intrepidi* arma poscunt. Servius tale aliquid legisse videtur. Annotatio illius est quidem corrupta, sed legitur tamen: »*Militaris vox est*." Iam vox militaris non est *arma poscunt*, neque *arma fremunt*, sed *arma*, *arma*.

Alto in luco. Miror Virgilium non potius addidisse nomen luci pro *alto*, ut addidit nomen amni *Padusae*, et alibi addere solet.

Arrepto tempore, *Turnus*. Ovidius Metam. XIV. 530. hic posuit incendium navium, quod in Virgilio legitur Aeneid. IX. 69.

Imo, *ait*, o *cives*. Wagnerus hic interpunctionem melius constituit. Idem in multis aliis locis fecit. Fortasse non ubique memoravi. Nihil propterea laudibus viri diligentissimi detractum volui.

Tu, *Voluse*. De antiquo nomine *Valusus*, *Volesus*, *Volusus*, *Valerius*, vide interpretes ad Ovidium Pont. III. II. 105. Silium II. 8. et Niebuhr. Hist. Rom. Tom. I. pag. 563.

Edice maniplis. In uno MS. *dice*, et *maniplos*.

Duc, *ait*, *et Rutulos*. Nescio cur Volusus *ediceret* Volscis armari, *duceret* Rutulos. Turnus ipse ducebat Rutulos. Et Volusus in hoc loco agit partes legati. Quare malim: *Tu, Voluse, armari Volscorum dice maniplos*, *Dice*, *ait*, *et Rutulos*.

Equitem, *Messapus*, *in armis*. In Mediceo et aliis MSS. *equitem*, in aliis *equites*. Illud *equitem in armis diffundite* mihi non placet. Nam quis diffundit equites sine armis? Pro INARMIS mallem CATERVAS. Caetera sic scribe: *equitum*, *Messape*, *catervas*, *Et cum fratre*, *Cora*, *latis diffundite campis*. Sic etiam vitatur repetitum *armari* et *in armis*.

Pars aditus urbis firmet, turresque capessat:
Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt;
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Aenean, generumque adsciverit urbi.
Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere corona
Matronae puerique; vocat labor ultimus omnis.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens; iuxtaque comes Lavinia virgo,
Caussa mali tanti, oculos deiecta decoros.

Qui non acceperit ultro Dardanium Aenean, generumque adsciverit urbi. Urbi accipiebant interpretes pro in urbis ac regni utilitatem. Parum commode, ait Heynius. Ergo mutat interpunctionem: *qui non acceperit ultro Dardanium Aenean generumque adsciverit: urbis Praefodiunt alii portas.* Hoc Wagnero non placet, qui ex Virgilio ipso interpretatur Aenean *paribus in regna vocari auspiciis.* Alii distinguunt: *acceperit ultro Dardanium Aenean, generumque adsciverit, urbi.* quod mihi durum videtur. Equidem Virgilii puto: *qui non adsciverit ultro Dardanium Aenean generum, atque acceperit urbi.* Se incusat, qui non ultro fecerit, quod se nunc vi coactum esse facturum videt. *Urbi* accipere, pro *urbe* accipere, est antiquioris formae.

Summasque ad Palladis arces. Non recte hic quaeri censeo, utrum Pallas iam nunc Laurentibus nota fuerit, nec ne. Pallas in Graecia et Italia universe est πολιοῦχος, πολιάς, ἀκραία, *arcitenens, retinens in summis urbibus arces*, ut dicit Catullus. Virgilio, hanc opinionem sequenti, Palladem Laurentibus dare licuit. Ipse Eclog. II. 61. *Pallas, quas condidit, arces Ipsa colat: nobis placeant ante omnia silvae.*

Caussa mali tanti, oculos deiecta decoros. Alia MSS. *malis tantis.* Palatin. *mali tanti atque oculos.* Iam Aen. VI. 93. legitur *caussa mali tanti coniux.* Ubi magis requiritur *tanti*, quam hoc loco: nam hic videri potest

Succedunt matres, et templum ture vaporant;
Et maestas alto fundunt de limine voces:
Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii praedonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus.
Iamque adeo Rutulum thoraca indutus aenis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro;
Tempora nudus adhuc; laterique accinxerat ensem;
Fulgebatque alta decurrens aureus arce;

supervacuum. Alterum respexit Sulpitius Severus Hist. I. pag. 150. *mulierem tanti mali caussam consumserunt.* Si cogito, quam similis sit literarum forma in TANTI et TACITA, praecipue quum sequatur ATQVE, Virgilium scripsisse credo: *iuxtaque comes Lavinia virgo, Caussa mali, tacita atque oculos deiecta decoros. Tacita*, ut virgo, ut caussa mali, ut in sacra pompa. Erat similis Virgini Vestali, de qua Horatius Carm. III. 30. *dum Capitolium Scandet cum tacita virgine Pontifex.* Saepe in Aeneide accidit, ut lectio aliqua ad alteram haud valde dissimilem fuerit conformata. Caeterum et Statius hunc locum adumbravit Theb. II. 230. *Ibant insignes vultuque habituque verendo, Candida purpureum fusae super ora ruborem, Deiectaeque genas.*

Portisque effunde sub altis. Macrobius *sub ipsis.* Male, credo, repetitum ex fine antecedentis *ipsum*, vel ex vs. 499. *portisque ab equo regina sub ipsis.*

Rutulum thoraca indutus. In aliis MSS. *rutilum.* Et sic legisse videtur Valerius Fl. VII. 620. *rutilum thoraca sequenti.* Exempla, quae Heinsius ex Virgilio attulit pro *Rutulum*, faciunt pro *rutilum:* Aeneid. II. *laterique Argivum accommodat ensem*, nempe *Coroebus Troianus.* Aeneid. XI. 40. *vulnus Cuspidis Ausoniae*, est *vulnus Pallantis Arcadii.* Quid mirum, si Turnus, Rutulus, Rutulum thoraca induat? Si thoraci addatur gentile nomen, addendum erat peregrinum, in quo ipso aliquid est eximii et insoliti.

Tempora nudus adhuc. Servius: »*Praeoeconomia est*: quia mox Camillam alloquitur, et ut orans et incendens caeteros facilius nosceretur." Ego sic explicabam: Primum erat inducere galeam. Prae festinatione oblitus est. Iam induerat thoracem et alia arma, adhuc nudus erat capite.

Decurrens aureus arce. Habebat thoracem *aereum.* Heynius maluisse videtur *aereus.* Wagnerus accipit,

Exsultatque animis, et spe iam praecipit hostem.
Qualis, ubi abruptis fugit praesepia vinclis,
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut, assuetus aquae perfundi flumine noto,
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians; luduntque iubae per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit; quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis; tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, et moenia serva.

fulgebant eius arma ut aurum. Sed iungenda puto, non *fulgebat aureus*, at *decurrens aureus.* Qui *aureus* decurrit, est in auro, qui *fulget aureus*, etiam fulget auro, proprie dicto. Scribendum est: *decurrens arduus arce.* Pulchrum antiquae alliterationis genus, ut in Aen. VIII. 299. *arduus arma tenens;* et *decurrens* hoc loco fere est tenuius, nisi addatur aliquid, ut Aen. II. 41. *Laocoon ardens summa decurrit ab arce. Arduus* saepe apud Virgilium invenitur, ut erectus bellatoris habitus exprimatur. Et *arduus* optime convenit cum sequentibus *exsultat*, cetera: et respondet *equo arrectis alte cervicibus* luxurianti.

Arrectisque fremit cervicibus alte Luxurians. Facio cum iis, qui iungunt *alte arrectis.* Homericum est *ὑψοῦ κάρη ἔχει.* Claudianus de Nupt. Honorii et Mariae 290. *Sonipes — quatiensque decorae Turbata cervice iubas.* Ubi scribendum *sublata.*

Relictis Ad terram defluxit equis. Macrobius laudavit ex Furio: *Ille, gravi subito devinctus vulnere, habenas, Misit equi, lapsusque in humum defluxit et armis Reddidit aeratis sonitum.* Adde Livium II. 20. *Moribundus Romanus ad terram defluxit.* Unde et Ambrosius de Elia 13. *Imponunt equo. Vulnere icti in terram defluunt.* Wyttenbachius cum Graeco *ἀποῤῥέω ἵππου* comparavit.

Turnus ad haec, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiae, virgo, quas dicere gratis,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Aeneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Praemisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta iugo superans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite silvae,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis;
Tecum acer Messapus erit, turmaeque Latinae,
Tiburtique manus; ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et paribus Messapum in proelia dictis
Hortatur, sociosque duces; et pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi
Armorumque dolis; quam densis frondibus atrum
Urguet utrimque latus; tenuis quo semita ducit,
Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota iacet, tutique recessus;
Seu dextra laevaque velis occurrere pugnae:
Sive instare iugis, et grandia volvere saxa.
Huc iuvenis nota fertur regione viarum;
Arripuitque locum, et silvis insedit iniquis.

Est omnia quando Iste animus supra. Heinsius coniicit *ista animus supra.* Malim: *iste omnia quando Est animus supra.* Camilla simul Aenean et Tyrrhenos aggredi cupiebat. Nimius, inquit, Turnus, est iste animus. Partiemur laborem. Tu Tyrrhenos excipe, ego Aenean excipiam.

Quaterent campos. Vide Gronovium ad Senecae Hercul. Oet. 1523.

Ducis et tu concipe curam. Tu curato ibi. Ego curabo alibi. Sic partiemur laborem et imperium.

Recessus. Bene tuetur Wagnerus. Alii *receptus.* Requirit sententia *tutas latebras.*

Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Compellabat, et has tristis Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequidquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. Neque enim novus iste Dianae
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,

Velocem interea. Servius transitum ut abruptum et nimis tritum reprehendit. Recte, Heynio iudice. Wagnero secus videtur. Multa in utramque partem disputari possunt. Nimis tritum esse, negari, credo, non potest. Mihi totus ille interventus Dianae cum sua Nympha non placet. Historiam Camillae et Metabi poetae optime narrare licuisset sub finem libri VII. Heindrichius putabat versus 537-586. *Neque enim novus iste Dianae —— Cara mihi comitumque foret nunc una mearum*, a Virgilio carmini iam absoluto esse insertos. Destinavit fortasse libri VII. fini. Ipsa historia, hinc sublata, eo facile transferri poterat. Inspice libri VII. 811. *ferret iter, celeres nec tingueret aequore plantas.* Post illum versum lege: *Priverno antiqua Metabus quum excederet urbe, Pulsus ob invidiam* cet. Historia finitur: *Aeternum telorum et virginitatis amorem Intemerata colit.* Optime sequitur: *Illam omnis tectis* sq. *Illam*, cuius pueritiam descripsi, illam igitur Camillam. Locus autem in hoc libro XI, aliis ad librum VII. traductis, sic connectitur. *Cara mihi ante alias; neque enim novus iste Dianae Venit amor, subitaque animum dulcedine movit. Verum age quandoquidem fatis urguetur acerbis* sq. Versus 584-586. *Vellem haud correpta fuisset — foret nunc una mearum*, inseruerunt Tucca et Varius, vel alii, ut ista ad suam opinionem ordinarent.

Has tristis Latonia voces. Recte *tristis voces* de instanti morte Camillae, non recte de omni hac historia.

Neque enim novus iste Dianae venit amor. Lectores intelligunt ex iis, quae narrata erant in fine libri VII.

Viresque superbas. Heynius: »*Nimias opes*, potentiam libertati civium infestam." Eodem redit Serviana interpretatio: vires, *quibus superbe utebatur.* Erat nimirum tyrannus, ut Tarquinius Superbus.

Priverno antiqua. Malim *Priverni*, ut *Patavi*, *Lavini*, et alia similia. Tota autem huiusmodi oratio magis convenit poetae, quam Dianae.

Infantem fugiens media inter proelia belli
Sustulit exsilio comitem, *matrisque vocavit*
Nomine Casmillae, mutata parte, Camillam.

Opis, una ex *sacra caterva* Dianae, in coelis degens, intima deae amica, res Camillae ignorare non poterat.

Matrisque vocavit Nomine Casmillae, mutata parte, Camillam. Haec non tantum Diana, sed etiam Virgilio indigna sunt. Videtur glossa grammatica, ad versum supplendum, et ostentandam doctrinam. Noti erant ex sacra Romanorum antiquitate *Camilli* et *Camillae*, ἀμφιθαλεῖς. Etymologia talis gravitatem carminis epici Virgilianam dedecorat. Silius hoc non intelligebat, qui tam pulchrum putaret, ut imitaretur, III. 106. *Imilce, Barbarica paullum vitiato nomine lingua.* In Virgilio alii, quod ferebatur, *mutilata* praeferunt. Idque legisse diceres Silium, et magis grammaticum est, ut eiusdem Silii III. 166. *Et quos nunc Gravios violato nomine Graium Oeneae misere domus:* et IX. 66. *Solymon — Mox Italis paullatim attrito nomine Sulmo.* Concedamus hoc Ovidio in Fastis v. c. V. 197. *Chloris eram, quae Flora vocor, corrupta Latino Nominis est nostri litera Graeca sono.* Virgilius maiorem in etymologiis modestiam servat: conferantur V. 117 sq. et alii versus; semper grammaticas annotationes vitat, sic tamen scribit, ut lectores, quid unde corruptum mutilatumque sit, ipsi intelligant. Ac vide, quam omnia in hoc additamento veri similitudini repugnent. *Infans ista* sine dubio iam nomen habebat, nisi dicas brevissimo tempore, postquam nata erat, patrem fugisse. Virgilius, puto, dixisset, *pater nomen infantis mutavit*, appellavitque a matre, quam relinquere coactus amisit. Virgilius hanc opportunitatem dulcis affectus depingendi non omisisset. Et cur hic potissimum mentio fit mutati nominis? quasi pater inter fugam et pugnam de nomine filiolae cogitaverit! Verus his erat locus post vs. 570 sq. *Hic natam in dumis.* Et vs. 563. *infelix fugit in iaculo stridente Camilla*, nomen eius ita legitur, quasi nihil in eo fuerit singulare, et iam statim illud habuerit. De *Casmilla* autem et *Camilla* nimis ineptum est. Quo populi sunt rudiores, hoc plerumque lingua plures habet consonantes. Post longissimum temporis spatium multae consonantes eiiciuntur. Ita accidit in *Casmilla* et *Camilla*, *Casmena* et *Camena*. Quomodo iam pater subito faceret, quod saecula facere demum solent? Mater appellabatur *Casmilla*, ergo et filia, et, si peperisset, idem nomen in ea gente multas aetates fuisset servatum. Virgilius erat doctior, quam ut hunc errorem committeret. Praeterea, ut Servius, ita Macrobius, qui Virgilii eruditionem hoc exemplo ostendit, annotavit ex vetustis scriptoribus, Mercu-

Ipse, sinu prae se portans, iuga longa petebat
Solorum nemorum; tela undique saeva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugae medio, summis Amasenus abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix haec sententia sedit:

rium apud Thuscos vocari *Camillum*, hoc est *praeministrum* deorum, et Pacuvium dixisse *coelitum camilla*, pro *nuntia*, *ministra:* ideo Metabum nominasse filiam *Camillam*, Dianae scilicet praeministram. Si *Camilla* hoc significavit, significavit idem *Casmilla*, praeministra nempe dei vel rei sacrae. Fuit igitur iam mater id, propter quod nunc filiae nomen inditum narratur.

Omnia secum Versanti subito vix haec sententia sedit. Alii distinguunt: *versanti subito:* ita iam Servius distinxisse videtur, ex opinione quidem Valckenaerii ad Ammon. pag. 67, putantis Virgilium eximie vim vocabuli Homerici δοάσσατο expressisse. Ego Virgilium melius expressisse arbitror, alibi dicentem: *Haec alternanti potior sententia visa est.* Hoc enim est plane illud: Ὧδε δέ οἱ φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι. Heynius non probat *omnia subito versare*, et iungit *subito vix*, ut *vix tandem* eo devenerit, *subito* tamen hoc consilium arripuerit. Coniicit etiam *victrix sententia.* Wagnerus ita explicat: »*Subito sententia sedit*, *et vix sedit*, *quum captum consilium exsequens*, *telo natam implicat.* Et ego, quia haec via primum tentanda est, explicare conatus sum. In mentem mihi veniebant Graecorum παραχρῆμα et εὐθύς, saepe idem significantia atque νῦν, τότε. Παραχρῆμα est in re ipsa, *in loco*, *illico.* Vide Perizonium ad Aeliani V. H. XIV. 10. Cicero alicubi dixit *statim in ipso facto.* Notum Thucydideum I. 22. κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα. Quod idem alibi dicit τὸ παραυτίκα Schol. Aristoph. Pluti 783. παραχρῆμα, κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, καί, ὡς εἰπεῖν, παραυτίκα, οὐ μὴν πρὸ τοῦ πράγματος. Idem Graecis est εὐθύς, quare et εὐθὺς παραχρῆμα saepe iunguntur ad vim intendendam, de quo interpretes ad Xenophontem de Rep. Laced. VIII. 4. D'Orvillius ad Charit. pag. 207, eo refert Aristoph. Nub. 1043, et interpretatur ἐν τῷ τότε. A recentioribus quidem Graecis vocabulum ita usurpatur. Plutarchus Eumen. 3. εὐθὺς μὲν ἴσχυε παρ' αὐτῷ — ὀλίγον δὲ ὕστερον. Quare Alciphron I. Epist. 26. iungere potuit εὐθὺς

Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto;
Huic natam, libro et silvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediae circumligat hastae;
Quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo: *tua prima per auras*
Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,

μόλις. Εὐθὺς μὲν οὖν μόλις με προσεῖπε — εἶτα τοῦ προξένου φήσαντος: tuno quidem, illo quidem momento, me vix alloquebatur: deinde vero. Berglerus ista inter se pugnare censebat. Veteres Latini Comici et Tragici, qui scripta Graecorum saepe fidi interpretes reddebant, *εὐθὺς* et *παραχρῆμα* reddidisse videntur *subito*, *continuo*, *statim*, in quibus significatio conspicitur ea, ut positum esse appareat pro *tunc*, *eo quidem momonto.* Virgilius autem antiquum illum sermonem imitabatur. *Continuo* Georg. I. 60. pro *initio*, *tunc quum*, *statim*, *eo momonto.* Valerius Flaccus IV. 261. *Continuo Bebryx — vix ora virum vix tollero passus Brachia;* hoc est *tunc vero* Bebryx. *Statim* dixit Suetonius Nerone 34. *Nequo tamen sceleris conscientiam aut statim, aut unquam postea ferre potuit.* Ad hanc rationem fortasse explicari posse indicabam *omnia secum Versanti subito vix haec sententia sedit.* Quum Metabus in illo periculo erat, *tunc*, *statim*, continuo, subito, in eo temporis difficillimi momento, omnia secum versabat, et ad hoc consilium anceps venit, sed vix, aegre, quia erat tam anceps. Filiam hastae illigat. Sic autem iungenda erunt *versanti subito.* Feci, quod potui, locum explicare conatus. Nunquam tamen illud *vix* mihi placuit; neque a Virgilio scriptum esse arbitror. Latinum esset: *omnia secum versanti*, *subito haec sententia sedit.* Potuisset: *omnia secum Versanti*, *subito potior sententia sedit*, vel simile, modo *vix* extrudatur. Equidem facillime extrudam, et pro **VIX** scribendum puto **FIXA.** *Omnia secum Versanti*, *subito fixa haec sententia sedit.* Egregius versus, et Latinus, qui non eget interpretatione, nec exemplis, sed se ipse satis commendabit. Virgilius Aeneid. IV. 15. *Si mihi non animo fixum immotumque sederet.* Ubi nonnulla Burmannus annotavit.

Tua prima per auras Tela tenens supplex hostem fugit. Locus mihi suspectus, praecipue *prima.* Servius *tua supplex* iungere videtur. Heynius iungit *tua tela tenons supplex.* Melius puto *tua supplex:* ut Graece, v. c. Plutarchus Themist. 28.

Diva tuam, quae nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuere undae; rapidum super amnem
Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius iam urguente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo donum Triviae de cespite vellit.
Non illum tectis ullae, non moenibus urbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset;

σώσεις μὲν γὰρ ἱκέτην σόν. Illud *prima*, si pro *nunc primum* ponatur, iungi oportet *tua tela.* Sed quid sunt *tua tela?* Non recte dici possunt, ut *nostris armis* vs. 536, et 844. *nostras humero gessisse pharetras.* Iam repetitio non toleranda *fugit per auras*, *committitur auris.* Virgilium dedisse coniicio: *Ipse pater famulam voveo; famulam accipe*, *testor*, *Diva*, *tuam*, *quae nunc dubiis committitur auris.* Omissum alterum *famulae* vocabulum versui spurio caussam praebere potuit. Metrum enim non stabat — *voveo. Accipe*, *testor.* Saepissime autem accidit, ut ex vocabulis vel statim vel brevissimo intervallo repetitis posterius fuerit omissum. Et Virgilius scribere potuit: *ipse pater voveo famulam. Famulam accipe* sq.

Dat sese fluvio. Ovidius Metam. XI. 784. *se dedit in pontum.* Ubi plura Heinsius.

Gramineo donum Triviae de cespite vellit. Melius distingue: *Gramineo*, *donum Triviae*, *de cespite vellit.* In hasta *cum virgine*, inprimis *virgo* cogitatur, quasi legeretur *virgo cum hasta. Virgo* erat donum Triviae, quam Diana servatam patri donasset. Et sic Burmannum accepisse nunc video. Heynius minus recte *donum* ex voto Triviae explicat. Tale est illud Ovidii Metam. V. 543. *Cereris sumus omnia munus.*

Non illum tectis ullae, *non moenibus urbes Accepere.* Nemo haec eleganter esse scripta affirmabit: *non ullae urbes illum accepere tectis*, *non moenibus.* Et vel *tectis* vel *moenibus* sufficiebat. Quae urbs Metabum accipiebat *tectis*, eadem accipiebat *moenibus.* Quanti laboris erat pro VLLAE emendare VILLAE? *Non illum tectis villae*, *non moenibus urbes Accepere.* Nemo eum *neque ruri neque in urbe* excepisset. Nec, si voluisset, Metabus se dedisset. Clara est imitatio Silii VIII. 320. *Non hic domus hospita tecto Invitat patrio*, *non fidae moenibus urbes Excipiunt.* Non *hic*, in his campis, ruri.

Neque ipse manus feritate dedis-

Pastorum et solis exegit montibus aevum.
Hic natam in dumis interque horrentia lustra
Armentalis equae mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, iaculo palmas armavit acuto,
Spiculaque ex humero parvae suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae,
Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena,
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.
Multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum. Sola contenta Diana,
Aeternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset

set. Etiam si Volsci Metabum suscipere et cum eo reconciliari ipsique placari voluissent, manus tendere, se victum agnoscere, pro innata ipsi ferocia, noluisset. Et sic fere Heynius.

Pastorum et solis exegit montibus aevum. Haereut interpretes inter *montibus pastorum* et *aevum pastorum*. Neutrum mihi satis placet. Malim: *Et pastor solis exegit montibus aevum*. *Exigere aevum* significat *vitam terere suam*, suos annos degere. Ut Aeneid. I. 79. *Omnes ut tecum meritis pro talibus annos Exigat*. Ovidius Metam. XII. 209. *studiisque virilibus aevum Exigit Atracides*.

Iaculo palmas armavit acuto. Alii *oneravit*, quod Heynio venustius videbatur, cum de puellae tenerae manibus sermo sit. Sed eadem venustas est in *armavit*, quod nimium fere est pro manibus parvulae virginis. Praeterea venustum *palmas* pro *palmam*. Robustior unum iaculum una palma tenet.

Sola contenta Diana. Verba ista non recte Dianae tribuuntur, ut neque supra *Latonia virgo*, nec *donum Triviae*, quae, ut alia, satis declarant, totam hanc orationem a Virgilio huic deae non fuisse destinatam.

Virginitatis amorem. Ovid. Metam. I. 694. *Ortygiam studiis ipsaque colebat Virginitate deam*.

Vellem haud correpta fuisset Militia tali, conata lacessere Teucros. Cara mihi comitumque foret nunc

Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finisque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Haec cape, et ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac, quicunque sacrum violarit volnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine poenas.
Post ego nube cava miserandae corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriaeque reponam.
Dixit: at illa levis coeli delapsa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Troiana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas. Fremit aequore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis
Huc obversus et huc; tum late ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.

una mearum. Dixi supra. Haec delenda censeo, ab iis inserta, qui historiam Metabi a Diana narrari fecerunt. Dianae esse puto: *Graditur bellum ad crudele Camilla — O virgo — Cara mihi — Venit amor — Verum age* sq. *Corripi militia* pro *amore militiae corripi*, suspecta est Latinitas. *Conata lacessere*, non verum. Nam lacessivit, et fortissime contra Teucros pugnavit. Hoc plus est quam *conari*. *Cara* erat etiam nunc. Apparet ex iis, quae statim Diana addit. Et quid vitio vertit Camillae, quam *fatis urgueri* ipsa fateatur?

Infausto committitur omine pugna. Ovidius Metam. VI. 447. *fausto committitur omine sermo.* Ubi in MS. *ordine*, quod hic etiam habebat Hamb.

Ferreus hastis Horret ager. Servius: »*Est versus Ennianus, vituperatus a Lucilio, dicente per irrisionem debuisse eum dicere*, horret et alget." Versus Ennii exstat apud Macrobium Saturn. VI. 4. *Sparsis hastis longis campus splendet et horret.* Volebat ergo Lucilius: *Sparsis hastis campus longis horret et alget;* significans versum *algere*. Illud *ferreus* ex Virgilio imitatur Ambrosius Epist. II. 68. *vere terra est ferrea, telorum segetibus inhorrens.*

Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillae,
Adversi campo apparent, hastasque reductis
Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;
Adventusque virum fremitusque ardescit equorum.
Iamque intra iactum teli progressus uterque
Constiterat: subito erumpunt clamore, furentisque
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela,
Crebra, nivis ritu, coelumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. Excussus Aconteus
Fulminis in morem aut tormento ponderis acti,
Praecipitat longe, et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatae acies, versique Latini
Reiiciunt parmas, et equos ad moenia vertunt.

Hastasque reductis Protendunt longe dextris. Innge *dextris longe reductis.* Hasta, *dextris reductis*, longe protendi non potest. Est autem talis iaculatio, quae dicitur *a latere.* Vide Servium ad Aeneid. IX. 417. fortasse et *a femore* et *ab inguine*, de quo Heinsius ad Ovidium Metam. II. 311.

Excussus Aconteus. Dixerat poeta: Tyrrhenus et Aconteus connixi hastis adversis incurrunt. Dant ruinam, corruunt ex equis in terram, hastis nempe adversis perfossi, dum pectora equorum adversorum pectoribus perfracta rumpuntur. Qnomodo nunc sequi potest solum *Aconteа* fuisse *excussum?* Male repetitum credo *Aconteus* ex vs. 612. *acer Aconteus*, et Virgilium scripsisse *excussus uterque.* Hinc statim *acies fuere turbatae*, quia suum quaeque proelii inceptorem amiserat. Dum trepidant, Latini parmas reiiciunt. Tyrrhenus, qui vs. 686 a Camilla occiditur, non hic est, sed Ornytus, ex Tyrrhenia sub Etruria. *Tyrrhenus* hic est nomen proprium, illic gentile.

Vitam dispergit in auras. Silius IX. 167. *In vacuas senior vitam disperserat auras.* Virgilius hic *in auras* magis proprie dixit, quam vulgo fit. Uterque, hastis transfixus, dum in terram decidit, animam efflat.

Reiiciunt parmas. Cod. Moret. *deiiciunt.* Fortasse librarius metro timebat. *Re* bene producitur. Vide Bur-

Troes agunt: princeps turmas inducit Asilas.
Iamque propinquabant portis, rursusque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terram, scopulosque superiacit unda
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atque aestu revoluta resorbens

mannum ad Ovidium Metam. IX. 512. *Reiicere parmam* in fuga, satis cognitum est. Statius Theb. IX. 173. *reiecta coerula parma fugit.* Annotavi nonnulla ad Horatium Carm. II. 7. Adde Burmannum ad Ovidii Metam. II. 582. qui, quamvis ibi omnia recte ceperit, in Velleio Paterculo II. 70. perverse annotavit: *reiicimus proprie illa*, quae a nostro corpore arcemus et repellimus. Dixerat autem Velleius: *reiecto laevo super caput brachio.* Ruhnkenius eum bene refutavit.

Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis. Silius IV. 315. *Nunc Itali in tergum versis referuntur habenis, Nunc rursus Tyrias retro pavor avehit alas.*

Extremamque sinu perfundit arenam. Servius: »*Curvatione et flexu undarum.*" Sed *sinus* vehementissimum undarum impetum significat. Talis impetus non amplius in extrema arena cernitur. Heynius hoc sensisse videtur, interpretans: *fluctu in sinum undas iam languentes curvante. Sinus* et *languor* undarum sunt opposita. Apparet ex Seneca Hippol. 1011. *Non tantus Auster Sicula disturbat freta, Nec tam furenti pontus exsurgit sinu Regnante Coro. Saxa cum fluctu tremunt, Et cana summum spuma Leucatem ferit.* Vocabula alibrario imprudente esse transposita credo, et hic scribendum: *Extremamque aestu perfundit arenam.* Pontus *aestu arenam perfundit extremam* adeo Latinum et facile est, ut nemo non statim intelligat. Virgilius Aeneid. I. 107. *furit aestus arenis.* III. 557. *Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae.*

Nunc rapidus retro, atque aestu revoluta resorbens Saxa fugit. Si verum est librarium aliquem *aestu* et *sinu* imprudentem transposuisse, hic legendum erit: *atque sinu revoluta.* Quod ipsum tamen vix tolerabilem sententiam praebet. Quare, exigua mutatione, vel potius transpositione, pro SINV reponendum arbitror INSE, locumque ita distinguendum censeo: *Nunc rapidus retro atque in se, revoluta resorbens Saxa, fugit.* In vulgatis dictu difficile, quo *aestu* sit referendum, nec pulcre iunguntur *rapidus* et *resorbens.* Heynius duram verborum constructionem

Saxa fugit, litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad moenia versos;
Bis reiecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in proelia, totas
Implicuere inter se acies, legitque virum vir:
Tum vero et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et permixti caede virorum
Semianimes volvuntur equi; pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque iactat
Volneris impatiens arrecto pectore crura.
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolan,
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Deiicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Caesaries, nudique humeri; nec volnera terrent;
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos

statuerat: *rapidus retro, atque resorbens se, fugit saxa revoluta, et relinquit litus. Resorbet saxa* est, quod dicit Sallust. B. Iug. 78. *ubi mare magnum esse, et saevire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt.* Horatius Carm. II. 7. *Te rursus in bellum resorbens, Unda freti tulit aestuosi.* Cicero Brut. 81. *Hunc absorbuit aestus gloriae.* Virgilius autem, ex nostra emendatione dixit: *rapidus retro atque in se fugit, et litus relinquit.* Eadem ad fugam ponti significandam copia, quae ad significandum impetum: *procurrens ruit ad terram, scopulos superiacit, et arenam perfundit.* Pulchre *fugit in se,* ut Georg. II. 480. *qua vi maria alta tumescant Obiicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant.* Seneca de Provid. 1. *Si quis observaverit nudari litora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri.*

Tantus in arma patet. Servius: »Id est, *tantum patebat in vulnere* (vulnera), id est, *in hostilia tela totus patebat.*" Alii *in arma* pro *armis* vel *scutis* tradunt. Heynius: »*Tanta sui parte patebat in vulnera.*" Ego non satis Latine dictum puto *patet in arma*, pro, patet *in arma* vel potius *tela* hostium. Et melius erat *patet ad arma* vel *armis.* Ovidius Metam. XIII.

Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulcramque petunt per volnera mortem.
At medias inter caedes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset;
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, et arma Dianae.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.

118. *qui (clypeus) mille ferendo Tela patet plagis.* Ubi distingue: *mille ferendo Tela, patet plagis.* Idem XIII. 392. *qua patuit ferro.* XII. 100. *apertum et se praebentem.* Seneca Agam. 97. *Corpora morbis maiora patent.* Quintilianus Declam. IX. pag. 205. *Quo quisque plus potest, quoque latius patet ad fortunae incursus.* Statius Theb. IX. 527. *nec tegmina membris Ulla, omnisque patet leto.* Tale est hoc Senecae Epist. 7. *Nihil habent, quo tegantur. Ad ictum totis corporibus expositi. Nunquam frustra manus mittunt.* Idem de Tranq. 8. *Corpora, quae in arma sua contrahi possunt, habiliora in bello, quam quae superfunduntur, et undique magnitudo sua vulneribus obiecit.* Fronto pag. 341. *Insuper habere caput apertum soli et imbribus et grandini et nivibus, neque se adversus tela munitum praebere.* Videmus quid Latinum sit. *Patere in arma* nusquam hac, quam volunt, significatione inveni. Ergo videndum, quid *patere in arma* significet; idem nimirum atque *armis patere, patere, quod ad arma attinet.* Herminius habebat nudum caput, nudos humeros. Tanta pars viri patebat, nuda erat armis. Tantus ille *patebat in arma.* Pleraque exempla, quae contuli ad vs. 283. *quantus in clypeum assurgat*, etiam huc pertinent. *Latos huic hasta per armos. Armos* de humeris explicavere interpretes ad Valerii Fl. II. 421. VI. 509. et Ovidii Metam. VI. 293.

Dant funera. In duobus MSS. *vulnera.* Quod ita posset commendari, ut opponerentur *dant vulnera* et *accipiunt vulnera*, quod est in *petunt per vulnera mortem.* Nota antithesis apud historicos. Sed in vulgatis est eadem antithesis. *Dant funera* et *petunt mortem*, hoc est, *occidunt* et *occiduntur.*

Spicula converso fugientia dirigit arcu. Servius *fugientia* accipit pro *ipsa fugiens.* Ego scriptum malim: *Spicula converso fugiens sua*

At circum lectae comites, Larlnaque virgo,
Tullaque, et aeratam quatiens Tarpeia securim,
Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Threiciae cum flumina Thermodontis
Pulsant et pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu quum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum, aspera virgo
Deiicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eunaeum Clytio primum patre: cuius apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam

dirigit arcu. Pulchre hie et non sine vi *sua tela.* Tela *fugientia* vulgo significat *volantia*, *emissa*.

Pacisque bonas bellique ministrae. In uno Codice *belloque.* Nec mihi displiceret *pacique bonae belloque ministras.* Camilla has sibi delegerat ut essent decus paci et ministrae bello. Ergo distinctionem post *delegit* melius tolles. Livius I. 42. *Tum classes centuriasque et hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum vel bello.* Ubi legendum puto: *vel paci decorum, vel bello praesidium.* Tacitus German. 13. *Magno semper electorum iuvenum globo circumdari, in pace decus, bello praesidium.*

Cum flumina Thermodontis Pulsant. Ut campus ungula equorum *quatitur*, *verberatur*, et Horatii *eques sonante verberabit ungula*, ita fluvius nunc *pulsatur*, ex quo sponte intelligitur fluvius glacie duratus. Et sic Wagnerus. Seneca in variandis vocabulis sibi placuit. Troad. 13. *Et quae vagos vicina prospiciens Scythas Ripam catervis Ponticam viduis ferit.* Medea 214. *Armata peltis quidquid exterret cohors Inclusa ripis vidua Thermodontiis.* Ubi scribendum indico: *quidquid exterit*, pedibus equorum proculcat.

Seu quum se Martia curru Penthesilea refert. Hoc est, *seu circum Penthesileam, quum se refert.*

Magnoque ululante tumultu. Imitatur Valer. Fl. IV. 607. *ludo volitans cum turma superbo Pulvereis exsultat equis, ululataque tellus Intremit.* Ubi multo modestius scripsisset *pulsataque tellus.*

Mandit humum, moriensque suo se in volnere versat.
Tum Lirim, Pagasumque super: quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inermem,
Praecipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden; sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chromimque;
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta iuvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus
Et malae texere lupi cum dentibus albis,
Agrestisque manus armat sparus. Ipse catervis
Vertitur in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Traiicit, et super haec inimico pectore fatur:

Suffuso revolutus equo dum colligit. Codd. *suffuso*, *suffusso*, *suffosso*. Wagnerus *suffuso* interpretatur ex Mulomedicina: *ex sudore oritur tumor in cruribus, suffusio in pedibus;* quae sunt verba Vegetii. Ergo Liris utebatur equo morbido, qui pedes tardius a terra levabat. Idque Virgilium fecisse Wagnerus putabat, ut rem variaret, et equum talem; dum levis erat morbus, non nimis impediri. Equidem Virgilium scripsisse arbitror: *Effuso revolutus equo.* Litera *s* facile, repeti potuit ex ultima in *habenas.* Liris omnes habenas equo effuderat, equus adeo ipse effusus, cursu effuso ferebatur. Subito habenas colligit, equus stabat. Subiti mutatione motus, Liris excutitur. Virgilius XII. 499. *omnes effundit habenas.* Livius XXXVII. 20. *effusissimis habenis invadit.*

Ornytus. Apollonii Ὄρνυτος. Vide Bentleium ad Horatii Carm. III. 9.

Erepta iuvenco Pugnatori. Nulla hic in Codd. varietas. Solent permutari in hac re *derepta* et *erepta.* Utrumque rectum. Metri caussa interdum hoc illi praelatum vides. Confer Heinsium ad Ovidii Metamorph. III. 52. et XV. 304. Iunge autem *iuvenco pugnatori*, silvestri. Hoc pulchre vidit Heynius.

Ingens oris hiatus. Valer. Fl. I. 34. *Cleonaeo iam tempora clusus hiatu Alcides.* Ubi plura interpretes.

Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae.
Protenus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrum
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, et laevo dependet parma lacerto;
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem;
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti et multa precanti

Silvis te, Tyrrhene. In aliis Codd. *Silvisne*, quod edidit Brunckius. Ego malim *Silvisno*, o *Tyrrheno.*

Advenit. qui vestra dies muliebribus armis Verba redarguerit. Ordo verborum non sane concinnus, pro: *dies advenit, qui vestra verba redarguerit.* Praeterea obscurum de *verbis.* Non enim legimus, quae verba Ornyti fuerint. Fortasse et ille et sui mulierem procul irriserant.

Qua colla sedentis Lucent, et laevo dependit parma lacerto. Heynius interpretatur *sedentis* in equo, pro vulgari *eius.* Nam pugna describitur equestris. Vix credo Virgilium epitheto tam inani potuisse uti, aeque minus ac v. c. in pugna pedestri, qua colla *stantis* lucent. Neque intelligo, quid *parma a laevo lacerto dependens* faciat ad locum volneris accuratius indicandum. Vulnus infligebatur *in collo*, sed parma dependens lacerto longe a collo erat remota. Scribendum puto: *sed Buten aversum cuspide fixit, Loricam galeamque inter, qua colla, sedenti.* Fixit Buten cuspide. *Cuspis sedit* inter loricam et galeam, qua erant colla. *Cuspis sedit*, ut Ovidius Metam. XV. 161. *cui pectoro quondam Sedit in adverso gravis hasta minoris Atridae.* Ubi multa similia annotavit Heinsius. Superest versus valde suspectus. Camilla fixit Buten *aversum*, in collo, quod est supra tergum inter loricam et galeam. Etiam si parmam reiecerit, intellectu difficile est, quomodo ea dependerit a laevo lacerto ibi, ubi erat collum. Quod versum magis facit suspectum, est scriptura Rufiniani de Schemat. Lex. p. 241. *invenit* pro *lucent.*

Oranti et multa precanti. Nescio an hic recte iungantur *orare* et *precari.* Potuisset *horrenti* et *multa precanti.* Qui primum Camillam persequebatur, ut putabat, nunc videns

Congeminat: volnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque adspectu territus haesit,
Appenninicolae bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque, ubi se nullo iam cursu evadere pugnae
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit;
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit haec: Quid tam egregium, si femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te comminus aequo
Mecum crede solo, pugnaeque accinge pedestri:
Iam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit. At illa furens, acrique accensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.

se a Camilla peti, horruit, et potius quam ut se fortiter defenderet, precari coepit.

Quid tam egregium, si femina forti Fidis equo? Quid tam egregium significat, nihil omnino egregii est, indignum est. Imitatur Statius Theb. X. 871. *Et quid tam egregium prosternere moenia molli structa lyra?* Ita quidem recte emendavit Bentleius ad Horatii Satyr. II. III. 283. Horatius dixerat: *quid tam magnum?* Sed locus Virgilii est corruptus. *Indignum est*, dicit filius Auni, *feminam fidere equo forti.* Sententia non vera. Nam omnino dignum et aequum est feminam, cum viris pugnantem, aliquid habere eximium, praerogativam aliquam. Natura enim feminas viris impares in bello fecit. Scribe: *si femina fortis Fidis equo.* Indignum est, si tu, tam fortis femina, viris par, equo fidis.

Iam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem. Iam veteres haesere inter *laudem* et *fraudem*. Neque recentiores conveniunt. Ego illud *cui* non intelligo. Heynius explicat *an tibi ferat.* Sic, credo, legendum erat, *fraudem*, si tamen *fraudem alicui ferre* Latinum sit. Cito eam cognosces, quae propter inanem gloriam punietur. Si *laudem* servare velis, omnino scribendum puto: *Iam nosces, ventosa ferat quam gloria laudem.* Iam nosces, nullam laudem inani gloriatione parari, sed poenam.

Puraque interrita parma. Camilla, quae sola in silvis et dumis vixerat, nulli bello interfuerat, nondum habebat *imaginem* in scuto. Pater autem Metabus, quamquam rex,

At iuvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, frustraque animis elate superbis,
Nequidquam patrias tentasti lubricus artis;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Haec fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frenisque adversa prehensis
Congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit.
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis;
Tum cruor, et volsae labuntur ab aethere plumae.
At non haec nullis hominum sator atque deorum
Observans oculis summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeva
Suscitat, et stimulis haud mollibus iniicit iras.

omnem honoris memoriam deposuerat. Primis temporibus regum Francorum, si nobilis ad bellum proficisceretur, clipeum gestabat aereum vel ligneum. Clipeus tamdiu sine ullo insigni manebat, donec nobilis insigni aliquo facinore perpetrato esset meritus. Hoc ex annalibus Francorum constat. Confer praeterea interpretes ad Aeneid. IX. 548.

Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto. Wakefieldus legebat *accipiter saxo aut sacer ales ab alto*, cogitans *aquilam* in *sacro alite.* Sed aquila non captat columbas. Vide et Heynium. Poetae, castigati quidem, ubi per metrum liceat, *ales* faciunt generis feminini, si nomen *alitis* praecessit femininum, ut hoc loco *aquila.* Virgil. Aeneid. I. 394. *Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto Turbabat coelo.* Idem tamen hoc metro dedit XII. 247, ut diceret *lapsus Iovis ales.* Ac fortasse in Horatii Carm. IV. 4. praestabat: *Qualem ministram fulminis alitem.* Ut Cicero de Divinat. I. 47. *Iovis altisoni pinnata satelles.* Aeneid. V. 506. *timuitque exterrita pennis ales.*

Tarchonem. In Parrhas. *carentem*, corruptum transpositis literis ex *archontem.*

Stimulis haud mollibus iniicit iras. Antea legebatur *incitat.* Ingra-

Ergo inter caedes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans, reficitque in proelia pulsos.
Quis metus, o nunquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?
Femina palantis agit, atque haec agmina vertit?
Quo ferrum, quidve haec gerimus tela irrita dextris?
At non in Venerem segnes, nocturnaque bella,
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, et plenae pocula mensae;
Hic amor, hoc studium; dum sacra secundus haruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Haec effatus, equum in medios, moriturus et ipse,
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert,
Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in coelum clamor: cunctique Latini
Convertere oculos. Volat igneus aequore Tarchon,

tum, ob praecedens *suscitat*. Verum videtur, Wagnero etiam, quod Heinsius coniecit, *incutit*.

Inter caedes cedentiaque agmina. Dum agmina sua caeduntur et cedunt. Agmina cedentia non *caedunt*. Ergo non accipiendum, quod in editionibus nonnullis fertur, *caedentia*. Agmina *cedentia* sunt, quae femina *vertit*, ut legitur vs. 734.

Nomine quemque vocans. Vide interpretes ad Silii I. 454.

Hic amor, hoc studium. Ovid. Metam. XIV. 634. *Hic amor, hoc studium*.

Moriturus et ipse. Non satis video quid sit illud *et ipse*, nisi repetendum ex antecedentibus *inter caedes*. Dum sui caedebantur, agmina fugientia stitit, equum in hostes convertit, at ipse, ut multi suorum, moriturus. Sed *moriturus* fere significat *animum et consilium moriendi habens*. Fortasse iungendum *et ipse concitat*, hoc est, *reficit pulsos in proelia*, et ipse equum concitat. Facilius esset: *equum medios moriturus in hostes concitat*: licet statim sequatur *hostem*. Barthius in Cod. vidit *moriturus ut ipse*. Codex Gud. habet *moriturus in hostes*. Servius annotavit: »*Et ipse*, aut ad Camillam, aut ad Venulum respicit."

Arma virumque ferens; tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum, et partis rimatur apertas,
Qua volnus letale ferat: contra ille repugnans
Sustinet a iugulo dextram, et vim viribus exit.
Utque volans alte raptum quum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus haesit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus urguet obunco
Luctantem rostro; simul aethera verberat alis.

Sustinet a iugulo dextram, et vim viribus exit. Similis locus Valerii Fl. I. 154. *Glaucumque ruentem Occupat, et iugulo vulnus molitur aperto. Ille manum contra telum tenet.* Statius Theb. II. 648. *a iugulo nitentem sustinet hastam.* Seneca de Tranq. An. 11. *qui ferrum non subducta cervice nec manibus oppositis, sed animose recipis.* Exit *vim*, pro *mortem. Exit* autem est *evadit*, plerumque *cedendo* eludit impetum hostis. Statius Theb. IV. 600. *Existis casus.* VI. 802. *venientem eludit et exit.* Claudianus Cons. Mall. 92. *maior collectis viribus exit.* Adde Heinsium ad Ovidii Metam. II. 517. Sed Virgilius ista hic obscure posuit. Ex verbis diceremus Venulum vim exisse, salvum et incolumen abiisse. Sententia suadet ut *occisum* cogitemus. Neque aquila draconem dimittit, et Tarcho *praedam portat ovans.* Possis *exit* accipere pro *studio et conatu exeundi.* Plane ut Ovidius Metam. IV. 361. *Denique nitentem contra, elabique volentem Implicat, ut serpens, quam regia sustinet ales, Sublimemque rapit.*

Utque volans alte raptum cum fulva draconem Fert aquila. Notae sunt Homeri aliorumque similes comparationes. Afferunt interpretes etiam Ciceronem de Divinat. I. 47. *Hic Iovis altisoni subito pinnata satelles Arboris e trunco, serpentis saucia morsu, Subigit ipsa feris transfigens unguibus anguem.* Ubi, pro *subigit*, scribendum arbitror *subrigit. Subrigit* ex arboris trunco, ubi aquila a serpente ex insidiis erat vulnerata. *Subrigit* antiquius est, quam *erigit.* Sunt isti versus ex carmine Ciceronis, quod *Marius* inscribebatur. Burmannus ad Ovidii Metam. IV. 364. vocat imprudens *antiquum poetam apud Ciceronem.* Quod autem Ciceronis est *subrigit*, hoc Virgilii puto *alte raptum*, raptum sublimem. Heynius iungit *alte volans.* Sed aquila *volans* fert, est dum *volat*, ut ostendatur pugna in aere.

Haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Maeonidae incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem iaculo et multa prior arte Camillam
Circuit, et, quae sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo:
Hac Arruns subit, et tacitus vestigia lustrat;
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat:
Hac iuvenis furtim celeris detorquet habenas.
Hos aditus, iamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum; et certam quatit improbus hastam.
Forte sacer Cybelae Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum: quem pellis aenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati

Ex agmine Tarcho. Servius alibi pro *Tarcho* citavit *raptam.* Idem vidit Mythographus a Maio editus T. III. Class. Auct. pag. 51.

Velocem iaculo et multa prior arte Camillam Circuit. Melius interpungas: *Velocem, iaculo et multa prior arte, Camillam Circuit.* Arruns erat *prior iaculo et arte*, superabat Camillam peritia iaculandi et dolo. Camilla non erat callida, fraudes et furta belli oderat. Sequebatur animi impetum. In vs. 781. dicitur *coeca et incauta.* Arruntis peritia etiam laudatur vs. 767. *certam quatit improbus hastam. Prior*, superans, ut Aeneid. XI. 292. *pietate prior.* Heynius longe aliter interpretatur: »*Iaculo et multa cum arte circuit Camillam Arruns prior, praevertens* eam, dum lateri semper adhaerel."

Quem pellis aenis In plumam squamis auro conserta, tegebat. Versum citat Schol. Statii Theb. XI. 543. Servius ex Sallustio interpretatur, quod ego fragmentum sic esse coniungendum iudico: *Et sequebantur equites cataphracti. Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant. In plumam* Servius bene explicat *in similitudinem plumae.*

Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantis
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma
Troia, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix unum ex omni certamine pugnae
Caeca sequebatur; totumque incauta per agmen
Femineo praedae et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis quum tandem tempore capto
Concitat, et superos Arruns sic voce precatur:
Summe deum, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo

Venatrix. Stephanus: »*Ut se ferret in auro captivo, quoties venaretur.*" Wagnerus: »*Venatrix* est adiectivum, propterea additum, quod per longum spatium non commemorata erat Camilla, et solum *virginis* nomen non videbatur sufficere ad eam designandam." *Venatrix*, credo, est *tamquam venatrix*, quasi feram bestiam venando persequeretur.

Sancti custos Soractis Apollo, Quem primi colimus. Heynius: »*Primi*, praecipui inter ceteros, quod vulgo *inprimis*." Wagnerus de hac significatione exposuit Quaest. XXVIII. 3. refertque h. l. ad ea, ubi *primus* de exemplo dicatur, *quod quis praeit*, qui prae ceteris aliquid facit. Sed ita, credo, haec nunc interpretari nobis non licet. Quem *primi colimus* significat, cui nos *primi haec sacra instituimus*, quae nemo ante nos fecit. Iam, sive legas *primi* sive *primum*, eodem redit. *Primum* est magis orationi poeticae consentaneum, quod saepe Heinsius ad Virgilium VI. 811. aliique ad alios docuerunt, laudati a Ruperto ad Silii II. 235. Haec autem sacra non ab Arrunte primum fuere instituta, sed iam diu antea viguerunt, ut ex annotatione Serviana constat. Praeterea non liquet, quinam sint illi *primi*. Solus *Arruns* loquitur, solum Arruntis nomen praecessit. De patria Arruntis, de genere, nihil memoratur. Additum oportuisset aliquid, ex quo intelligeremus, cur dixerit *se unum ex primis* Apollinem hoc ritu coluisse, et quinam ceteri illi cum eo *primi* fuerint. Quare pro PRIMI scribendum puto IRPINI, hoc est *Hirpini*. *Sancti custos Soractis Apollo, Quem Hirpini colimus.* Servius narrat Soractem esse montem Hirpinorum. Negat quidem Salmasius. Ferebatur tamen an-

Pascitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna;
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias, pulsaeve tropaeum
Virginis, aut spolia ulla peto: mihi cetera laudem
Facta ferent: haec dira meo dum volnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbis.

tiqua fabula de *lupis*, qui olim exta sacrorum in monte Soraete rapuerunt. *Hirpi* Sabine dicebantur *lupi*. Inde populi, lupos in rapinis imitantes, dicti *Hirpini*. Potuerunt postea hanc sedem reliquisse. Sacra tamen mansere, peragenda in eodem monte, erantque, ut videtur, sacra gentilitia. Plinius VII. 2. *Haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiae sunt paucae, quae vocantur Hirpiae* (Hirpinae) *quae sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur. Et ob id perpetuo senatus consulto militiae omniumque aliorum munerum vacationem habent.*

Cultores multa premimus vestigia pruna. Praecessit *quem colimus*. Ingratum et sordidum est, quod sequitur *cultores*. Silius Virgilium hic quoque expressit, V. 175. *Tum Soracte satum, praestantem corpore et armis, Aequanum noscens; (patrio cui ritus in orvo, Quum pius Arcitenens accensis gaudet acervis, Exta ter innocuos laetum portare per ignes) Sic in Apollinea semper vestigia pruna Inviolata teras, victorque vaporis ad aras, Dona serenato referas solemnia Phoebo.* Manifesta imitatio, quae neminem interpretum latuit, neque Lefeburium Villebrunum. Hic in Virgilio pro *cultores* reponebat *victores*, idque, ut annotat Rupertus, ex Silio et MSS. Et *victores* multo melius est, quam inane illud *cultores*. *Victores*, nimirum ignis medii, per quem incedimus innocui. Mihi in mentem venerat SECVRAE pro CVLTORES. *Secura in multa premimus vestigia pruna.* Vestigia *secura* sunt Silii *inviolata*. Repetita litera *a* non offendit, quia quantitas differt. Silius *terimus* scripsit, ut orationem variaret. *Premimus* imitatur Nemes. Cyneg. 11. *intacto premimus vestigia musco.*

Omnipotens. Burmannus coniicit *armipotens*. Possis etiam *arcitenens*, ex Silio. Sed recte Servius hoc dictum putat *ex affectu colentis.*

Pulsa cadat. Etiam brevi ante legitur *pulsaeve tropaeum*. Quare hic pro PVLSA malim LAPSA, quod iterum per transpositas literas facillime mutatur. Ita vs. 711. pro *puraque interrita parma* in Cod. Med. a prima manu scriptum erat *rapuque*.

Audiit, et voti Phoebus succedere partem
Mente dedit; partem volucris dispersit in auras.
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,

Hoc quidem emendatum est et repositum *puraque*, quia *rápuque* intelligi non poterat. Sed *pulsa cadat* nemo emendavit, quia aptam habebat sententiam, nec quidquam vocabulo obstabat, nisi quod tertio versu ante in eadem caussa idem vocabulum praecederet: qualis paupertas in Virgilium non cadit. Sed librarii haec non curabant. In Aeneid. XII. 86. pro *plausa*, in aliis MSS. erat *pulsa*, ex *plosa* vel *plusa* corruptum. *Lapsa cadat*, ut Virgilius Aeneid. VI. 310. *lapsa cadunt folia*. Cicero de Nat. Deor. II. 51. *ex utero elapsum excidit.* Livius I. 58. *Prolapsa in vulnus cecidit.* Et *labuntur* morientes. Aeneid. XI. 818. *labitur exsanguis*. Furius Annal. I. *lapsusque in humum defluxit.*

Patrias remeabo inglorius urbis. Heynius: »Ex muliere victa nullam gloriam se consecuturum esse bene novit." Ego aliter interpretor. Nam, quod Heynius dicit, de aliis mulieribus valet, de Camilla non valet. Erat altera Amazon. Amazonem vicisse, vel Herculi laus putabatur. Camilla sic a Virgilio describitur, ut cum fortissimis viris fortitudo illius comparari possit. Et ipse Arruns satis ostendit, quantopere horrendam virginem timeat. Quare eam ex insidiis petit. Orat igitur Apollinem, ut eam modo interficere liceat, quo sui hac peste et dedecore liberentur: se ex ea caede non petere laudem; malle enim ignotum manere: neque igitur spolia interfectae ereptarum. Si non eriperet spolia, nemo videre poterat, quis Camillam interfecisset. Et Arruns, virgine vulnerata, statim fugit, suisque se immiscuit. Ita *inglorius*, nullo memorabili patrato facinore, in patriam remeasset, si per Dianam licuisset.

Audiit, et voti Phoebus, succedere partem Mente dedit. Si Phoebus eum andiverit, omnia, quae precatus est, Arrunti concessit. Sed *audiit cum exceptione.* Ergo scribendum: *audiit, at voti* cet. Andivit quidem, sed partim. Atque ita est in Homeri Iliad. *Π.* 249. *Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε μητιέτα Ζεύς. Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.* Ubi *δὲ* significat *ἀλλά*.

Partem volucres dispersit in auras. Statim sequitur *hasta per auras* et *ipsa nec aurae*. Quare non credo Virgilium hic scripsisse AVRAS sed EVROS. Et *Euri*, ut etiam *Noti*, in genere pro *ventis* ponuntur. Virgilius Georg. IV. 192. *adventantibus Euris.* Ovidius Amor. I. IV. 11. *nec Euris Da mea verba.*

Sterneret ut subita turbatam morte Camillam, Adnuit oranti. Quamquam Homerus l. l. addiderit: *Νηῶν μὲν οἱ ἀπώσασθαι πόλεμόν τε μάχην τε δῶκε, σόον δ' ἀνένευσε*

Adnuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque notos vocem vertere procellae.
Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertere animos acris oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque aurae
Nec sonitus memor, aut venientis ab aethere teli:
Hasta sub exsertam donec perlata papillam

μάχης ἐξ ἀπονέεσθαι, ea in Virgilio plane erant supervacua. Virgilius mortem Arruntis iam bis indicaverat, et vs. 590 sq. *Hac* (sagitta) *quicunque sacrum violarit vulnere corpus det — sanguine poenas:* et vs. 759. *fatis debitus Arruns.* Quare hic sufficiebat: *partem voti succedere dedit.* Et Virgilius illa, nobis suspecta, pulcrius elaborasset. *Turbatam morte subita* Heynius interpretatur *animum turbatum*, *anima deficiente.* Sed Camilla nihil minus quam turbata erat, postquam letale vulnus acceperat: dat mandata Turno vs. 825. *Succedat pugnae, Troianosque arceat urbe. Iamque vale.* Haec verba morientis suprema non sunt animi *turbati.*

Reducem ut patria alta videret. Quam obscurum sit epithetou *alta*, iam vidimus ad lib. X. 374.

Inque notos vocem vertere procellae. Hoc nihil est aliud, quam ingrata repetitio eiusdem rei et eiusdem imaginis, quae praecessere: *volucres dispersit in auras.* Et ipsa loquendi formula *procellae vocem vertunt in notos* suspicionem movet. Nihil tale apud ullum poetam inveni, cum tamen centies de votis irritis, per ventos ablatis, loquantur. Servius tres versus, mihi suspectos, non interpretatur.

Convertere animos acris. MSS. quaedam *acies* habuisse videntur. Etiam si non habuerint, tamen sic esse emendandum censeam.

Nihil ipsa neque aurae Nec sonitus memor. Hasta emissa dabat *sonitum per auras.* Omnes videbant Camillam peti. Camilla nec *sonitum* nec *auram* curabat. Sequi debebat nec *sonitum* nec *hastam* curabat. Omitto repetitum *auras — aurae*, idque unum numero plurali, alterum singulari. Virgilius, ni fallor, dederat: *nihil ipsa nec hastae Nec sonitus memor, aut venientis ab aethere leti.* Eleganter et poetica imagine *letum ab aethere veniens.* Additum per epexegesin *hastae*, quasi dixisset *hastae letiferae.* Ac vide quam nunc omnia sibi perfecte respondeant. *Hasta* emissa per auras dedit *sonitum.* Illa nec *sonitum* nec *hastam*, quae letum per auras portabat, respexit. AVRAE et HASTAE (vel ASTAE) non multum, TELI et LETI nihil differunt.

Haesit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidae comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. Fugit ante omnis exterritus Arruns,
Laetitia mixtoque metu; nec iam amplius hastae
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montis sese avius abdidit altos,
Occiso pastore, lupus, magnove iuvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subiecit pavitantem utero, silvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Contentusque fuga mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto

Fugit ante omnis exterritus Arruns. Nescio *ante quos* fugerit Arruns. Debuerunt esse socii Arruntis, Teucri, Arcades, praecipue Tyrrheni. Sed hi, deiecta Camilla, facti alacriores, simul omnes densi incurrunt vs. 834. Pro **ANTE OMNIS** legendum puto **EXOCVLIS**. *Fugit ex oculis exterritus Arruns.* Sequitur comparatio. Absoluta comparatione, Virgilius orationem abruptam repetit: *Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns.* Quod idem est, ac si dixisset: *fugit ex oculis — sic igitur ex oculis fugit.*

Conscius audacis facti. Imitationes deprehendi apud Valerium Fl. IV. 295. *Territus ipse etiam atque ingentis conscius ausi.* Statius Theb. IV. 368. *magnique fugit non inscius ausi.* Ubi Scholiasta: »*Occisi pecoris, ut conscius audacis facti.*" Lege: *Occisi pecoris: ut, conscius audacis facti.* Orosius IV. 9. *Xanthippus, tam audacis facti conscius, rerum instabilium mutationem timens, illico ex Africa migravit in Graeciam.*

Caudamque remulcens Subiecit pavitantem utero. Euripides in Oedipode de Sphinge dixerat οὐρὰν ὑπείλλειν, quod cum Virgiliano contulit Hemsterhusius ad Timaeum Ruhnkenianum in v. Γῆν ἰλλομένην.

Contentusque fuga mediis se immiscuit armis. In Cod. Zulich. tantum erat *contentusque fuga.*

Labitur exsanguis; labuntur frigida leto Lumina. *Labitur* non est *cadit*, sed languore in suos artus residit. Illa *labitur*, *labuntur* oculi,

Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex aequalibus unam,
Alloquitur; fida ante alias quae sola Camillae;
Quicum partiri curas; atque haec ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc volnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, et haec Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnae Troianosque arceat urbe.
Iamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, *arma relinquens;*
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

non pulchre iuncta, quia *totum corpus* et *oculi* nimis differunt. *Oculi* ceteroquin recte dicuntur *labi* et *cadere*, quod explicavit Gronovius ad Senecae Hippol. 364. Malim SOLVVNTVR pro LABVNTVR. *Solvuntur frigida leto Lumina.*

Quicum partiri curas. Statius Silv. V. II. 37. *illi curarum asperrima suetus Tradere, partirique metus.*

Hactenus, Acca soror, potui. Male in Hamb. *valui.* Servius ellipsin esse putat verbi *pugnare* vel *vivere.* Cerda explicat: »hactenus *viribus valui;*" laudante Heynio. Apparet, credo, significatio ex iis, quae sequuntur: *nunc me vulnus conficit*, ergo *non amplius possum.* Redit adeo ad Servianum: hactenus *pugnare potui.* Hactenus nulli me labores bellici a pugnando deterruerunt; nunquam defeci: nunc me vulnus conficit. Similis ellipsis in Ovid. Metam. VIII. 882. *Armenti modo dux vires in cornua sumo, Cornua, dum potui. Nunc pars caret altera telo Frontis.* Ubi iam Heinsius Virgilium comparavit. Orosius VI. 1. *Huc usque humana scrutatio potuit.*

Captum leto posuit caput. Paullinus Petricor. III. de Vita Martini: *Tum fessum leto posuit caput.*

Arma relinquens; Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras. Additamenta, credo, Grammatici. Virgilius cum maiestate finivit orationem *posuit caput.* Iam varietas in *relinquens* suspecta. Alii *relinquunt*, alii *reliquit.* Cum virgo *habenas linquebat ad terram fluens*, arma, puto, non tenuit. Etiam Wagnerus non probat. Alter versus hic ex ultimo Aeneidos XII. translatus est. Idem

Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera; deiecta crudescit pugna Camilla;
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum,
Tyrrhenique duces, Euandrique Arcades alae.
At Triviae custos iam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio iuvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam;
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!

censebat Bothius, recte iudicans mortem iam in praegressis satis esse declaratam. Wagnerus Bothium refutavit, quia sic vitiosa exsisteret oratio, et participium *relinquens* in fine sententiae poneretur. Ea quidem difficultas, sublato et hoc hemistichio, tollitur.

At Triviae custos iam dudum in montibus Opis. Non satis constat, quid sit *custos*. In Servianis feruntur quatuor opiniones: *ministra*, *observatrix*, *comes*, *custos mandatorum*. Heynius interpretatur *famula seu comes*, ut Virgilius vocat Epitydeu *custodem comitemque Iuli*, et domum Pinariam *custodem sacri Herculei*. Si quis ea exempla consideret, longe alia esse videbit, nec dici posse Nympham *Dianae custodem*, nisi v. c. Iupiter addidisset *custodem Dianae*, ut observaret, quid dea ageret, Iovique renuntiaret, vel simili in caussa. Pro CVSTOS legendum arbitror IVSSV. *At Triviae iussu iam dudum in montibus Opis Alta sedet.* Diana iusserat vs. 588. *Labere Nympha polo, finesque invise Latinos, Tristis ubi infausto committitur omine pugna.*

Spectatque interrita pugnas. Maluissem Virgilius a persona Nymphae Opidis plane abstinuisset. Omnia ad eam pertinentia et in rebus et in verbis ita sunt concepta, ut fortasse Silio Italico, non Latinorum poetarum principe digna reperiantur. *Interrita* metri caussa videtur additum. Quid mirum spectasse *interritam*, quae extra telorum iactum tuta *in altis montibus* sederet? Reprehenderunt et alii.

Medio iuvenum in clamore furentum. Camilla in eo clamore non est interfecta. Nam inimici eam magis fugiebant, et animum recepere, quum mortuam viderent.

Teucros conata lacessere bello! Nimium est, Camillam propterea morte multari. De *conata lacessere* iam

Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse sagittas.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema iam in morte; neque hoc sine nomine letum
Per gentis erit, aut famam patieris inultae.
Nam quicumque tuum violavit volnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum;
Hic dea se primum rapido pulcerrima nisu
Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.

vidimus. Non tantum *conata* erat lacessere, sed multum lacessiverat, et vexaverat Troianos.

Desertae. Heynius: »*In dumis desertis.*" Wagnerus: *solitariae.* Neutrum satis Latine dicitur *deserta. Deserta* est, quam alii deseruerunt. Camilla homines ipsa deseruerat. Loca *deserta* sunt, quae homines deseruere, ubi homines non habitant, loca *sola.* Homo *solus* etiam *desertus* dicitur, sed non dicitur, nisi ab aliis sit *desertus.*

Nostras humero gessisse sagittas. Novum *sagittas* pro *pharetras.* Et in *pharetris* aliquid singulare ac Dianae Nymphisque Dianae proprium conspici poterat, in *sagittis* minus poterat. In Palat. erat *pharetras.*

Non tamen indecorem. Haec et sequentia iam antea Diana Opidi dixerat.

Quicumque. Opis viderat, quis Camillam interfecisset. Itaque statim Arruntem speculatur.

Regis Dercenni — Antiqui Laurentis. Dura verborum constructio. Bustum *regis Dercenni*, cui subiunxit *antiqui*, *Laurentis:* hoc est, *antiqui regis*, *regis Laurentis.* Sic enim interpungendum arbitror. Wagnerus transponebat: *antiqui regis — Dercenni Laurentis.* Mirum interea *Dercennum* nusquam aliunde esse cognitum.

Opacaque ilice tectum. Magis, credo, Latinum erat: *fuit bustum ex aggere terreno, ilice opaca tectum.* Nam *bustum ex aggere terreno* est *bustum terrenum.* Nemo sic loquitur: *fuit bustum terrenum, et tectum ilice.*

Hic dea se primum rapido pulcerrima nisu Sistit. Alienum ab hoc loco epitheton *pulcerrima.* Tum dubito an sit satis aptum *sistit se rapido nisu.* Nam *quo nisu* opus erat illi, quae ex monte *in tumulum altum* delaberetur? Neque ipsum illud *sistit se nisu* mihi castigatum videtur.

Ut vidit laetantem animis, ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum;
Huc periture veni: capias ut digna Camillae
Praemia. Tune etiam telis moriere Dianae?
Dixit, et aurata volucrem Threissa sagittam
Depromsit pharetra, cornuque infensa tetendit,

Laetantem animis, ac vana tumentem. In Mediceo a manu prima *laetantem animis.* In aliis *fulgentem armis*, in Leid. *surgentem.* Sed cur Arruns nunc adeo *tumet* et gloriatur? Supra optavit, ut *inglorius* ad patriam redire posset. Caede perpetrata, suis se immiscuit, quasi qui caedis auctor haberi non auderet, sed omnino latere cuperet.

Cur, inquit, diversus abis? Sarcasmus dea indignus, et tota oratio magis ridicula, quam gravis. Iam Heynius, ut video, scripsit: » *Tota haec Opis oratio ad nostrum sensum parum habet gravitatis epicae.*"

Periture. In Moretano sec. *moriture.* Suspecta in hac re varietas, ut supra in *laetantem animis.*

Tune etiam telis moriere Dianae? Ista non intelligo. Heynius modis sex diversis aliquam sententiam excutere conatus est. Wagnerus: »*Ne spera te Dianae tela, quae nemo vitare potuit, esse vitaturum.*" Si hoc voluit poeta, obscure, quod voluit, expressit. Virgilius, credo, scripsisset: *capias ut digna Camillae Praemia, et iratae telis moriare Dianae:* vel simile, quod facilius intelligeretur, quam vulgatum. Illud *etiam* non habet, quo referatur. Recte positum vides a Statio Theb. X. 910. ubi Iupiter ad Capanea: *Tune etiam feriendus, ait.* Nam praecedit: *Quaenam spes hominum tumidae post proelia Phlegrae?* Dicit ergo: *tune etiam feriendus, ut illi in campis* Phlegraeis? In Virgilianis nihil tale praecedit, neque ex cetera oratione cogitari potest. Similis quoque locus est in Valerio Fl. IV. 243. *Tune Amyci moriere manu?* ubi omissum vides *etiam.* Licet Amycus, qui iam multos adversarios interfecisset, meliore hoc iure dicere potuisset. Diana hoc non ita frequens faciebat. Neque laudo: *capias praemia Camillae digna.* Laudarem *praemia, facinore et dolo digna, quae tibi Camilla mittit: capias ut crimine digna praemia.* Nam erat crimen, feminam tam fortem et palam pugnantem ex insidiis occidere.

Cornuque infensa tetendit. Non video caussam, cur modum arcus tendendi emittendaeque sagittae hic tam accurate per omnes minutias poeta fuerit persecutus. Heynius putat, quia dea ulciscitur mortem Camillae, cuius admiratio adhuc animos nostros tenuit. Sed Arruns erat homo iners

Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus iam tangeret aequis,
Laeva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantis
Audiit una Arruns, haesitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt;

et timidus, indignus ea verborum pompa. Crederes deam praeparare mortem fortissimi alienius principis, v. c. *ipsius Aeneae.* Et recte animadvertit Heynius in Homero Iliad. *Δ.* 116. Pandarum sic emittere telum, sed a telo Pandari maiorum rerum initia proficisci. Hic autem interficitur homo vilis animi, cuius nulla postea repetitur memoria, quem socii in pulvere camporum obliti relinquunt.

Manibus iam tangeret aequis. Omnis haec descriptio magis grammaticum quam poetam decet. Auctor putidam diligentiam ostentavit. Locus Homeri, iam a Servio laudatus, multo simplicior et ad intelligendum facilior est: *Ἕλκε δ' ὁμοῦ γλυφίδας τε λαβὼν καὶ νεῦρα βόεια. Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον. Aequae manus*, obscurum. *Dextra* et *laeva*, ineptum. Quasi quis laeva nervum tendere posset, et non vel quivis agrestis in hac re ageret, quod agebat dea Opis!

Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt. Servius: »*Negligentes et contemnentes*, vel *ubi reliquerant nescientes*, vel, *quasi sacrilegus relictus*, ut nec sepulturam posset mereri." Heynius accipit *negligentes*, additque *non curantes prae fugiendi studio.* Sed socii non fugiebant, imo, ut statim sequitur, *levis ala Camillae*, Rutuli, Atinas, omnes inimici fugiunt. Et cur socii Arruntem liquissent tamquam sacrilegum, qui nescirent caedis esse auctorem? Unica superest interpretatio: *linquunt eum, iacentem in ignoto campi angulo, neque amplius de Arrunte cogitarunt.* Obstat *exspirantem* et *gementem*, quae indicant socios vidisse Arruntem telo confixum. Neque statim tempus erat sepeliendi. Post victoriam oblivisci non potuerunt. Tunc mortuos sepeliendos conquisivere, neque Arruns conquirentes latuit. Nam in eodem campo, ubi pugna acciderat, iacebat. Ostendi, quae mihi in his versibus esse viderentur reprehendenda. Vix credere possum eos esse Virgilii. Tam impares sunt ceteris eiusdem versibus, ut, qui hos fecerit, illos fecisse non verosimile arbitrer. Fortasse Virgilius hunc locum ita reliquit leviter inchoatum: *At Triviae iussu iam dudum in mon-*

Opis ad aetherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillae;
Turbati fugiunt Rutuli; fugit acer Atinas;
Disiectique duces desolatique manipli
Tuta petunt, et equis aversi ad moenia tendunt.
Nec quisquam instantis Teucros letumque ferentis
Sustentare valet telis, aut sistere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus;
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, et e speculis percussae pectora matres
Femineum clamorem ad coeli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupere patentis,
Hos inimica super mixto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Moenibus in patriis, atque inter tuta domorum,
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec moenibus audent
Accipere orantis; oriturque miserrima caedes

tibus Opis Alta sedet summis. Utque procul — Prospexit tristi multatam morte Camillam Ingemuit. Aurata volucrem Threissa sagittam Depromsit pharetra. Extemplo teli stridorem aurasque sonantis Audiit una Arruns, haesitque in corpore ferrum. Opis ad aetherium pennis aufertur Olympum.

Quadrupedumque. In Rom. et Fragmento Vatican. *quadripedoque.* Recte Wagnerus fortasse recipiendum censebat, si meliores scriptores, quam Ammianum, usos esse constaret. Virgilius alibi posuit *sonitu quadrupedante ungula quatit campum.* Et Heynius *quadrupedo* doctius putabat. In corrupto illo *quadripedo*, ut etiam Donatus habet, est, ni fallor, manus Virgilii. Lege: *Quadrupedique putrem cursu quatit ungula campum.* Eleganter et Latine, *cursu quadrupedi*, confirmatum anctoritate Appuleii in Metam. VI. pag. 434. *Lorum abrumpo, meque quadrupedi cursu proripio.* Idem pag. 436. *equestri celeritate et quadrupedi cursu solum replaudens.* Appuleius, ut notum est, Virgilium et antiquiores Virgilio poetas saepe imitatur.

Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos lacrimantumque ora parentum,
Pars in praecipitis fossas, urguente ruina,
Volvitur; immissis pars caeca et concita frenis
Arietat in portas et duros obiice postes.
Ipsae de muris summo certamine matres,
(*Monstrat amor verus patriae*) *ut videre Camillam*,

Defendentum armis aditus, inque arma ruentum. Si qua glossa Virgilium inquinavit, hic, puto, inquinavit. Praecessit: *oriturque miserrima caedes.* Quaeritur, *quorum caedes?* Respondetur versu *defendentum* sq. Aliorum alia fuit glossa: *Defendentum aditus, duro et sub Marte cadentum.* Ita viderat Donatus. Sed versus toti sententiae est contrarius. Primi fugientium portas patentes irruperunt. Inimici eos premunt, multosque interficiunt. Pars igitur fugientium, qui iam intraverant, portas claudunt. Tunc vero miserrima caedes oritur exclusorum. Exclusi, suis spectantibus, alii in fossas urguentur, alii frustra in portas arietant. Iam rogo, quis hic locus sit *defendentibus aditus*, et quomodo socii in arma sociorum ruere possint, ubi portae essent clausae? Non opus erat defendere aditus, nam neque socii neque inimici intrare poterant. Interpretes, cum veteres tum recentiores, frustra hanc difficultatem expedire conati sunt. Heynius agi putat de *portis* nondum *clausis*, sed *claudendis.* Sed portas fuisse clausas apparet non tantum quia simpliciter dictum *pars claudere portas*, verum etiam quia additum: *Nec sociis aperire viam, nec moenibus audent Accipere.*

Lacrimantumque ora parentum. In duobus MSS. *lacrimantum ante ora parentum.* Quae repetitio, ut Heynius putabat, est concinna. *Ora et oculi*, credo, non satis differunt, ut ita distinguantur.

(*Monstrat amor verus patriae*) *ut videre Camillam.* Nihil hoc versu molestius, insuavius nihil. In MSS. nullum est emendandi praesidium. Varietas haec cernitur: *constat, amos, versus, videre Camillam*, omisso *ut.* Heynius, omnibus, ut explicaret, frustra tentatis, haec operam interpolatoriam olere arbitratur. Brunckius eiecit *ut videre Camillam.* Wagnerus hanc sententiam tribuit: *Monstrat, docet, hortatur, ut hoc faciant exemplo Camillae pro Latio mori ausae.* Sententia profecto non reprehendenda, modo ex verbis, ut leguntur, peti commode possit. Quare Virgilius talem sententiam tam insipide expressisset, nec potius dixisset: *Monstrat amor patriae et virtus invicta Camillae.* Nemo non hoc vulgatis longe esse melius sentit. *Verus*

Tela manu trepidae iaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Praecipites, primaeque mori pro moenibus ardent.
Interea Turnum in silvis saevissimus implet
Nuntius, et iuveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostis, et Marte secundo
Omnia corripuisse; metum iam ad moenia ferri.
Ille furens (et saeva Iovis sic numina poscunt)

amor patriae, epitheton hic adeo frigidum est, ut nihil supra. Neque ferendum *ut videre Camillam*, pro *fortiter morientem videre*. Virgilius potuisset: *Monstrat amor patriae et morientis imago Camillae.* Omitto alia, ut repugnantiam huius versus versibus 593. sq. ubi Diana praedixit, *se nube cava corpus inspoliatae Camillae tumulo esse illaturum.* Quam repugnantiam Wagnerus ad loca retulit, in quibus Virgilius dormitavit.

Primaeque mori pro moenibus ardent. In aliis *audent*. Quod mihi suavius dictum videtur de feminis. Ut Aeneid. IX. 217. *quae te multis e matribus ausa Persequitur.*

Turnum in silvis saevissimus implet nuntius. Simile exemplum in omni Latinitate non exstare puto, ubi *nuntius* aliquem *implere* dicitur, sine addito substantivo, quo impletur. Turnus *impletur terroris, formidinis* recte: *Turnus per famam impletur*, non recte se habet. Exempla a Wagnero citata, *clamor implet aures, facta Herculis implent terras*, longe diversa sunt. Fortasse aliquid turbatum est in vocabulo *saevissimus*. Non enim intelligo, cur librarii sic errare potuerint, ut pro eo alii *densissimus*, alii *lenissimus* scribere potuerint. In versu sequente etiam, quod valde miror, variatum est. Nam pro *Nuntius et iuveni* in Menteliano Cod. *et* non cernitur, pro *ingentem* in Hamb. *coecum.* Virgilius scribere potuit: *Turnum in silvis formidinis implet Nuntius:* vel, *Interea subito silvas saevissimus implet Nuntius, et Turno ingentem fert Acca tumultum.* Quid Virgilius scripserit, fortasse, non nisi ex melioribus MSS. cognoscemus. Ostendo tamen locum ex Aeneid. XI. 447. *Nuntius ingenti per regia tecta tumultu Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet.* Fieri potest ut locus iste aliquem ducat ad hunc, de quo egimus, emendandum.

Et saeva Iovis sic numina poscunt. Suspecta iterum varietas in *et*. Pro eo *iam*, *nam*, *si*, *sic* in MSS. et vetustis editionibus legitur. Neque

Deserit obsessos collis, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat, campumque tenebat:
Cum pater Aeneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque iugum, silvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt;
Ac simul Aeneas fumantis pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit;
Et saevum Aenean agnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas et proelia tentent;
Ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hibero
Tinguat equos, noctemque die labente reducat.

integrum esse arbitror *saeva;* quid enim significat? *Turno infesta?* Sed Iupiter ipse dixerat Aeneid. X. 104. sq. se, *Tros Rutulusve fuat*, nullo discrimine habiturum, fore omnibus eundem. Neque Iupiter erat Turno infestus. Pro ETSAEVA, scribendum puto AETERNA. *Aeterna Iovis sic numina poscunt.* Hoc nihil est aliud quam nota formula *sic Iupiter volebat, sic Di voluere*, similes. Hae formulae plerumque in parenthesi sine praegressa copula vel particula ponuntur. *Numina* autem *aeterna*, ut alibi *aeterna potestas*, et *aeternis regis imperiis*, de Iove.

Nec longis inter se passibus absunt. Sallustius Belli Iug. 55. *Duobus locis, haud longe inter se, castra faciebant.*

Ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hibero Tinguat equos. *Roseus sol* magis dicitur oriens. Fortasse pro ROSEVS legendum SERVS. Ita Seneca in Hercule Oet. 488. *Non ille seros* (locus accipit soles) *cum ferens Titan diem, Lassam rubenti mergit Oceano rotam.* Silius XV. 224. *Phoebi iuga sera cadentis.* Quid autem humile sit in verbo *tinguat*, quod notarunt veteres Grammatici, teste Servio, non satis perspicio. Virgilius iam dixeral in opere absolutissimo Georg. II. 481.

Noctemque die labente reducat. *Sol reducit noctem* mihi imago esse videtur contra ipsam rei naturam ficta. *Sol, Aurora, Dies*, contraria sunt *Nocti*. Sol *fugat Noctem*, Nox *fugat Solem*, non *reducit.* Sic loquuntur omnes, quos vidi, et quorum loca comparavi, poetae Latini. Hieronymus Fracastorius alicubi scripserat: *lux alma diei Cesserat, et Noctis tri-*

Considunt castris ante urbem, et moenia vallant.

stes adduxerat umbras. Iul. Caesar Scaliger, in libro de Re poetica pag. 764, Fracastorium ita reprehendit: *Nemo dicat, a die recedente adduci noctem, sed eius decessione subire noctem.* Scaliger non meminerat Virgilium suum eiusdem negligentiae fuisse accusandum, a quo Fracastorius deceptus ita scripsisse videtur. Si Scaliger Virgilium sic dixisse meminisset, quis novit an non defendisset? Erunt fortasse, qui Homeri Iliad. Θ. 485. Romano ante oculos fuisse putent: *Ἐν δ' ἔπεσ' Ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος Ἠελίοιο, Ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.* Sed quod *φάος ἕλκον* dicitur, in eo ipso est imago Solis post se trahentis Noctem, *Noctis Solem fugantis:* in Virgilio autem *Sol oceanum subit* et *reducit Noctem ex oceano;* quod non ferendum. Pro REDVCAT, scribe transpositis literis RECEDAT. *Noctique, die labente, recedat.*

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER DUODECIMUS.



Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultro implacabilis ardet,

Sua nunc promissa reposci. Mire vim orationis augebis scribendo: *so nunc promissa reposci, Se signari oculis.* Antiquum et exquisitum *reposcor promissa:* et activo duplicem accusativum addunt, ut Graeci verbo *αἰτέω.* Virgilius Aeneid. II. 139. *Quos illi fors et poenas ob nostra reposcent Effugia.* VII. 606. *Parthosque reposcere signa.* Valerius Fl. VII. 650. *Haud iam mendacem promissa reposcere regem Dignatur.*

Ultro implacabilis ardet. Interpretantur: *Nullis adhuc probris et conviciis a quopiam factis.* Wagnerus in Quaest. XXVII. 2. *ultro* de eo, qui *non lacessitus, non provocatus, non rogatus aliquid facit.* Recte: sed *ultro* non facit ad hunc locum. Nam si Turnus, ut praecedit, *reposcitur promissa*, si *oculis signatur*, quid hoc aliud est, quam *lacessitus? Lacessitur* verbis, *lacessitur* signis. Mox Turnus dicit: *crimen commune refellam.* Quod quum Heynius interpretatur *criminationem Turni ab omnibus factam*, et ostendit XI. 215 sq. ubi omnis malorum caussa uni Turno ab omnibus tribuitur; Heynius sibi ipse obloquitur, quando hic Turnum *nullis conviciis adhuc a quopiam factis* ardere existimat. Vel sola oratio Drancis XI. 336 sq. impedit, quominus *ultro* stare possit.

Attollitque animos. Poenorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum volnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantis
Excutiens cervice toros, *fixumque latronis*
Impavidus frangit telum, *et fremit ore cruento:*
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic affatur regem, atque ita turbidus infit:

Drances Turnum sine ambagibus aut circuitione vocat *caput malorum*. Et ipsa, quae sequitur comparatio, Turnum esse lacessitum indicat. Quid enim? Leo *tum demum*, non prius *arma movet*, *quam est saucius*. Haec enim leonum natura est, sicuti animadvertit Servius, ut, *nisi lacessiti*, irasci nequeant. Ita Turnus non prius de singulari cum Aenea certamine cogitat, quam lacessitus est. Ergo non *ultro ardet*. Pro VLTRO scribendum IRA. *Ira implacabilis ardet*. Prior syllaba in *ultro* repeti potuit ex ultima LIS in *oculis*. Virgilius XII. 108. *se suscitat ira*. Statius imitatur Virgilium Theb. VIII. 124. *Ut leo Massyli cum lux stetit obvia ferri*, *Tunc iras*, *tunc arma ciet*. Ibi Schol. h. l. Virgilii laudat, tamquam Lucani.

Gaudetque comantis Excutiens cervice toros. In uno MS. male *comata*. Ambrosius Hexaem. VI. 6. *Eximia leonis pulchritudo comantes cervice toros excutit*.

Fixumque latronis Impavidus frangit telum et fremit ore cruento. Longe maiore cum gravitate oratio finitur in *excutiens cervice toros*. Iam appellaverat poeta *venantes*. Ergo in tam brevi comparatione male repetitur *latronis*. Non probanda est oratio: ut leo saucius vulnere *venantum* frangit telum *latronis*. Iam *latro* pro *venatore* nusquam reperitur. Servius: »*Latronem* venatorem, quis ante hunc?" Veteres igitur in Ennio et aliis non invenerunt; in recentioribus, qui supersunt, nemo imitatus est. Una est caussa, quando venator nominari possit *latro*, si nempe *catulos* leaenae rapiat. In MS. pro *latronis*, legitur *Latinos*. Sed error est, ortus ex transpositione. Et quid illa *impavidus frangit telum?* Natura leonis haec est, ut, neglecto vulnere, in venatores irruat. Quomodo autem leo telum pectori alte infixum frangere possit, et unde os illud *cruentum*, dictu non facile est. Os *cruentum* ei tribuitur, quando vel vulnus in os accepit, vel *molle pecus manditque trahitque*. Priscianus de Laude Anastasii h. l. noverat, scribens vs. 67. *Ut leo, qui regnans silva dominatur in alta Per Libyae saltus*, *nisi nobilis ira lacessat*, *Non movet arma*, *suas stimulat nec verbere vires*. Et Dracontius I. Hexaem. *leo terribilis fremit horridus ore cruento*.

Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent
Ignavi Aeneadae; nec, quae pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe foedus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiae, (sedeant spectentque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos; cedat Lavinia coniunx.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensius aequum est
Consulere, atque omnis metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; *nec non aurumque animusque Latino est;*

Et solus ferro crimen commune refellam. Wyttenbachius, qui hunc librum aliquando auditoribus suis Amstelodami interpretatus est, haec annotavit: »Versus hic habet acerbam ironiam et hunc sensum; *ego huic accusationi respondebo gladio, ego Aeneae mihi obiectam vituperationem refutabo armis.* Ut Virgilius Graecorum consuetudinem imitatus est, ita Virgilium posteriores Latini, veluti Petronius in Carm. Pharsalico 667. *victores ite furentes Ite mei comites, et caussam dicite ferro; Namque omnes unum crimen vocat.* Lucanus III. 262. *Nunc pugnate truces, gladiisque exsolvite culpas.* Similis est color in Epistola Cassii ad Ciceronem Epistol. ad Diversos XV. 19. *Vereor ne nos rustico velit gladio ἀντιμυκτηρίζειν.* Cicero in Orat. de Provincia Consul. 23. *Semper illas nationes nostri maiores potius bello refutandas quam lacessendas putaverunt.*"

Quantum ipse feroci Virtute exsuperas. Concinnius et exquisitius legeretur *quanto.* Nam in *exsupero* est vis comparationis. Ovidius Metam. XIII. 367. *quanto dux milite maior, Tanto ego te supero.* Vide Heinsium ad Heroid. XVIII. 71. *Quanto — concedunt, tanto formosior.* Heinsius sibi non satis constitit, qui ad Metamorph. XIII. 367. *tantum* in Ovidio hac loci Virgiliani auctoritate defendat.

Nec non aurumque animusque Latino est. Verba obscura et inepta. Servius duplicem affert explicationem: »*Etiam a me habes aurum, et promtum animum ad danda omnia, praeter filiam:* vel, *si propter opes et uxorem dimicaturus es, haec non solus habeo: cuicunque enim Latino*

Sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me haec haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis; *simul hoc animo hauri.*
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,

est et aurum et animus promtus in generum." Priorem explicationem Heynius et Wagnerus sequuntur, quorum hic annotavit: »*Si aurum insuper cupis, habebis id a me: animus est, propensa voluntas.*" Quin *animus* significet *propensa voluntas*, dubitari non potest. Si v. c. Latinus dixisset: *dives sum: et nosti animum meum*, non reprehenderem. Quamquam vel sic minus recte omitteretur illud, *si vis aurum*. Sed *mihi est aurum et animus*, pro *dandi*, *si cupis*, *voluntas*, hoc recte dici nego. Sed faciamus recte esse dictum. Quale, quaeso, argumentum? Tam vile, ut vix unus ex infima Latinorum plebe uteretur. *Si aurum cupis, tibi dabo; filiam dare non possum.* Quasi Turnus filiam propter aurum petisset, et auro obiecto amorem cito depositurus, repulsamque aequius laturus, aliamque conditionem facilius esset quaesiturus. Honeste dicit Latinus: *sunt tibi regna patris.* Non est igitur, cur honoris quoque cupiditas tristitiam huius repulsae augeat. De *auro*, respondisset, credo, Turnus: *tuum tibi aurum serva. Filiam tuam, non aurum cupio.* Bryantus etiam hoc hemistichium esse eiiciendum putabat, aut legendum: *nec non auri argentique talenta:* orationem enim, ut de Turno inceperat, ita de Turno fuisse continuandam. Eadem, sic abrupta oratio, offendebat Schraderum. Eiectis spuriis, ut, qui velit, sentiet, egregia est oratio, et vis in verbo *sunt: sunt* tibi regna, *sunt* oppida, *sunt* innuptae. Frigent in medio *est Latino.*

Haud mollia fatu. In alio *fata.* Vulgatum ut re, ita et imitatione Silii probatur, I. 113. *subiicitque haud mollia dictu.*

Simul hoc animo hauri. Nescio an sint Virgilii. Alia literarum forma expressi, ut appareret, esse supervacua. *Haec*, haud mollia fatu, non differunt ab *hoc*, quod Turnus animo hauriret. Servius interpretatur: *omni intentione percipe.* Et sunt huiusmodi formulae, quibus rem gravis momenti ordimur, quales Homeri σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι, et Virgilii: *tu condita mente teneto.* Sed non video, quid sit *simul*, et vero cursus orationis impeditur. Cursus hic est: sunt aliae puellae; filiam meam, sine enim hoc me libere et candide aperire, ducere tibi non licet. Promisi quidem, me tibi daturum: sed non debueram promittere; non fas erat.

Coniugis et maestae lacrimis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero; arma impia sumsi.
Ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas; *recalent nostro Tiberina fluenta*
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties, quae mentem insania mutat?

Recalent nostro Tiberina fluenta Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent. Virgilius ista scribere non potuit. Tiberis *adhuc calet* nostro sanguine, Latinum est, non *adhuc recalet. Recalet* est *rursus calet.* Wagnerus putat *recalere* flumen, *quod antea gelidum fuerat*, ut v. c. homo *resipiscit*, qui fuit *insipiens; requiescit, labore fatigatus.* Quamquam talia potius exemplis, quam ratiocinationibus indicanda arbitror, si argumentum Wagneri valeret, naturam fluminis diceremus fuisse *calidam. Recalet*, qui factus erat frigidus, calorem suum recepit; *resipiscit*, sapientiam, rationem, quam amiserat, recepit; *requiescit*, ad quietem, unde eum labor eiecerat, *revertitur.* Dicit Latinus: *bis victi sumus. Tiberis adhuc sanguine nostro calet.* Hoc de utraque clade accipiendum est. De priore clade, quam induciae duodecim dierum excepere, recte dicitur: Tiberis *adhuc* nostro sanguine calet. De altera clade, pessime dicitur. Nam ea ante paucas horas acciderat. Neque ad eam cladem referri possunt *campi ossibus albentes.* Wagnerus omnia accipit *de priore pugna* tantum. Non urguebo illud *bis victi.* Sed rogo, quid velint *campi albentes ossibus?* Omnes mortui vel cremati erant, ossa tumulo condita, vel mortui ad suos erant avecti. Ossa igitur in campis inveniri non potuerunt, neque invenirentur unquam, nisi multis annis post, si cadavera proiecta fuissent insepulta. Wagnerus interpretatur campi albent *ossibus combustorum.* Hoc fieri non potest. Inspice Aeneid. XI. 212. ubi Latini, postquam suos combusserant — *cinerem et confusa ruebant Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terrae.* Partem difficultatis fortasse tollemus, si priora sic transponimus: *nostroque calent Tiberina fluenta Sanguine adhuc.* Vel sic tamen aliae molestiae remanent, cum in his ipsis, tum in *ossibus.*

Quo referor toties? quae mentem insania mutat? Interpretantur: *cur toties consilium muto, foedere cum Troianis semel sancito.* Sed Latinus consilium semel tantum mutaverat, passus bellum Troianis inferri. Nihil interea ad pacem faciendam tentavit,

Si Turno exstincto socios sum adscire paratus:
Cur non incolumi potiùs certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia: ad mortem si te (Fors dicta refutet!)
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias; miserere parentis
Longaevi, quem nunc maestum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, aegrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optíme, pro me
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, et nostro sequitur de volnere sanguis.
Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem
Feminea tegat, et vanis sese occulat umbris.

nisi in concione illa libri XI. Sed et hoc frustra. *Quae mentem insania mutat* hic maiorem indicant commotionem, quam res et animus Latini ferunt. Translata puto ex Aeneid. IV. 595. ubi Dido, furore percita: *Ferte citi flammas: Quid loquor? aut ubi sum? Quae mentem insania mutat?* Alii, fortasse sentientes hoc esse nimium, hic scripsere *motat*, *versat*, *cepit*. Tanta est in MSS. varietas. In alio quidem MS. erat: *quo refero mentem totiens*. Iam hoc versum redderet suspectum, nisi se ipse proderet. Oratio quam, his deletis, facta sit concinnior, cuivis apparet.

Quam pro me curam geris, hanc, precor optime, pro me Deponas. Servius: "Bis quidem ait *pro me*, sed diversa affectione; namque haec dicit: Quam pro salute mea sollicitudinem geris, hanc pro mea fama et gloria quaeso derelinquas; vir fortis enim gloriosam mortem praeponit saluti." Ego Virgilium bis posuisse arbitror, ut vim adderet. Si *pro me* semel esset positum, graviter pronuntiare debebamus. Hoc et nunc faciendum, minus tamen, quia repetitur. Quam curam *pro me* geris, hanc *pro me* curam, quam te gerere dicis, depone.

Feminea tegat, et vanis sese occulat umbris. Schraderus malebat *Coerulea tegat, ut vanis sese occulat umbris.* Sed *feminea* magis timorem indicat; et *sese* optime explicavit Wagnerus: *frustra invocabit matrem ut se occulat.* Eo nos ducit formula

At regina, nova pugnae conterrita sorte,
Flebat, et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae
Tangit honos animum (spes tu nunc una, senectae
Tu requies miserae; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit):
Unum oro: desiste manum committere Teucris.
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent: simul haec invisa relinquam
Lumina, nec generum Aenean captiva videbo.
Accepit vocem lacrimis Lavinia matris

longe illi mater erit: de qua vida interpretes ad Ovidii Metam. VIII. 435. et Silii XVII. 79. Si pro *dea* in MS. aliquo legeretur *sua*, amplecterer. Plus valeret ad contemtum. Wyttenbachius annotavit: »Haec reprehensio in personam Veneris non satis congruit, nam Aeneas sese vanis occultavit umbris, scilicet nube Veneris: ergo fortasse Virgilius scripserit, *ut vanis sese occulat umbris:* nempe Aeneas."

Desiste manum committere Teucris. Non potest orare ut ne pugnet cum *Teucris*. Imo debet eum incitare ut quam fortissime pugnet, et Teucros ex Italia depellat. Neque in pugna cum *Teucris* tantum erat periculum, sed summum periculum in singulari certamine cum Aenea, quod erat *impar*, ut omnibus visum, cum inciperetur. Ideo et regina dicitur conterrita *nova pugnae sorte.* Quare legendum puto: *desiste manum committere Teucro.* Aeneas non sine contemtu appellatur *Teucer*. Servius interpretatur: »Ab omni eum bello, non tantum a singulari certamine, dehortatur." Pluralis quidem saepe ponitur cum indignatione pro singulari. Hic tamen, propter ambiguum, non recte poneretur. Accedit imitatio Homerica. Hecuba Paridem dehortatur: *μηδὲ πρόμος ἵστασο τούτῳ*: et *ἀλλά σ' ἔγωγε Παύσασθαι κέλομαι μηδὲ ξανθῷ Μενελάῳ Ἀντίβιον πόλεμον πολεμίζειν.*

Accepit vocem lacrimis Lavinia matris Flagrantis perfusa genas. Ambigua verborum positio: *accepit vocem matris cum lacrimis*, an *accepit vocem matris, perfusa genas lacrimis.* Hoc quidem melius est. Sed *lacrimis* longius a *perfusa* separatur, et *matris* et *vocem* insuavi modo interiiciuntur. Pro MATRIS verum arbitror AMARIS. *Accepit vocem lacrimis Lavinia amaris Flagrantis perfusa genas.* Versus elegans et rotundus. *Accepit vocem* longe pulcrius, quam *accepit vocem ma-*

Flagrantis perfusa genas: cui plurimus ignem
Subiecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.

tris. Talia substantiva cum iudicio omittuntur. Est pars antiquae in lingua gravitatis, quod Quintilianus et alii non semel animadverterunt. Lacrimae *amarae*, ut Homerus Odyss. *Δ.* 153. *αὐτὰρ ὁ πικρὸν ὑπ' ὀφρύσι δάκρυον εἶβε.* Et sic Graeci saepius. Virgilius nusquam alibi *amaras lacrimas* posuit, nec quisquam, quantum novi, poetarum Latinorum. De Virgilio mirum, nisi semel certe Homericum hoc epitheton expressisset, qui omnia fere alia expresserit. Nec video quid in natura vocabuli sit, cur Latini in hac caussa abstinuissent. *Amarum* est *salsum*, ut aqua marina. Vide Burmannum ad Rutilii Iter I. 251. *Salsae lacrimae* sunt notae. Inveni tantum apud Iuvencum in Passione: *ploratus fudit amaros.* Hoc ille magis ex sacris libris, quam ex usu loquendi vel imitatione poetarum accepisse videtur. Nam Matthaeus Euangel. XXVI. 75. ἔκλαυσε πικρῶς, quod in Vulgata redditur *flevit amare.* Interea, pro *flagrantis perfusa genas*, Virgilius, ni fallor, melius scripsisset *candentis perfusa genas.* Genae *flagrantes* iam sunt *rubore tinctae.* Requiruntur autem, et propter ipsam naturae veritatem, et propter sequentem comparationem, *genae candidae*, *niveae*, *eburneae;* alioquin comparatio nimis claudicat. Ut *lilia rubent inter albas rosas*, ita Lavinia habebat flagrantes genas, ignem, ruborem, ora calefacta. In Lavinia adeo omnis vultus erat rubicundus, ut omnia sunt rubicunda in liliis rosisque albis inter se mixtis. Hoc non procedit. Duplex postulatur color in vultu, ideo mox virgo *dat colores.* Claudianus totum Virgilii locum ante oculos habuit de Raptu Pros. I. 270. *niveos infecit purpura vultus Per liquidas succensa genas: castaeque pudoris Illuxere faces. Non sic decus ardet eburnum, Lydia Sidonia quod femina tinxerit ostro.* Vides *niveos vultus.* Plura interpretes ad Tibulli IV. III. 30. *Candor erat, qualem praefert Latonia Luna, Et color in niveo corpore purpureus.*

Cui plurimus ignem Subiecit rubor, et calefacta per ora cucurrit. Explicatio antecedentium *flagrantis* perfusa *genas.* Pro *ora*, in aliis MSS. *ossa*, quod Heynio non displicebat. Sed *os* et *genae* saepe iuncta reperias. Ecce Tibull. II. IV. 32. *Inficitur teneras, ore rubente, genas.* Idem mallet *calor* pro *rubor*, nisi sequeretur *calefacta.* Exempla, quae Heynius affert, ubi *ossa* dicuntur *calefacta*, non sunt de *pudore*, sed de *amore*, et de *calore vitali.* Ego pro RVBOR scribendum iudico PVDOR. *Rubor* non subiicit *ignem*, sed *ignis* subiicit *ruborem.* *Pudor* efficit *ignem*, *ignis ruborem.* *Rubor* est effectus et signum *pudoris.* Bene Terentius

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa

Andr. V. III. 7. *Num eius color pudoris signum usquam indicat.* Recte Valerius Fl. VII. 410. *Quam simul effusis pavitantem fletibus heros Flagrantesque genas vidit miserumque pudorem.* Alia est ratio in loco Apollonii Rhodii III. 962. *θερμὸν δὲ παρηίδας εἷλεν ἔρευθος*, ubi nulla *ignis* mentio accedit. Iam veteres difficultatem in Virgilii dicto viderunt. Servius: »Hypallage est, pro, *cui ignis animi subiecit ruborem.*"

Violaverit ostro. Statius Theb. I. 150. *nec cura mero committere gemmas Atque aurum violare cibis.* ubi Hemsterhusius volebat *auro violare cibos:* ut Iuvenal. Satyr. XI. 116. *Fictilis et nullo violatus Iupiter auro.* Persius Satyr. II. 64. *Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo, Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.* Ubi imitatur Virgilium Georg. II. 465. *Alba neque Assyrio fucatur lana veneno, Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.* Recte *corrumpitur*, ut *vitiatur*, cum adiecta notione *mutationis in deterius*, ut Heynius quoque animadvertit. Atque hic in Aeneide fortasse quaeri potest, an bene lectum sit verbum *violaverit. Violare* est, ut vidimus, *nativum colorem corrumpere.* Tacite ergo *vitium* indicatur. Color *mutatur in deterius*, adeo ut minus decorus sit, quam initio fuerat. Lavinia, in illo pudore etiam pulcerrima, non eleganter cum *ebore* sic *violato* comparatur. In alia caussa hoc verbum laudarem, v. c. *non contenti sumus iis, quae natura dedit: ebur purpureo colore violamus et corrumpimus.* Virgilius expressit Homeri *μιαίνειν*, primus, ut videtur. Virgilium alii secuti sunt. Homerus recte posuit *μιαίνειν*, quia comparat Menelaum, cui sanguis ex vulnere effluebat. Heynius quidem annotavit esse simpliciter pro *βάπτειν*, ut Latinum *adulterare colorem*, neque subesse notionem *inquinandi*. Dixerim ego potius: notio *inquinandi*, *corrumpendi* semper inest, sed, si fieri possit, abiicienda est, ubi de pulcritudine agitur. Ego quidem abiicere non possum. Claudianus de Raptu Pros. I. 272. *non sic decus ardet eburnum, Lydia Sidonio quod femina tinxerit ostro.* Pulcre. Poterat dixisse *violaverit*, v. c. *Lydia quod Poeno mulier violaverit ostro*, vel *corruperit*, vel *maculaverit:* sed ita ipsum *decus eburnum* corrumpitur. Linguae a poetis ditantur et poliuntur: saepe etiam corrumpuntur. Talis verborum abusus, qualem hic notavimus, linguas corrumpit. Res periculosa, inprimis si Virgilii exemplum praebent. De verbis Graecis *μιαίνειν*, *μολύνειν*, *φθείρειν* non disputo. De Latinis *violare*, *vitiare* et *corrumpere*, teneo, quod

Alba rosa: talis virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus;
Ardet in arma magis, paucisque affatur Amatam:
Ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,

dixi. Natura vocabulorum indicat *vitium*. Si res mixtis coloribus fit pulchrior, ea non recte *vitiatur*. Nec cuiquam licet notionem *vitii* vel addere, vel tollere, vel minuere: *vitium* manet *vitium*. Burmannus ad Propertium II. 24. Passovius ad Taciti German. 4. eodem modo erravere in explicando verbo *corrumpere*. Loca apposuisse suffecerit, ut propriam significationem esse servatam videamus. Propertius: *Ah pereat, quicunque meracas reperit uvas, Corrupitque bonas nectare primus aquas!* Tacitus: *Germaniae populos, nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur.* Licet *infectos* non adeo ad hanc disputationem pertineat, Tacitus, qui Germanos tanti faciebat et extollebat, *infectos* non laudi duxit. Idem German. 23. *Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus.* Ubi Passovius interpretans *a vera natura in alienum usum mutatus*, ipse tacitus significat esse *mutationem in deterius*. Horat. Satyr. II. VIII. 50. idem dicit de aceto, *quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam.* Haec et his multa similia in Lexicis non accurate tradita sunt, et Morhofius Polyhist. T. I. pag. 657. viam emendandi ostensurus, longe ipse aberravit. Interea fieri potest, ut verbum *violare* non plane sit idem, atque *vitiare* et *corrumpere*. Origines linguae Latinae adhuc parum cognitae sunt. Ipsi Romani non tenebant, nobisque, ubi antiquissima poetarum scripta non exstant, primam vocabulorum notionem saepe ex coniecturis tantum indagare licet. Quid? si *violare* proprie significaverit *colore imbuere, qualis est in violis, violas imitato*, ut dicit Horatius Epist. II. I. 207. *Lana Tarentino violas imitata veneno.* Virgilius adeo dixisset: si quis ebur *purpura violacea* imbuerit. A tali notione usus, linguarum tyrannus, facile ceteras omnes deducere potuit. Prima notio certe non in facto, ad animum pertinente, quaerenda est.

Ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto. In Parrhas. Cod. *ne me omine:* quod elegantius, vel propter sonum *e e*, qui est flentium. Oratio Turni autem hic flebilis fit. Locum imitatur Silius III. 133. *Omnibus parce et lacrimis, fidissima coniux* sq.

O mater; neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Cum primum crastina coelo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit:
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrum arma quiescant,
Et Rutuli: nostro dirimamus sanguine bellum;
Illo quaeratur coniunx Lavinia campo.
Haec ubi dicta dedit: rapidusque in tecta recessit;
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementis,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia;
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigae, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.

Neque enim Turno mora libera mortis. Dicit: moriendum mihi est. Mortem morari, differre non possum, quae me in hoc certamine manet. Sed tale omen longe peius esset, quam illud, cui ut parceret, reginam oraverat. Quid illa dixerat? *Qui te cumque casus manet, idem me manet.* Ne loquere tam diri ominis verba, respondet Turnus, nunc, quum haec pugna mihi sit tentanda: mortem enim differre, non est arbitrii mei. Etiam si interpreteris *si mors instat*, vel sic omen est tristius, quam quod regina dixit. Scribendum omnino: *neque enim Turno mora libera Martis.* Ne me prosequere tanto omine, euntem in certamina Martis: *Martem differre* aut detrectare mihi non licet. Fausto igitur omine me potius prosequere. *Mora Martis*, ut Eclog. III. 52. *Quin age, si quid habes, in me mora non erit ulla.* Livius XXV. 18. *Nulla mora a Campano facta est.* Seneca Herc. Fur. 1171. *Nulla pugnandi mora est.* Postea vidi in uno MS. legi *Martis.* Difficultatem, a me indicatam, veteres Grammatici sensisse videntur eandem. Alioquin non intelligo, cur ista essent ex *insolubilibus duodecim*, quae, teste Servio, in Aeneide reperiebantur. Sententiam *nemo mortem effugere potest* poetae aliter exprimunt. Horatius Satyr. II. VI. 94. *neque ulla est Aut parvo aut magno leti fuga.*

Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt. In MSS. quibusdam *pulsa* et *minantia* manifesti sunt errores scribentium. Ovid. Art. I. 629. *Quadrupedes — Depexaeque iubae collaque plausa iuvant.* Vide Heinsium ad Ovid. Metam. II. 866. *pectora praebet Virginea plaudenda*

Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris; simul aptat habendo
Ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae;
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, et Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quae mediis ingenti annixa columnae
Aedibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium; quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. Da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revolsam
Semiviri Phrygis, et foedare in pulvere crinis
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentis.
His agitur furiis; totoque ardentis ab ore
Scintillae absistunt; oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti quum prima in proelia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,

manu. Alterum imitatur Claudian. Carm. 88. *Exercentur equis et colla comantia pectunt.* Videtur hoc fragmentum maioris carminis, ex centonibus Virgilianis compositi.

Aptat habendo. Habet, induit, et sic aptat ensem et clipeum. Varronis est: *vestis habendo deteritur.* Attigit Salmas. ad Tertull. de Pallio pag. 250. Valerius Flaccus VI. 174. *Aegide terrifica, quam nec dea lassat habendo.*

Hasta meos, nunc tempus adest. Heinsius emendabat: *Hasta meos, nunc (tempus) ades.* Magis mihi placeret: *Hasta meos; nunc tempus, ades.* Nunc, nunc tempus, o hasta, ades. Silius XI. 395. *Verum agite, o mea turba, precor, iam tempus, adeste.*

Mugitus veluti. Quasi Turnus nunc primum initurus esset proelium, nunquam antea pugnasset. Wagnerus putabat, si praegressa consideraveris, non satis aptam esse hanc comparationem, locumque esse unum de imperfectis.

Irasci in cornua tentat. Wyttenbachii est annotatio: »Virgilius e Graecis profecisse videtur. Similia sunt illa apud Euripidem Helena 1513. etiam apud incertum poetam Tragicum in Ciceronis Epist. ad Atticum VIII. 5. iam citata a Scaligero ad Catullum

Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis saevus in armis
Aeneas acuit Martem, et se suscitat ira,
Oblato gaudens componi foedere bellum.
Tum socios maestique metum solatur Iuli,
Fata docens; regique iubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montis
Orta dies; quum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant:
Campum ad certamen magnae sub moenibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos et dis communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,
Velati limo, et verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis

pag. 60. Ipsa illa *irasci in cornua* sumta sunt ex Eurip. Bacch. 742. quod sequuntur Iulianus Orat. VI. pag. 200. D. Aelianus Hist. Anim. II. 20. IV. 35, 48."

Maestique metum solatur Iuli. Eleganter *metum Iuli* pro *metuentem Iulum.* Ovidius Fast. II. 821. *Hinc pater, hinc coniux lacrimas solantur.* Vide ibi Burmannum, et ad Claudian. de Consul. IV. Honor. 342. Convenit cum Graeco *παραμυθεῖσθαι*, quod egregie explicavit Hemst. ad Xenoph. Ephesii I. pag. 136.

Quum primum alto se gurgite tollunt. Wagnerus putabat ortum diei hic tantum fuisse commemorandum, non ornandum: aut si poeta ornare voluisset, orationem aliter debuisse instituere. Iam olim ornatum istum reprehendisse videntur. Eo scilicet pertinent annotationes Servianae: *Quia res perturbatae secuturae sunt, diem quoque cum fervore oriri fecit;* et mox: *sciendum nunquam diem tam potenter descripsisse Virgilium: sicuti in quarto 522. noctem, ubi Dido pervigilans deliberat.* Et animus lectorum ita excitatur, praeparatus ad audiendum belli exitum, quum oritur dies, testis tantae rei futurus. Et sic accepit Heynius.

Pilataque. In annotatione Serviana pro: »Nam et Graeci res densas et artas πιλώϊα dicunt:" scribendum est *πιλωτά*. Vidit Hemsterhusius.

Agmina se fundunt portis. Hinc Troius omnis
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis;
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque superbi,
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asilas,
Et Messapus equum domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit:
Defigunt telluri hastas, et scuta reclinant.
Tum studio effusae matres, et volgus inermum,
Invalidique senes, turris et tecta domorum
Obsedere; alii portis sublimibus adstant.
  At Iuno e summo, qui nunc Albanus habetur,
Tum neque nomen erat, nec honos, aut gloria monti,
Prospiciens tumulo campum adspectabat, et ambas,
Laurentum Troumque, acies urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est affata sororem,
Diva deam, stagnis quae fluminibusque sonoris
Praesidet; hunc illi rex aetheris altus honorem
Iupiter erepta pro virginitate sacravit:

Plenis Agmina se fundunt portis. Livius I. 14. *plenis portis effusi.* *Plenae portae* sunt undique patentes, totae apertae. Ut *plenis velis.*

Superbi. Recte praetulerunt Heynius et Wagnerus alteri *decori*, quod alibi legebatur.

Diva deam. Specimen alienae interpretationis Grammaticorum et hoc est Serviannm: »ant hypallage est, pro *dea divam:* aut bene dixit de Iunone *Divam*, respiciens etymologiam." Iuno nempe pro *aere* habebatur. *Diva* et *dea* promiscue usurpantur. Ovidius Metam. XIV. 12. *Diva dei miserere precor.* Silius VIII. 205. *Diva deae parere parat.* Suavius tamen *dea deam.* Sic Ovidius Metam. V. 300. *Miranti sic orsa deae dea.* Hinc emendandum iudico, quod legitur in Hymno Cereris vs. 64. Ceres alloquitur solem: *'Ἠέλι', αἴδεσσαί με ΘΕΑΣ ΥΠΕΡ.* Scribe: *ΘΕΑΝ ΘΕΟΣ*, hoc est: *Dive deae miserere;* ut est apud Ovidium *Diva dei miserere.*

Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quaecunque Latinae
Magnanimi Iovis ingratum adscendere cubile,
Praetulerim, coelique lubens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Iuturna, dolorem.
Qua visa est fortuna pati, Parcaeque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi:
Nunc iuvenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnam adspicere hanc oculis, non foedera possum.
Tu, pro germano si quid praesentius audes,
Perge; decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: cum lacrimas oculis Iuturna profudit;

Animo gratissima nostro. In aliis MSS. *carissima*, quod equidem praefero. Homerus, ut iam Servius annotavit, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. Wagnerus, etiam propter Homericum, praetulit *gratissima*. Sed ex χάρις fit Latinum *carus*. Et Sallustius Iug. 14. *frater, animo meo carissime.* Ovidius contra Metamorph. V. 260. *Quaecunque est causa videndi Has tibi, diva, domos, animo gratissima nostro es.* Ubi non bene legeretur *carissima*. Loca sunt distinguenda, quod nec Heinsius, neque alii fecerunt.

Magnanimi Iovis ingratum adscendere cubile. Difficile intellectu epitheton *magnanimi*, nec facile *ingratum*. *Ingratum* interpretantur *invisum* Iunoni, Iovem *ingratum*, Latinas *ingratas*, vel, de quo pellici *nulla gratia*. Quomodo cunque accipias, non convenit cum *magnanimi*, nisi hoc dictum putes ironice; quod ineptum. Recte ponitur ironice vs. 877, ubi Iuturna: *iussa superba Magnanimi Iovis: haec pro virginitate reponit?* Fortasse pro MAGNANIMI scribendum GERMANI. Iuno in caussa adulterii Iovem hic melius vocat *germanum*, fratrem, quam *maritum*, aut simpliciter *Iovem*. Sic enim facilius Iuturnae ignoscere videtur, si *frater* peccaverit, quam si coniux.

Cum lacrimas oculis Iuturna profudit. Dura verborum constructio, quia statim sine copula sequitur *percussit*. Neque enim ordinem sic instituere licet: *profudit, et percussit ter quaterque*. Potuisset Virgilius v. c. *terque tremente manu*. Et quis novit, an *qua* non repetitum sit ex antecedenti *que*, unde ortum *quaterque*, formula omnibus nota?

Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Iuno:
Accelera, et fratrem, si quis modus, eripe morti;
Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, et tristi turbatam volnere mentis.
  Interea reges, ingenti mole Latinus

Non lacrimis hoc tempus. Diversae in MSS. lectiones pro *hoc* feruntur, *i*, *haec*, *hoc tempus eget*, *erat;* Heinsius coniicit *hic tempus*, Withofius *fere tempus.* Wagnerus putat neminem hic fuisse haesurum, si poeta scripsisset: *nunc tempus*, id ipsum autem *nunc* contineri pronomine *hoc.* Mihi *nunc* melius videtur: Ovidius Fast. III. 241. *pecoris nunc hora creandi.* Virgilius paullo ante dixerat: *nunc tempus. Eget* repetitum est, ni fallor, ex Aeneid. II. 521. *non defensoribus istis Tempus eget.* Quod Heinsius volebat *hic*, praesidium fortasse inveniet in Ovidio Metam. VI. 611. *Non est lacrimis, hic, inquit agendum.*

Auctor ego audendi. Ut *adhortator audendi* apud Livium VII. 32. ex egregia Freinshemii emendatione. Gronovius addidit ex Ammiano Marcell. XV. *hortator audendi.*

Interea reges, ingenti mole Latinus. Duplex in hoc versu explicando difficultas me semper moratur. *Reges* nescio quo referendum sit. Macrobius pro *nova figura* Virgilii habet. Servius putat esse *hyperbaton;* ut sit ordo: *reges procedunt castris*, et cetera in parenthesi posita existimentur. Heynius ab initio *genus* esse positum arbitratur, tum *individua* subiungi. Si quis accuratius ista intuetur: *Reges, Latinus vehitur quadriiugo curru, Turnus it in bigis, hinc Aeneas et Ascanius procedunt castris* — non ea esse satis concinna fatebitur. Heyniana ratio *procedunt omnes castris*, non probanda est. Latinus enim rex non procedit *castris*, sed procedit ex *urbe* sua. Et *hinc* ostendit Aenean et Ascanium diversa ex parte venisse. Quare *procedunt* minime subiectum habet *Latinum* et *Turnum.* Sed maior etiam difficultas cernitur in *mole ingenti.* Servius interpretatur *pompa, ambitu;* Heynius *magna molitione, apparatu;* Wagnerus *ingenti corpore.* Et hoc Latinum est, non quod Servius et Heynius volebant. Aliquis venit *ingenti mole*, significat *ingenti et robusto corpore*, unde saepe notio *cum vi* veniendi simul continetur. Virgilius Aeneid. III. 656. *Ipsum* (Polyphemum) *inter pecudes vasta se mole moventem.* VIII. 199. de Caco: *magna se mole ferebat.* Florus I. 13. *Galli Senones ipsa corporum mole, per-*

Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo et coelestibus armis,
Ex iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae,
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Saetigeri fetum suis, intonsamque bidentem,
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

inde armis ingentibus. Claudianus de Laud. Herc. 105. *immensa membrorum mole cruentus aper.* Statius Theb. V. 442. de Hercule: *tarda se mole ferentem Vix cursu tener aequat Hylas.* VI. 835. *Herculea non mole minor.* Iam nulla afferri potest caussa, cur Virgilius regi Latino, eidemque seni, hoc loco *ingens et robustum corpus* tribuat. Waguerus quidem aliquid sensisse videtur, quam non decorum hoc esset. Nam, postquam explicaverat *ingenti corpore*, addidit: »Nec moles tantum eiusmodi monstria, qualia Polyphemus et Cacus, tribuitur a Virgilio, sed etiam Acestae V. 431. *Hic membris et mole valens.*" Sed Virgilius optime haec de Entello (Waguerus imprudens scribit *Acestae*) dicit. Nam erat *pugil: Ille* (Dares) *pedum melior motu, fretusque iuventa; Hic* (Entellus) *membris et mole valens; sed tarda trementi Genua labant.* Vides pugilem, vides *molem* opponi Daretis *velocitati.* De rege Latino, proficiscenti ad foedus faciendum, ista memorari, laus est omnium ineptissima. Locus est corruptus, cui restituendo Cod. Mediceus viam ostendit facillimam. In eo Codice a manu prima scriptum est: *Interea rex ingenti de mole Latinus.* Si pro MOLE reponas MORE, ipsam, ni fallor, Virgilii manum habebis: *Interea rex ingenti de more Latinus Quadriiugo vehitur curru.* Rex Latinus vehitur curru ingenti quadriiugo, ut erat mos, si ad faciendum foedus vel alia solemnia extra urbem proficisceretur. Erat ille currus ad usus extraordinarios sepositus, ut hodie currus regum vel antiquitate vel splendore insigniores. *De more*, ut Virgilius VI. 39. *lectas de more bidentes*, et alibi saepe. Ovidius Metam. II. 711. *Illo forte die castae de more puellae Pura coronatis portabant sacra canistris. More* et *mole* etiam in MSS. Ovid. Metam. XV. 230. permutata sunt.

Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris. Heinsius coniicit *appulit*, recte non probante Heynio,

Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et Pater omnipotens, et tu Saturnia coniunx,
Iam melior, iam, diva, precor; tuque inclute Mavors

cuius *flammantibus* vel *ardentibus*, pro *flagrantibus*, neque aliis fortasse placebit. Et alterum *flagrans* quarto abhinc versu praecedit.

Conversi lumina solem. In nonnullis *lumine. Lumina* quoque vidit Valerius Fl. III. 343. *suam vultus conversus ad urbem.* Ubi Heinsius malebat *vultu.* Sed *vultus* in accusativo plurali longe aliter pronuntiatur atque *conversus.*

Altaria libant. Libando tingunt, quasi *κατείβω* et *collibo.* Conferatur Burmannus ad Lucani III. 404.

Saturnia coniunx. In multis *Iuno*, ut Virgilius semper alibi. Wagnerus librarios ad eam formulam mutasse putat. Fortasse aliquis imprudens fecit, ex similitudine ultimae syllabae in IVNX et IVNO.

Iam melior, iam, diva, precor. Servius distinguit: *Iam melior, iam diva precor:* ac si diceret, *non Saturnia*, id est, iam minime nocens, sed Troianis propitia. Volebat ergo: *quae iam diva es*, non amplius Iuno. Sic interpungere debuisset *iam melior, iam diva, precor.* Unde Cerda: *eris melior*, si iam deinde non sis Saturnia. Sed Aeneas nihil maius ad Iunonem irritandam dicere poterat. Dixit enim: iam te appello Divam, antea non fuisti, sed Iuno acerbissima illa, et odiis nunquam exsaturata. Wagnerus Virgilium scripsisse malebat *nostra:* tamen in repetito *iam* animum sollicite precantis agnoscit. Acciperemus ergo: *iam melior iam.* Hoc mihi non Latinum esse videtur. Latinum quidem erat *iam iam melior.* Quamquam et hoc ambiguum, quia *iamiam* significat *mox*, *statim.* Ego hoc iterum leniter transpositis literis emendavi, scribens VICTA pro DIVA. *Iam melior, iam victa, precor. Victa* est tandem non sine multo labore et precibus *exorata*, *superata*, *expugnata*, *evicta.* Aeneas hic respicit ad Heleni dicta Aeneid. III. 337. *Iunonis magnae primum prece numen adora: Iunoni cane vota libens, dominamque potentem Supplicibus supera donis.* Aeneas hoc fecerat, Iunonemque iam superatam et *victam* esse putabat. Virgilius Aeneid. IV. 548. *tu lacrimis*

Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;
Fontisque, Fluviosque voco, quaeque Aetheris alti
Religio, et quae caeruleo sunt numina ponto.
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno:
Convenit, Euandri victos discedere ad urbem;
Cedet Iulus agris; nec post arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferrove haec regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis Victoria Martem:
(Ut potius reor, et potius di numine firment),
Non ego nec Teucris Italos parere iubebo,
Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambae
Invictae gentes aeterna in foedera mittant.

evicta meis. Terentius Heaut. I. 1. 62. *Saepe eadem et graviter audiendo victus est.* Sallust. B. Iug. 9. *flexit animum suum, et Iugurtham beneficiis vincere aggressus est.* Ovidius Metam. I. 378. *Si precibus, dixerunt, numina iustis Victa remollescunt.* Conferantur Burmannus ad Georg. IV. 398. Ruhnkenius ad Suetonium pag. 5 et 255. et Gronovius ad Iustin. II. 13. Locum Virgilii respexerunt Seneca Herc. Oet. 1319. *Iam fracta* (Iuno) *iam satiata, quid pascis minas?* et Statius Theb. VIII. 119. *sed pectora flectas, Et melior sis, quaeso, deis.* Valerius Fl. II. 369. *Divae melioris ad ignes Usque sedent.* Adde Gronovium ad Senecae Medeam 555. Legemus igitur in posterum: *Iam melior iam victa:* eaque emendatio hoc facilior est, si respicias minores literarum ductus *diva* et *victa*. Litera enim *d* centies mutata est in *ct* et *cl*, et *at*. Vide, praeter ea, quae dixi ad Horatium Carm. IV. 7. interpretes ad Silium XIV. 407. et pulcerrimum Gronovii inventum ad Senecam de Ira III. 24. ubi ex *durius* fecit *clarius*. Sic in ipso Virgilio Aeneid. II. 391. *clade* in MS. Goth. ortum est ex *deinde*.

Sin nostrum annuerit nobis Victoria Martem. Supra *Martem* tamquam deum invocavit. Ideo non convenit *Martem* hic accipere pro *belli exitu*. Nec pulcre dictum: Victoria vult Martem deum esse nostrum, nobis propitium. Mars maior est quam *Victoria*. Mars annuit *victoriam*. Melius, credo: *Sin nostro annuerit nobis Victoria Marte.* Si *Victoria* nobis annuerit, dum *Mars nobis favet*, Marte favente, ita volente.

Paribus se legibus ambae. Duo Codices *sed legibus*. Alterum elegantius.

Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto,
Imperium sollemne socer: mihi moenia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Aeneas; sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens coelum, tenditque ad sidera dextram:
Haec eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, iuro,
Latonaeque genus duplex, Ianumque bifrontem,
Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis;
Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine sancit;
Tango aras; medios ignis et numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec foedera rumpet,
Quo res cunque cadent; *nec me vis ulla volentem*

Qui foedera fulmine sancit. Iupiter periurii ultor, iuris adeo iurandi vindex, Iupiter ὅρκιος. In Hamb. *numine sancit*, quo ducit Zulich. *numine fulmine.* Prope abest, ut verum putem: *qui foedera numine sancit.* Illud *numine* facile ob antecedens *foedera* mutari potuit in *flumine* et *fulmine.* Sed sequitur *numina.*

Tango aras; medios ignis et numina testor. In Palatin. *mediosque.* Malim: *Tango aras mediosque ignis, et numina testor. Aras tangere*, sollemne; *medios ignis* in ara, solemnius.

Nec me vis ulla volentem Avertet. Iam primum pro se quisque animadvertat, quanto gravior ac pulcrior fiat omnis haec oratio, spuriis sublatis. Deinde sententiam inspiciat: nulla dies hanc pacem rumpet, quicunque sit huius certaminis exitus. *Me nulla vis ab ea pace avertet, non si mundus pereat.* Ratio talis sententiae non constat. Vis hominum, *prava iubentium*, Latinum a servanda pace avertere poterat, *mundo pereunti* non hic erat locus. Sive mundus staret, sive periret, hoc nihil ad regem, nihil ad fidem, nihil ad perfidiam. Vir bonus et constans, vel mundo pereunte, non terretur, ut in notissimo Horatii dicto: *si fractus illabatur orbis. Impavidum ferient ruinae.* Et iam ante Horatium auctor Psalmi 46. quae Buchananus sic reddidit Latinis versibus: *Quum muniat nos praesidio suo, — dominator orbis, Nullum expavemus vim: quatiat licet Orbem tumultus, terraque sedibus Convulsa, montium ruinis Arctet aquas pelagi frementes.* Et si tellus in undas effunderetur, coelum in Tartara solveretur, nemo Latinum amplius sollicitaret ut hanc pacem rumperet. Quodsi iam singula excutiamus, haec Virgilio non digniora videntur, quam tota sententia.

Avertet; non, si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens, coelumque in Tartara solvat:

Nec me vis ulla volentem Avertet. Heynius: »*volentem* bene adiectum; nam potest foedus rumpi eo nolente et invito, ut factum est VII. 586." Ego sic arbitror: *volentem* stulte adiectum. Nam si foedus *nolente Latino* violetur, ut violatur vs. 267 sq. haec non est culpa Latini, neque Latinus propterea a foedere *per vim aversus est.* Stultius etiam est adiectum *volentem*, si cogites *vim.* Hoc ita contrarium est, ut iungi non possit. Quis unquam, *vi coactus*, fecit aliquid *volens?* Promissa et dona *volentem* de officio deducunt, vis et minae invitum ac *non volentem.* Wyttenbachius scripsit: »*volentem* videtur abundare nonnullis: at est ex usu Graecorum, ut sensus sit, *coactum quidem vis poterit avertere, non item consentientem.* Praeterea est proverbium Graecorum *ἑκόντα ἀναγκάζεσθαι volentem cogi*, qua de re exposuit Wesselingius ad Herodotum I. 4." Sed Herodotus loquitur de mulieribus, quae raptae sunt quidem, at volentes, non invitae; *εἰ μὴ αὐταὶ ἐβουλέατο, οὐκ ἂν ἡρπάζοντο.* Ita v. c. Helena apud Euripidem Electra 1072. dicitur *ἁρπασθεῖσ' ἑκοῦσ' ἀπῴχετο.* Quod crimen erat pars carminis Stesichorei, quare Castor et Pollux eum oculorum lumine privasse narrantur: *Ἑλένη ἑκοῦσα ἀπῆρε.* Unde Ovidius Heroid. V. 131. *Vim licet appelles, et culpam nomine voles: Quae toties rapta est, praebuit ipsa rapi.* Huiusmodi *vim* Latinus cogitare non potest.

Non, si tellurem effundat in undas, Diluvio miscens. Nulla vis, ne maris quidem ac terrae coelique et Tartari permixtio me a pace ista avertet. Hic, ut iam dixi, vis hominum requiritur. Tum *avertet* omnino lenius est in tanta vi. Tellus non *effunditur in undas*, sed contra *Oceanus in tellurem.* Dignum, quod, ut fecit Servius, per hypallagen explicetur. Et vide illa non castigata, non Latina, ut sunt alia Virgilii: *nulla me vis avertet, non si vis tellurem in undas effundat, miscens diluvio.*

Coelumque in Tartara solvat. Obscure *solvat.* An *fractum dissolvat?* Vix Latine additur *in Tartara.* An solvat, *resolvat*, ut v. c. *sal resolvitur* in aquam? Primum imago non bene lecta, deinde Tartara non adeo capacia sunt, ut maximam ac praecipuam trium regnorum partem in unum Plutonis regnum resolvatur. Latinum est *Tartara coelo misceat, confundat* vel simile. Fortasse Lucretius poetae ante oculos fuit III. 852. *Scilicet haud nobis quidquam, quei non erimus tum, Accidere omnino poterit, sensumque movere, Non si terra mari miscebitur, et mare coelo.* Caeterum in his a me deletis iterum maior, quam alibi, est in MSS. varietas.

Ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta nec umbras,
Cum semel in silvis, imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro;
Olim arbos, nunc artificis manus aere decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant foedera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas

Ut sceptrum hoc. Nulla dies hanc pacem rumpet, aeque minus, atque hoc sceptrum fundet virgulta. *Hoc* graviter pronuntiandum: sceptrum a rege monstratur. In eo vis comparationis praecipue cernitur. Illud *nunquam pax rumpetur* claro exemplo affirmatur.

Dextra sceptrum nam forte gerebat. Sceptrum alioquin fere semper *laeva* tenebatur. Ovidius Metam. VII. 506. *Aeacus in capulo sceptri nitente sinistra.* Valerius Fl. II. 590. *Iamque aurea laeva Sceptra tenens.* Silius XVI. 240. *regnique insigne vetusti Gestat laeva decus.* Ubi plura interpretes. Dextra, credo, regum saepe aliis rebus erat occupata. Ita Iupiter stabat cum sceptro in laeva, quia fulmen habebat in dextra. Et *dextra* Latini hic erat occupata, nam haec iurabat, tenens aram dextraque super medios ignes identidem extensa. Quare fortasse melius legeretur: *laeva sceptrum nam forte gerebat.* Pro *gerebat*, in Montalb. *regebat.* Est illud quidem doctius, vide Burmannum ad Valerii Fl. II. 396. sed verissime Wagnerus in hac sententia oratione simplicissima esse utendum dixit.

Olim arbos. Additamentum totam orationem Latini frangit. Ineptum est, et loco in primis alieno positum. Graviter finitur in *brachia ferro.* Neque *sceptrum* fuit *arbos*, sed *hasta arboris;* arbos ipsa, *stirps*, *mater*, stabat, iterumque alia virgulta pro hoc reciso fundebat. Non me latet *arborem* interdum sic poni, ut idem sit atque *ramus.* Sed nunc sceptrum, de stirpe recisum et matre carens, nihil est aliud nisi ramus, is autem *ramus* non recte dicitur olim fuisse *arbos.*

Aere decoro Inclusit. Exspectaveram *auro*, ut in sceptro regis, et Homerus praeiverat Iliados A. 246. χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον.

Patribusque dedit gestare Latinis. Verum erat *regibus. Rex* et *patres* probe discernuntur, Aeneidos XI. 234 et 379. *patribusque vocatis Primus adest.* In Aeneid. VII. 170. regia Laurentis Pici describitur; *Hic sceptra accipere, et primos attollere fasces Regibus omen erat.* Tale *sceptrum* Latinus nunc gerebat regium; *regibus* ergo fecerat artifex, non patribus.

In flammam iugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Iamdudum, et vario misceri pectora motu;
Tum magis, ut propius cernunt *non viribus aequis*.
Adiuvat incessu tacito progressus et aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genae, et iuvenali in corpore pallor.
Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit
Sermonem, et volgi variare labantia corda:
In medias acies, formam assimulata Camerti;
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis;
In medias dat sese acies, *haud nescia rerum*,

In flammam iugulant pecudes. Wyttenbachius comparavit Herodoti VI. 76. *εἰς ποταμὸν σφαγιάζεσθαι*, et alia in Indice Plutarchi addidit.

Tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis. Assentior Heynio et Brunckio, *non viribus aequis* assuta esse versui imperfecto indicantibus. Schraderus emendabat *haud viribus aequos.* Quod longe elegantius. Vulgatum est durum, variisque modis accipitur, *congressuros haud equis viribus*, *adstare*, *ὄντας;* Wagnerus accipit pro *ea pugna*, *eorum pugna*, unde huc revocandum *eos.* Sensit ipse vir eximius, tamen aliquid inesse minus castigati; nam addit: »in re plana, ut haec est, non raro veteres scriptores minus curant quomodo, quam ut aliquo modo, id, quod senserint, expressum sit." Periculosum Wagneri praeceptum, quo ad interpretandos scriptores abuti possint inprimis adolescentes. In re plana facillima, credo, plana oratio invenitur. Nec quisquam scriptor, qui in aliquo numero esse cupit, unquam neglexit, quo modo res exprimeret. Hic quidem additamento libentes caremus; nam *impar ea pugna videri* omnino idem est. Grammaticus aliquis haec apposuit ex Aeneid. V. 809. *congressum Aenean nec dis nec viribus aequis.* Versus dimidiatos Virgilii ex Virgilio supplere facillimum est, idemque Grammaticis ineundum, quod vel ex centonibus apparet.

Adiuvat incessu tacito. Schraderus eleganter emendavit *incessu tardo.*

Haud nescia rerum. Wagnerus: »ad explendum versum haec adiecta

Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Obiectare animam? numerone, an viribus aequi
Non sumus? En, omnes et Troes, et Arcades, hi sunt,
Fatalisque manus, *infensa Etruria Turno.*

sunt a poeta, satis scilicet otiosa post ea, quae vs. 222. sq. legimus. Haud tamen propterea in suspicionem adducta velim." Haec Wagnerus, qui de additamentis huiusmodi otiosis nonnulla annotavit ad Aeneid. I. 678. Ego non credo Virgilium, si additamentum revera sit otiosum, ut est, hoc fuisse positurum. Reliquisset versum dimidiatum, ut reliquit multos, longe plures, quam nunc habemus. Hoc cadebat in curam et religionem, qua Virgilius sua carmina lentissime festinans componebat. Habebat praeterea rerum inutilium adiectio duplex periculum: res istae, saepius legendo ac repetendo, tandem nobis fiunt familiares, adeo ut, quod in iis sit vitiosum, non amplius cernamus: tum mori poterat ante ultimam manum operi impositam, atque adeo auctor haberi versuum, quos ipse improbasset. Et cui bono explevisset, quod ipse deinde abiiciendum iudicasset? Virgilius hic scribere potuisset: *In medias dat sese acies*, *ac talia fatur.* Sed illud *rumoresque serit varios*, ex Furio, quod docuit Macrobius, addere voluit, ergo versum reliquit imperfectum. Sententia quidem post *dat sese acies* non est absoluta. Sed neque versus est absolutus. Quidquid veteres Grammatici de sententia in huiusmodi versibus absolvenda dixerint, et recentiores assenserint, ego non assentio. Poeta versum non absolvit. Absolvet postea, et cum versu absolvet sententiam. Legem ei hanc nemo ponat, ut, quamquam versu non absoluto, sententiam tamen absolvat. Hoc a forte fortuna pendet.

Fatalisque manus, *infensa Etruria Turno.* MSS. *fatalesque manus*, *mortalesque*, *Etruria mater.* Nusquam in genuinis versibus est talis varietas. *Mortales* fictum videtur ex Aeneid. X. 375. *mortali urguemur ab hoste Mortales.* Iam videamus quid verba significent. Hi sunt omnes Troes et Arcades, et manus illa fatalis, tota scilicet Etruria, Turno propter Mezentium infensa, fatalis, inquam, ea manus, cui fato destinatum est, ut Turnum et Rutulos vincant. Talis oratio Iuturnae tribui hic non potest. Unice enim apta esset ad omnem Rutulis animum et constantiam eripiendam. Heynius versum eiiciendum putat, et asterisco notat, tamquam ab aliquo subiunctum, qui Etruscorum auxiliorum factam mentionem desiderabat. Wagnerus asteriscum non prius removebit, quam

Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur:
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est iuvenum sententia dictis
Iam magis atque magis; serpitque per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.
Qui sibi iam requiem pugnae rebusque salutem
Sperabant: nunc arma volunt, foedusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud maius Iuturna adiungit, et alto
Dat signum coelo; quo non praesentius ullum

extiterit, qui versum felicius propugnet, quam nonnulli fecerunt. Ego nihil omnino inveni, quo propugnarem.

Succedet fama, vivusque per ora feretur. Versus esset elegantior, ita compositus: *Succedet virtute, virumque per ora feretur.* Turnus quidem in coelum recipietur a superis, ad quorum aras nunc se pro nobis devovet, (hoc virtus illa meretur) et nomen illius nunquam est intermoriturum. Succedit in coelum propter virtutem, ut Horatius: *Virtus recludens immeritis mori Coelum, negata tentat iter via.* In vulgatis reprehendo *Succedet fama ad superos*, cum ipsum, tum sequentibus *vivus per ora feretur* adiunctum. Plus est *fama ad superos succedere.* Cui, maiori, non recte minus subnectitur *feretur per ora vivus.* Et *feretur per ora virum* hic gratam posteritatis memoriam pulcrius indicat, quam *vivus per ora feretur.* Ennius in noto versu utrumque posuit: *volito vivu' per ora virum.* Sed nihil aliud de *fama* praecedit. Wyttenbachius locum ita interpretatur: »*Succedet fama ad superos*, deorum numine auferetur, et suscipietur in ipsorum deorum numerum. *Mortis* mentio omissa est per euphemismum. *Fama* hic habet non communem *humanae famae* significationem, sed *divinam* quamdam vim, et sic solebant Romani de Romulo loqui, veluti Cicero Catil. III. 1. *Romulum ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus.* Plura de hoc usu exempla dedimus Biblioth. Criticae Vol. III. Part. II. pag. 58."

His aliud maius Iuturna adiungit, et alto Dat signum coelo. Primum, credo, melius legetur: *Hic*

Turbavit mentis Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Iovis ales in aethra
Litoreas agitabat avis turbamque sonantem
Agminis aligeri; subito quum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctaeque volucres
Convertunt clamore fugam, mirabile visu;
Aetheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, et ipso
Pondere defecit, praedamque ex unguibus ales
Proiecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod saepe petivi;
Accipio, agnoscoque deos: me, me duce ferrum

aliud maius. Sic Virgilius solet scribere, rem novam narraturus: Aeneid. II. 199. *Hic aliud maius miseris multaque tremendum Obiicitur magis.* Deinde, pro IVTVRNAADIVNGIT, omnino reponendum iudico SATVRNIAIVNGIT. *Hic aliud maius Saturnia iungit, et alto Dat signum coelo.* Iuturna non eam habebat potentiam, ut talia signa et monstra daret. Erat Iuturna in terra, et terram non reliquit. Iuno erat in coelo, unde melius poterat dare signum; et auxilium tacita promiserat. Nunc absolvit, quod Iuturna inceperat, maius aliquid iunxit conatibus Iuturnae, ut foedus rumperetur.

Convertunt clamore fugam. Servius: *cum clamore redeunt.* Heynius etiam de *volatu* simpliciter accipit. Fortasse melius erat *praevertunt clamore fugam.* Aquila agitabat cycnos. Hi fugiunt versus lacus suos. Aquila subito unum arripit. Tum cycni, mirabile visu, fugam aquilae praevertunt, impediunt quominus cum praeda aufugere possit, et hostem agmine facto premunt, adeo ut cum praeda per nubem cycnorum super urguentium evadere non liceat. Praedam abiecit, sic fugit in nubila.

Hoc erat, hoc votis, inquit, quod saepe petivi. Tale aliquid ut fieret, saepe clam mecum optavi, dum haec sacra fiunt. Wagnerus difficultatem in *saepe* invenit, et interpretatur *valde, multum, magnopere.*

Me, me duce. In Goth. *sine me.* Corruptum ex male repetita ultima litera in *deos.* Unda factum est *sme, sine.*

Corripite, o miseri, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut avis, et litora vestra
Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, et adversos telum contorsit in hostis
Procurrens; sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcerrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio coniunx Tyrrhena Gylippo,
Horum unum, ad medium, teritur qua sutilis alvo
Balteus, et laterum iuncturas fibula mordet,
Egregium forma iuvenem, et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx, accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, caecique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum, hinc densi rursus inundant
Troes Agyllinique et pictis Arcades armis.
Sic omnis amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras; it toto turbida coelo

Comicum illud *sine*, quod est minantium, hic locum obtinere non potest.

Horum unum, ad medium, teritur qua sutilis alvo Balteus. In Med. *sutilis auro balteus.* In aliis *ad mediam alvum.* Locus, etiam post Heynii interpretationem, non facilis: vulnus acceptum est *ad medium*, in medio corpore, ea ipsa parte, qua coit in alvo balteus, fibulaque inserta constringitur. Balteus ita *teritur* adstrictu fibulae in alvo. Melius, credo, intelligetur: *ad mediam teritur qua sutilis alvum Balteus.*

Diripuere aras; it toto turbida coelo Tempestas telorum. Servius: *deiecerunt, dissipaverunt.* Hoc cur facerent, non intelligo. Servius cogitabat de *ministris*, qui mox *crateras ferunt.* Tempus, credo, non

Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber;
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus
Pulsatos referens infecto foedere divos.
Infrenant alii currus; aut corpora saltu

permittebat. Et cur aras *deiicerent?* Erant de espite, et nulli usui, si sacra semel essent peracta. *Aras diripere*, est *rapere illud*, quod erat in aris, quodque bello utile esse poterat. Diripuere igitur torres et ligna ardentia, quorum tempestas mox it coelo. Pro TVRBIDA, scribe TORRIDA, et muta distinctionem: *Diripuere aras; it toto torrida coelo Tempestas, telorum ac ferreus ingruit imber.*

Craterasque focosque ferunt. Wagnerus explicat: auferunt sacrorum ministri: *focos* putat esse altaria ex aere facta, vel etiam batillos. Servius iungebat *diripuere aras et ferunt crateras focosque*, ut Virgilius aliud suo more interiecerit. Equidem *ferunt* pro *arripiunt* acceperim, *populantur*, ut pro armis habeant, prae furore obliti armorum, quae in promtu erant.

Pulsatos referens infecto foedere divos. In hoc versu multa reprehendo. *Pulsatos* pro *violatos*, *laesos*, non bene lectum vocabulum. *Pulsatus* non ponitur nisi proprie, *verberatus*, ut apud Virgilium *pulsatusve parens.* Hinc *pulsari et verberari* iunguntur fere tamquam synonyma. Iam dei non possunt *pulsari*, nisi in *statuis.* Sed, etiam si statuae adfuerint, cur eas quisquam pulsaret? Non hoc agebant, ut deos laederent, aliud habebant quod facerent. Si deos laeserunt, laeserunt eo, quod iuratum foedus violarunt. *Referens* est verbum ambiguae significationis. Heynius interpretatur *secum revehens*: signa enim deorum ipsa ad aram fuisse statuta. Virgilius, credo, ubi tam accurate sacram pompam describit, ea *signa* non omisisset. *Infecto* nimis videtur tenue. Aliud est, quum Latini precantur foedus *infectum*, non factum. Neque propterea hic accipi potest pro *polluto.* Quid Virgilius scripserit, dictu difficile est. Multo elegantius scripsisset: *Polluto testans violatos foedere divos;* vel *Pollutos testans confuso foedere divos*, quod ipsum a vulgatis non multum discedit. Considera enim PVLSATOS et POLLVTOS, et INFECTO et CONFVSO. Ita vs. 496. *Multa Iovem et laesi testatus foederis aras:* 581. *testaturque deos, iterum se ad proelia cogi.* Ovidius Metam. V. 44. *testatus iusque fidemque, Hospitiique deos, ea, se prohibente, moveri.* Idem Latine dicitur *deos clamare*, de quo interpretes ad Petronium 58. Livius I. 9. *Turbato per metum ludicro, profugiunt incusantes violati hospitii foedus, deumque invocantes.*

Subiiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem, regisque insigne gerentem,
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere foedus,
Adverso proterret equo: ruit ille recedens,
Et miser oppositis a tergo involvitur aris
In caput inque humeros. At fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet; haec melior magnis data victima divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynaeus ab ara
Corripit, et venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis; olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit; super ipse secutus
Caesariem laeva turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens terrae applicat ipsum;
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum,
Pastorem, primaque acie per tela ruentem,
Ense sequens nudo superimminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disiicit, et sparso late rigat arma cruore.

Avidus confundere foedus. Iam Servius vidit *avidum.* Sed Aeneas et socii foedus confundere nolebant.

Hoc habet. In Med. scriptum videtur: *hoc habe et.* Pro *data victima*, Oudart. *datur hostia.*

Pastorem, primaque acie per tela ruentem. MSS. quaedam *in prima acie*, et *primamque aciem.* Heynius putat orationem fore comtiorem, si *que* post *prima* deesset. Wagnerus defendit, ut *pastor* et *ruens* sint duo apposita de *Also*, *pastorem* vero additum, propter teli genus, quo ille utitur. Assentior Heynio. Neque *teli genus*, *securis*, necessario ex *pastoris* nomine intelligitur. Habebant pastores et alia tela, rarius secures. Malim: *Podalirius Alsum Intrepidum.* Sic recte sequitur *primaque acie per tela ruentem.* Natura erat ferox et intrepidus, ideoque per tela ruebat.

Rigat arma cruore. In nonnullis *cerebro.* Genus teli et vulneris hoc commendat.

Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat:
Quo ruitis? quaeve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras! ictum iam foedus, et omnes
Compositae leges; mihi ius concurrere soli;
Me sinite, atque auferte metus. Ego foedera faxo
Firma manu; Turnum iam debent haec mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis allapsa sagitta est,

Atque suos clamore vocabat. Servius: »Utrumque exercitum iam suum vocabat, ut talis fuerit eius clamor: cur in vos invicem ruitis mei?" Haec non est vera interpretatio. Ante certaminis cum Turno eventum, *sui* tantum sunt Troiani et socii. Ita Aeneid. IX. 464. *in proelia cogit Quisque suos.* Cur eos potissimum vocaret, qui huius pugnae auctores non fuissent? Vocabat omnes, orabatque ut foedus iam ictum servare vellent. Pro SVOS, scribe VIROS.

Quaeve ista repens discordia surgit? Male in aliis *recens.* Interpretes saepe illud *repens* confirmarunt. Vide ad Ovidium Metam. XII. 62. et Valerium Fl. II. 91.

Me sinite, atque auferte metus. Estote securi et quieti. Nullus vos metus ad arma capienda incitet. Nullum periculum vobis imminet. Ego et Turnus soli rem dirimemus. Sic Aeneid. X. 9. *quis metus aut hos Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit?* Heynius aliter: »Nolito timere pro me: ego firmabo foedus pugna cum Turno ineunda." Sed haec non erat sufficiens caussa, cur Troiani timorem mitterent. Exitus enim pugnae erat incertus.

Ecce, viro stridens alis allapsa sagitta est. Non dicit qua parte corporis Aeneas vulneretur: neque in sequentibus memoravit. Quod mihi non placet. Virgilius nusquam aliquem esse vulneratum narrat, quin locum vulneris addat. Idque in Aenea inprimis requirebatur, eo magis, quia vs. 385. sq. difficultas curandi tam accurato describitur. Pro VIRO legendum esse arbitror VMERO. In MSS. cernitur saepe *umero, uero.* Fronto pag. 11. *dolor umeri gravis.* Ubi Maius annotavit se in antiquis Codicibus talia vidisse multa. Et novimus pariter *homines* et *omnes* saepe esse permutata. Legamus ergo: *Ecce humero stridens alis allapsa sagitta est.*

Incertum, qua pulsa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem; casusne, deusne,
Attulerit. Pressa est insignis gloria facti;
Nec sese Aeneae iactavit volnere quisquam.
Turnus, ut Aenean cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet;
Poscit equos atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
Multa virum volitans dat fortia corpora leto;
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentis
Bella movens immittit equos: illi aequore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant; gemit ultima pulsu
Thraca pedum; circumque atrae Formidinis ora,

Nec sese Aeneae iactavit volnere quisquam. Quod alioquin fieri solet. Exemplum est in vulnere Cyri minoris, de quo Xenophon et Plutarchus. Virgilium expressit Hegesippus de Excidio Hieros. II. 18. *ne quis se iactet alius meo vulnere.* Statius Theb. VIII. 717. *ingentem fraxinus iram Fortunamque ferens, teli non eminet auctor. Astacides Melanippus erat, nec prodidit ipse.* Idem XII. 136. *pereatque ingentis gloria coepti.*

Raptas fugientibus ingerit hastas. Turnum in bigis suis habuisse hastas tunc, quum ad sanciendum foedus proficiscebatur, credibile est. Crispabat vs. 165. manu *bina hastilia*, ex cetero hastilium numero. In bastis praecipue fidebat *spolio Actoris.* Praeterea vs. 326. *poscit equos atque arma simul.* Sed epitheton *raptas* minus intelligitur. Heynius interpretatur *correptas*, *arreptas.* Sic autem otiosum est: et Wagnerus iure rogat, quorsum poeta *raptas* adiecerit? Ego pro RAPTAS scribo RAPIDAS. Turnus cum furore et impetu, rapidus, celeriter, hastas ingerit. Si quis fortasse raptas *ex corporibus interfectorum* malit accipere, neque hoc difficultate caret. Quomodo enim Turnus tam saepe ex curru desiliat?

Circumque atrae Formidinis ora — aguntur. Formido, Irae et Insidiae circum (equos, currum) aguntur. *Ora Formidinis* pro *Formidine.* Sed non possumus iungere *ora Irae*,

Iraeque, Insidiaeque, dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter proelia Turnus
Fumantis sudore quatit; miserabile caesis
Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.
Iamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque,
Hunc congressus et hunc; illum eminus: eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo praevertere ventos.
Parte alia media Eumedes in proelia fertur,
Antiqui proles bello praeclara Dolonis;
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,
Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus.
Illum Tydides alio pro talibus ausis

nam sic dicendum erat *Insidiarum.* Ergo *Irae* in plurali ponuntur, quod imitatione probavit Valerius II. 205. *atraeque genis pallentibus Irae.*

Hunc congressus et hunc. Recte Wagnerus ex superioribus repetit *hunc et hunc leto dedit congressus.* Similis forma orationis in Silio IV. 165. *Cryxus Picentem Laurumque, nec eminus ambo.*

Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio. Silius ista legit, II. 179. *Qui thalamos ausus quondam sperare superbos. Ast Ithacus vero ficta pro morte loquacem Affecit leto.* Ergo haec ante Silium iam fuere inserta. De Dolone satis erat dictum. Ferri tamen fortasse posset additamentum de *leto,* si versus hanc sententiam praeberent: Tydides alio eum pretio pro votis tam improbis affecit, et Achilles equos sibi suos servavit. *Pro talibus ausis* Latine significat *pro illo facinore*, pro *illa speculatione:* ut Aeneid. II. 535. *Di tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis.* Sed quod facinus aut scelus erat *in speculatione?* Si Diomedes ipse diceret, ferrem. Virgilium sic loqui non decet. Poeta tamen *ausa* accepisse videtur pro *improbis votis*, ut ea sic sibi respondeant: Dolon *ausus est poscere* currus, Diomedes *pro talibus ausis*, pro re quam poscere ausus erat, alio pretio affecit. Sed tum requirebatur potius *pro tali auso.*

Affecit pretio; nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto:
Ante levi iaculo longum per inane secutus;
Sistit equos biiugis, et curru desilit, atque
Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo
Impresso, dextrae mucronem extorquet, et alto
Fulgentem tinguit iugulo; atque haec insuper addit:
En, agros, et, quam bello, Troiane, petisti,
Hesperiam metire iacens: haec praemia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic moenia condunt.
Huic comitem Asbuten coniecta cuspide mittit,
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque,
Et sternacis equi lapsum cervice Thymoeten.
Ac velut Edoni Boreae quum spiritus alto
Insonat Aegaeo, sequiturque ad litora fluctus;
Qua venti incubuere, fugam dant nubila coelo:

Nec equis adspirat Achillis. Nemo hinc aptam sententiam extorsit. Alii pro *adspiravit*, alii *nec tum ille amplius adspiravit* ad equos Achillis, alii *desiit adspirare*, interpretantur. Servius: »*Adspirat* apud maiores *accedit* significat. Sed hic figurate dixit, pro *ad equos*: id est, occisus est, nec ad equos Achillis accessit. Melius tamen est, ut de Diomede accipiamus, ut sit sensus: Diomedes occidit Dolonem, qui equos Achillis ausus est petere: quos nec ille, qui eum occidit, poposcit." Haec Servius. Venerat mihi in mentem transpositis literis scribere PRIVATVS pro ASPIRAT. Sed totus locus non est pro ingenio Virgiliano. Diu postquam ita cogitaveram, vidi etiam Heindrichio haec suspecta videri.

Hesperiam metire iacens. Broukhusius annotavit suum doctorem Iunium maluisse: *Hesperiam metire: iaces.*

Qua venti incubuere, fugam dant nubila coelo. Nescio, cur viri docti talem versum tam diu aequo animo ferre potuerint. Vel solum illud: veluti *quum Boreas* insonat, nubila fugiunt, *qua venti* incubuere; non ferendum est. Esset negligentia ne in puero quidem excusanda. Latinum erat: quum Boreas insonat, nubila fugiunt, qua incubuit. Quamquam vel sic *qua incubuit* esset otiosum: ubi enim *insonat*, ibi *incumbit*. Omitto duplicem imaginem fluctus *fu-*

Sic Turno, quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conversaeque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem:
Obiecit sese ad currum, et spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque iugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, et summum degustat volnere corpus.
Ille tamen clipeo obiecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat:
Cum rota praecipitem et procursu concitus axis
Impulit, effunditque solo; Turnusque secutus,
Imam inter galeam summi thoracis et oras
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenae.
  Atque ea dum campis victor dat funera Turnus:
Interea Aenean Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,

giunt Borean, nubes *fugiunt ventos*. Neque ipsa comparationis forma est consuetudinis Virgilianae. Solet plerumque apodosin in ipsa comparatione omittere: *velut quum Boreas intonat et sequitur fluctus — sic agmina cedunt Turno.* Boreas autem *sequitur* fluctus, pro *persequitur, agit* fluctus. Olim nonnulli *fluctus* melius singulari numero accipiendum putabant, ut Servius annotavit. Singularis, puto, in hac caussa non satis vehemens est. Mare alioquin et *ventos sequitur*, diversa tamen nonnihil significatione. Lucan. II. 454. *ut cum mare possidet auster Flatibus horrisonis, hunc aequora tota sequuntur.*

Conversus in hostem Ibat. Phegeus erat pedes. Ergo stantem in curru Turnum gladio adoriri non poterat. Phegeus adeo vulneratus est non a Turno, sed ab alio; quod bene vidit Heynius.

Auxilium ducto mucrone petebat. Frustra in aliis Codd. *educto*, *stricto*. *Ducere* gladium, usu frequenti tritum. Vide Heinsium ad Valer. Fl. I. 122.

Castris statuere cruentum. In vulgata lectione supra non apparet, ubi Aeneas esset vulneratus. Viri docti quaesivere vulnus, alii, ut Servius,

Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Saevit, et infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quae proxima, poscit:
Ense secent lato volnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Iamque aderant Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore

in talo pedis, alii in *genu*, Cerda, quem Heynius sequitur, in *femore*. Ego supra *humero* emendavi. Ex tali vulnere Aeneas recte dicitur nunc *cruentus*, quia sanguis ita per totum corpus sparsum defluit. De *talo* pedis hoc minime dici poterat, minus etiam bene *de femore*. Cui loco vulneris primum obstat tam accurata curationis descriptio, quae ipsa propter locum fortasse non satis verecundiae haberet; deinde Aeneas, si in femore vulnus accepisset, paullo prudentius, ni fallor, de *lato enso* et *latebra teli penitus rescindenda* fuisset locutus.

Alternos longa nitentem cuspide gressus. Interpretantur *altero pede claudicantem*. Sed nec Latine dicimus *alterno pede* claudus, *alterno oculo* captus, nec *gressus* unum *pedem*, *sed utrumque* promotum significat. Aliquis stat. Promovet pedem sinistrum, tum pedem dextrum sinistro adiungit. Hic est *gressus*. Aeneas gressus sine adminiculo cuspidis continuare non potest; tam debilis erat ob amissum sanguinem, qui totum corpus cruentaverat. Aeneas vix uno gressu processit, quum alterum gressum cuspide sustentare cogitur. Ita *alternos* gressus nititur cuspide. Valerius Fl. II. 33. *Acclinem scopulo inveniunt*, (Vulcanum e coelo deiectum) *miserentque*, *foventque*, *Alternos aegro cunctantem poplite gressus.* Non iste est Vulcanus claudicans, sed *alterno gressu cunctans*, quiescens, stans, uno gressu facto paullulum cessans, alternis cunctans. Silius I. 554. *Ille tegit clipeo fusum per membra cruorem*, *Tardaque paullatim et dubio vestigia nisu Alternata trahens*, *aversus ab aggere cedit.* Pacuvius in Niptris apud Ciceronem in Tusc. Quaest. II. 21. dixit: *pedetentim ite et sedato nisu.* Quod tamen magis Graecum *κατὰ πόδας* refert, quale est Homeri cum Iliad. *Λ.* 546. *ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων.* Ceterum pro *longa cuspide* in MS. Frontonis ed. Maii p. 534. erat *longo*.

Iapis Iasides. In MSS. etiam legitur *Iapyx*, edd. vet. *Iaspis*. Heinsius praefert *Iapyx*. Exstat Epigramma Ausonii 19. *Idmona quod vatem*, *medicum quod Iapida dicunt*, *Discendas artes nomina praeveniunt.* Ibi quoque Heinsius volebat *Iapyga*, et valde reprehendit Canterum, emendantem *Iasida*. Ego sic non modo

Ipse suas artis, sua munera, laetus Apollo
Augurium citharamque dabat celerisque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas agitare inglorius artis.

Ausonium, sed etiam Virgilium scripsisse arbitror. Nam Ausonius Virgilium respexit. Et *Iasis* facilius ab Ἰᾶσθαι derivatur, quam *Iapis*. Et alii medici ab eodem verbo nominati sunt *Iasones*, ut animadvertit Cauterus. Pro *Iasides* malim *Iapides*, ne filius a patre appelletur.

Et mutas agitare inglorius artis. Nec veteres nec recentiores interpretes ita expedire potuerunt quid sint *mutas artes*, ut omnem difficultatem ex hoc loco sustulerint. Servius memorat *mutas* musicae comparatione, *tactum venas*, quia manibus medicina tractatur, et ubi manu res agitur, ibi cessare orationem. Recentiores ex *iureiurando* Hippocratis, et *mysteriis* Aegyptiorum repetunt. Gronovius, quia *omnes artes*, quae non sunt musicae nec canorae, appellantur *mutae*. Heynius recte contra monet, sic *mutas artes* tantum opponi *musicae*, cum et *sagittis* opponi deberent. Quare ipse notionem constituit ex addito *inglorius*, ut sint *mutae artes* non quae *silent ipsae*, sed *silentur*, vel faciunt ut ii, qui eas colunt, *sileantur*, artes adeo nullam famam daturae. Fertur etiam, ubi vix quaereres, explicatio Ernesti in Clave Ciceroniana, voce *mutus*: esse scilicet *mutas artes* ignobiles, quae non tantam famam afferunt, quantam artes militares, quibus *medicina* hic opponitur. Artes militares hic plane non video, nisi Ernestus voluerit *sagittas*. Sed Apollo etiam *augurium* et *citharam* obtulerat, quae certe ad artes militares referri non possunt. Ipse Ernestus in Opusc. Oratoriis p. 292. laudans Platnerum, medicum excellentem, imprudens ostendit, quomodo medicina recte dicatur *muta*. » *Itaque, si tempus erat, totas horas apud aegrotos desidebat, eosque non consilio magis iuvabat, quam sermone recreabat. Adeo ille etiam mutam atque tristem artem, disertam efficiebat hilaremque.* Sequerer rationem Heynianam, si possem. Virgilius dixerat: Apollo Iasidi obtulit *suas artes et sua munera*, praecipue *augurium*, *citharam et sagittas*. *Medicinam*, ut viliorem, Apollo sive non obtulit, sive Virgilius tacuit. In *artibus* tamen et *medicina* continetur. Apollo igitur obtulit suas artes, tres; Iasis tres artes recusavit, maluit *artes mutas*. Vides requiri *artem mutam*. Sed ne sic quidem *ars*, ubi *artes* praecesserit, pulchre repeteretur. Pro ARTIS omnino scribendum censeo ANNOS. *Mutos agitare inglorius annos*. Idem aliis verbis

Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Aeneas, magno iuvenum et maerentis Iuli
Concursu, lacrimis immobilis. Ille retorto
Paeonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phoebique potentibus herbis
Nequidquam trepidat, nequidquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit; nihil auctor Apollo
Subvenit; et saevus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Iam pulvere coelum
Stare vident; subeuntque equites, et spicula castris
Densa cadunt mediis. It tristis ad aethera clamor
Bellantum iuvenum, et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,

dictum Aeneid. X. 52. *positis inglorius armis Exigat hic aevum.* Silius I. 393. *Dives agri, dives pecoris, famaeque negatus, Bella feris arcu iaculoque agitabat Hiberus. Felix heu! nemorum, et vitae laudandus opacae, Si sua per patrios tenuisset spicula saltus.* Idem manifesta imitatione Virgilium expressit III. 578. *obscura sedendo Tempora agit, mutum volvens inglorius aevum.* Quod nihil differt ab *mutos agitans inglorius annos.* Virgilius autem et *annos* sic posuit Aeneid. I. 74. *Omnes ut tecum meritis pro talibus annos Exigat.*

Paeonium in morem. Statius Silv. I. iv. 107. *ritu se cingit uterque Paeonio.* Confer interpretes ad Silii V. 367.

Pulvere coelum Stare vident. Claudianus de Laud. Stilich. I. 257. *Stipantur Numidae campi, stant pulvere Syrtes Gaetulae.*

Dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida. Donatus legit: *Ipsa manu genetrix Dictaea carpit ab Ida.* Hoc iam Georgio Fabricio praeferendum alteri videbatur, quia non verosimile esset herbam nomine expressam, quae a loco, qualitatibus et usu ita definitur, ut, qualis sit, dubitari non possit. Eodem fere modo commendat Heynius, et ego longe elegantius puto. Donatus ita explicat: »*Quanta signa istius data sunt speciei, cuius nomen omissum est: quippe et regio expressa est in qua nascitur, et nomen editum montis, et ipsius nominis signum.*" Facile autem *ipsa*

Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo volucres haesere sagittae.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans; spargitque salubris
Ambrosiae succos, et odoriferam panaceam.
Fovit ea volnus lympha longaevus Iapis
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor; omnis stetit imo volnere sanguis.
Iamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novae rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro! quid statis? Iapis
Conclamat, primusque animos accendit in hostem.
Non haec humanis opibus, non arte magistra,

manu corrumpi potuit in *Dictamu*, ut in nonnullis Codd. scribitur, et ex *Dictaea* mutari in *Dictamnum*. Si Virgilius scripsisset *Dictamnum*, nulli unquam Grammatico in mentem venisset emendare *ipsa manu*. Hoc erat et multo minus eruditum, et requirebatur in eo sensus quidam venustae simplicitatis, quem quidem in Grammaticis raro quaeras. In Servianis quidem hoc scripturae discrimen non invenitur. Sed Serviana accepimus valde corrupta et mutilata. Non credibile est ipsum Servium, qui tam saepe commentarios Donati nominaverit, annotationis adeo memorabilis nullam habiturum fuisse rationem.

Detulit. Valerius Fl. IV. 17. *Arcano redolentem nectare rorem — Detulit.* Heinsius et ibi et in aliis poetarum locis volebat *depluit.* Locum Virgilii bene reliquit intactum, quo etiam Valerii locus satis defenditur.

Novae rediere in pristina vires. Hugen. *corpora:* Sprot. *praelia.* Neque mihi illud *pristina* propter *novae* et *rediere* valde placet. Pro PRISTINA, scribo PECTORA. Valerius Flaccus VI. 693. *novas egit sub pectora vires.* Statius Theb. II. 326. *cervixque recepto Sanguine magna redit, fractaeque in pectora vires.* Nemesian. Cyneg. 286. *Mox laetae redeunt in pectora fortia vires.* Si *pristina* servetur, legendum SUAE pro NOVAE. Ut Seneca Herc. Oet. 1418. *Corpusque vires reparat Herculeum suas.*

Arma citi properate viro! In MSS. aliquot *viri.* Verum puto, modo mu-

Proveniunt, neque te, Aenea, mea dextera servat;
Maior agit deus, atque opera ad maiora remittit.
Ille avidus pugnae suras incluserat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est:
Ascanium fusis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur:
Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem;

tetur interpunctio: *arma citi properate: viri quid statis?* ut Aeneid. II. 668. *Arma, viri, ferte arma.* Silius IV. 98. *Arma viri, rapite arma viri.* IX. 376. *State viri.* Acta Apost. I. 11. *Viri Galilaei, quid statis adspicientes in coelum?* Non opus erat Aeneae arma properare. Ipse iam erat avidus pugnae, seque armaverat.

Maior agit deus. Recte quidem Wagnerus: »Maior aliquis Iapide, deus." Dicerem *isque deus.* Malim tamen pro DEVS scriptum esse MANVS. Si *deus* verum est, interpretandum *animat, concitat*, ut Apollo et vates *agere* aliquem et stimulare dicuntur, de quo Heinsius ad Ovidium Art. II. 496.

Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est. Interpretantur ex Homero ἄρηρεν, εὖ ἀρηρώς (ἐστιν), ἥρμοστο. Requiritur: postquam clipeum et loricam induit, qui habiles erant corpori. Ergo *lorica est lateri* dixit pro *latus cinxit clipeo.* Non Latinum in hac caussa. Significaret enim *clipeum*, antea nimis gravem, nunc mutatum, esse *habilem* lateri, adeo ut Aeneas habere et gestare posset. De vocabulo *habilis* vide Burmannum ad Valerium Flacc. VII. 231. Quare pro HABILIS vel ABILIS legendum puto APTVS. *Postquam aptus lateri clipeus loricaque tergo est.* Postquam Aeneas clipeum lateri *aptaverat*, clipeus *erat aptatus*, clipeus erat *aptus.* Nam *aptus* non differt ab *aptatus*, alterum est a verbo *apto*, alterum ab *apio*, unde *apito, apto. Aptare* saepe Virgilius ponit, ut Aeneid. XII. 88. *aptat habendo Ensemque clipeumque. Aptus* Aeneid. IV. 482. *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum*, quod est Ennianum. *Axis stellis aptus*, stellae axi aptae, coniunctae. Vide interpretes ad illum locum.

Summaque per galeam delibans oscula fatur. Statius Theb. IV. 20. *Galeis iuvat oscula clausis Inserere.* Quintilianus Declam. IX. pag. 197. *iamque suprema per galeam dederam oscula.*

Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem. Non recte intelligo *verum laborem.* Servius: »*Quem per me ipse suscipio:* non qui ex aliorum virtute imperatoribus adscribi consuevit." Heynius sententiam ita frigere

Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, et magna inter praemia ducet.
Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas,
Sis memor, *et te, animo repetentem exempla tuorum,*
Et pater Aeneas, et avunculus excitet Hector.

arbitratur, et explicat *laborem*, de ipsa laboris *toleratione*, *patientia*, *καρτερίᾳ*, *ἀνδρείᾳ*. Valde dubito an hoc Latine sic dici possit. *Labor*, ita cum virtute coniunctus, est *labor militiae*, labores belli, calamitates et miseriae ex bello et exsilio profectae. Talis *labor* non recte dicitur *verus*. In MSS. hic iam turbatur. Leid. et Montalb. *veterumque*, Hamb. alter *iuvenumque*. Credo Virgilium scripsisse: *Disce, puer, virtutem ex me rerumque laborem*. Quid sit virtus et adversa fortuna, quid constantia in tolerandis adversis, disces ex me. *Rerum* addunt optimi scriptores multis substantivis ut magnitudinem et universum aliquid significent. Suffecisset: disce ex me *virtutem et laborem*, vel *labores; rerum laborem* plus est. Aeneid. I. 204. *Per varios casus per tot discrimina rerum:* 672. *haud tanto cessabit cardine rerum:* VII. 37. *quae tempora rerum*. 188. *Cernis quae Rutulos habeat fiducia rerum*. XI. 310. *Cetera qua rerum iaceant perculsa ruina*. Horat. Epist. I. II. 22. *adversis rerum immersabilis undis*. Ovidius Metam. XIII. 646. *rerum inconstantia*. Lucanus VIII. 454. *spes ultima rerum*. Valerius Flacc. IV. 704. *heu, quis datus iste deorum Sorte labor nobis? serum et veniamus ad amnem Phasidis*. Ubi verissima est Burmanni coniectura: *deorum Sorte labor nobis rerum?* Idem hic plura exempla attulit.

Fortunam ex aliis. Quid sit virtus, meo tu exemplo disces: quid sit fortuna, ex aliis, aliorum exemplo disces. Heynius putabat verbum *discere*, non aeque esse appositum.

Magna inter praemia ducet. Varie quidem ista interpretantur. *Magno pretio habebo: ducam per magna belli decora, victorias: ducam ad praemia*. Si integra sit scriptura, dictum est minus accurate, quod diversis adeo modis accipi potest. Ex antecedente *bello* hic repetendum videtur *belli praemia*. *Praemia belli* sunt, quod bello consequimur. Praecipuum, quod Aeneas esset consecuturus, erat *Italia*. Statius Theb. VIII. 693. *belli maiora ad praemia mente Ducitur*. ubi est ad *fortiores interficiendos*, quam quos adhuc interfecerat. Silius X. 331. *dona inter tanta deorum:* pro *dum dii adeo favent*. Idem IX. 68. *dono datus inter praemia*. MSS. aliquot habent *magna inter proelia ducet*. Fortasse melius: ut II. 632. *ducente deo flammam inter et hostes Expedior*.

Et pater Aeneas, et avunculus excitet Hector. Aeneas hic de se solo loquitur. Quamquam ferri possit *tuo-*

Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt; omnisque relictis
Turba fluit castris. Tum caeco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientis aggere Turnus,
Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnis Iuturna Latinos
Audiit agnovitque sonum, et tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus

rum, pro *mea exempla*, superbius tamen dictum videtur. *Hectoris* autem mentio hic tam aliena est, quam quod est alienissimum. Si quis hoc laudare possit: *disce virtutem ex me: ego te in hoc bello defendam: sequere olim hoc exemplum meum, et exemplum avunculi Hectoris:* per me licet. Ego Virgilium talia scripsisse non credo. In MSS. haec est varietas: *exempla virorum*, *excitat*, *extulit*, *praeter* pro *pater*. Memorabile *virorum* et *excitat* propter similes versus Aeneid. III. 342. *Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector.* Ibi iam dixi de humili *avunculus*. Silius quidem III. 248. *resonare superbo Hannibal haud unquam cessabat avunculus ore.* Sed tales poetae non sentiunt, quid vera orationis maiestas postulet.

Campoque atrum rapit agmen aperto. In D'Orvilliano *actum*, in Goth. *campumque atrum*. In *actum* latet, credo, *citum*.

Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus. Heynius: »*Abrupto sidere*, pro abrupta nube, quae nimbum, procellam facit. Ausus hoc videtur poeta, cum semel *sidus* de tempestate dicere sollenne sit, quoniam sub certorum siderum ortu vel occasu tempestates fiunt." *Sidus* significat semper *astrum*, deinde certum anni tempus quo oritur vel occidit et tempestatem movet, denique sumitur pro ipsa *tempestate*. Propria autem significatio ita servatur, ut non omnia de *sidere* dicas, quae dici possunt de *tempestate*. Recte *navigamus* hiberno sidere, *ferimus et timemus* triste sidus, sidus fluctus *asperat*, similia. Sed nemini, nedum Virgilio, in mentem venire potuit, ut scriberet: *sidus abrumpitur*, *rumpitur*, ut *nubes*, *coelum abrumpitur*. Neque Graeci dixere *ἄστρον*, sed *αἰθὴρ οὐρανόθεν ὑπεῤῥάγη*. Pro ABRV-

It mare per medium: miseris, heu, praescia longe
Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis; *ruet omnia late;*
Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti:
Talis in adversos ductor Rhoeteius hostis
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis

PTO SIDERE scribendum puto ABRVPTVS AB AETHERE. *Qualis ubi ad terras abruptus ab aethere nimbus.* Virgilius Aeneid. XI. 549. *tantus se nubibus imber Ruperat.* Aeneid. III. 199. *ingeminant abruptis nubibus ignes.* Georg. III. 259. *abruptis turbata procellis freta.* Ovidius Fast. II. 495. *mistis abrumpitur ignibus aether.* Seneca de Vita Beata 28. *At ego ex alto prospiciens, video quae tempestates aut immineant vobis, paullo tardius rupturae nimbum suum.* Adde interpretes ad Silii I. 135.

Dabit ille ruinas Arboribus, stragemque satis. An grammaticus, alia expleturus, et hoc corruperit, nescio. Virgilius saltem elegantius scripsisset: *Horrescunt corda agricolis, quibus ille ruinam Arboribus stragemque satis ferat.* Agricolae venientem e mari nimbum prospiciunt, et anxie exspectant, in quam partem feratur. Ad eam rationem sua composuere Valerius Fl. III. 91. *Coeruleo veluti cum Iupiter agmine nubem Constituit — certant Zephyri — pendent mortalia longo Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis.* Statius Theb. IX. 535. *Illam nutantem nemus et mons ipse tremiscit, Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas.* Theb. X. 931. *terror utrimque Quo ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.* Wakefieldus simile aliquid sensit, eum Virgilium agricolas haec verba exclamantes facere putaret.

Ruet omnia late. Iam nominaverat praecipua, quae agricolae amittere possunt. Accedit, quod *ruere* inprimis de iisdem arboribus satisque dicatur; vide interpretes ad Valerii Fl. III. 102. Et, cum antecedat *ruinas*, fastidiosum est hic *ruet.*

Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti. Quem *sonitum?* Vel *suum ipsi*, vel sonitum *nimbi*. Si suum ipsi, nihil dici potest languidius, et quo libentius eareas. Si sonitum *nimbi*, est contra naturam. Venti sonitum rei aliquo ferunt, rem sequentes et sonitum rei propellentes, non antecedentes. Neque *venti* a *nimbo* differunt. *Nimbus* complectitur notionem universam *procellae.* Procella sine *vento* non intelligitur. Denique *ad litora* est inanis repetitio praegressi *ad terras.* Melius fuisset *fluctusque ferunt ad litora venti.* In Mentel. Cod. erat *ante sonant*, in Parrhas. *ad litora fluctus.*

Agglomerant. Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostis.
Tollitur in coelum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos aequo, nec tela ferentis
Insequitur; solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Iuturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, et longe lapsum temone relinquit;
Ipsa subit, manibusque undantis flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque, et corpus, et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini quum divitis aedis
Pervolat et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostis
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;
Iamque hic germanum, iamque hic ostentat ovantem;
Nec conferre manum patitur; volat avia longe.
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbis;

Sternere morti. Wagnerus interpretatur: »Sternendo ad *Mortem* demittere, ut *Orco*, *Leto*." An igitur et *Neci?*

Nec pede congressos aequo. In quibusdam *nec equo.* Wagnerus vulgatum optime tuetur. Poeta hoc tantum voluit, Aenean nec aversos nec adversos insequi.

Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas. Seneca in Epist. 122. versus Iulii Montani servavit: *iam tristis hirundo Argutis reditura cibos immittere nidis Incipit, et molli partitos ore ministrat.* Glossae veteres: *Νέοσσος nidus, pullus.* Ovidius Medic. Faciei 77. *querulum nidum* appellat. Vide ibi Burmannum.

Vestigatque virum, et disiecta per agmina magna
Voce vocat. Quoties oculos coniecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum:
Aversos toties currus Iuturna retorsit.
Heu, quid agat? Vario nequidquam fluctuat aestu,
Diversaeque vocant animum in contraria curae.
Huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat
Lenta, levis cursu, praefixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Aeneas, et se collegit in arma,
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero assurgunt irae; insidiisque subactus,
Diversos ubi sensit equos currumque referri,
Multa Iovem et laesi testatus foederis aras,
Iam tandem invadit medios, et Marte secundo

Alipedumque fugam cursu tentavit equorum. Heynius: »Quoties e longinquo Turnum animadverterat eumque insequebatur sic, ut iam aggredi vellet. *Tentare* pro *assequi*, *attingere*, saltem in eo esse ut assequaris. Videtur Aeneas pedes incedere." Heynius sententiam, quae requiritur, bene vidit. An verbum *tentare* eam significationem admittat, dubito. Magis, credo, Latinum esset: *Alipedumque fugam cursu affectavit equorum.*

Levis cursu. In Hamb. *levis lato praefixa hastilia ferro.* Sed *levis cursu* significare videtur *incursu*, subito et celeri impetu.

Insidiisque subactus. In Codicibus aliquot *subactis.* In Menteliano erat glossa: *repulsis.* Glossator *subigere insidias* accipiebat pro *repellere*, *vincere.* *Insidiae* nimirum erant Messapi, qui Aenean, quum unice Turnum sibi debitum quaereret, interea interficere conabatur. Aeneas foedus iuratum in eo etiam servare volebat, ut cum nemine, nisi cum Turno congrederetur. Virgilius, pro vulgato *coactus*, utitur paullo vehementiore et exquisito *subactus.*

Multa Iovem et laesi testatus foederis aras. Optime reposuit Wagnerus. In aliis legitur *testatur.* Quod si verum esset, legendum: *et tandem invadit medios.* Sed hoc longe peius: quam *testatus*, *iam tandem.* Ipsa orationis tarde absolutae longitudo patientiam Aeneae monstrat.

Terribilis, saevam nullo discrimine caedem
Suscitat, irarumque omnis effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine caedes
Diversas, obitumque ducum, quos aequore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros,
Expediat? tanton placuit concurrere motu,
Iupiter, aeterna gentis in pace futuras!
Aeneas Rutulum Sucronem, (ea prima ruentis
Pugna loco statuit Teucros) haud multa morantem,
Excipit in latus, et, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo deiectum Amycum, fratremque Diorem,
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,

Irarumque omnis effundit habenas. Ennins dixerat: *irarumque effundo quadrigas.* Virgilium sua modestia et indicium a tali ineptia servarunt. Ennius erat *arte rudis.* Recte dicimus *effundere equos, currum, quadrigas.* Non recte *quadrigas irarum.* Ita Virgilins supra dicere non potnit *abrupto sidere.* Quod Ennio, Romanae poesios auctori, ignoscitur, Virgilio non ignoscitur. Et ipse et aetas, qua vivebat, erant cultiores pro huiusmodi tumore.

Haud multa morantem. In aliis *moratus*, quod cum Heynio longe praefero. Si Rutulus Sucro fuit vir tam fortis, Virgilius non appellasset eum *haud multa moratum* arma Aeneae. Hostis, qui me non diu moratur, facillime a me vincitur, victu est facillimus. Aeneas, postquam hostes invadere constituerat, haud multa moratus, statim, sine mora, haud mora, primum, in quem incidit, occidit.

Ille Talon Tanaimque. Nomina non esse videntur satis Latina. Nisi statuas multa olim fuisse magis Graeca, propter Pelasgos, qui in Italiam immigrarunt, aliasque Graecorum colonias; cogitemus nomina ista propria a librariis valde fuisse corrupta, ut vel ex lectionum varietate apparet. Possem nonnulla, praecipue ex nominibus montium et fluviorum, coniectura fortasse probabili restituere. Sed non tanti est in his tenebris micare. Et Virgilius multa pro lubitu finxit, alia e Graecis sumsit.

Tris uno congressu, et maestum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiae;
Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris,
Et iuvenem exosum nequidquam bella Menoeten,
Arcada: piscosae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum

Tris uno congressu, et maestum mittit Onyten. Non memini ullum poetam tale epitheton sic posuisse. Servius: »*maestum*, *severum*, naturaliter tristem, quem Graeci σκυθρωπὸν dicunt et ἀγέλαστον, aut imaginatus est *exspirantem*." Heynius *maestum* putabat ipsa morte, quam erat subiturus. Sed Aeneas hic omnia tam celeriter faciebat, ut interfecti essent prius quam cogitarent. Et Virgilius tum dicere solet *multa orantem*, vel simile. MAESTVM et QVARTVM haud ita differunt, ut imprudens librarius ea permutare non potuerit. Sententia esset egregia: *Tris uno congressu, et quartum mittit Onyten.* Aeneas tres uno congressu interficit, et mox addit *quartum*. Graecum est. Homerus Iliad. O. 188. Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων. Iliad. *T*. 246. γυναῖκας ἕπτ', ἀτὰρ ὀγδοάτην Βρισηΐδα. Aeschylus Persis 306. Αἴλαιος, Ἀρσάμης τε κ' Ἀργήστης τρίτος. Theocrit. Eidyll. *Z*. 1. ἐγώντε καὶ Εὔκριτος — σὺν καὶ τρίτος ἄμμιν Ἀμύντας. Ovidius Heroid. 1. 104. *Hoc faciunt custosque boum, longaevaque nutrix, Tertius, immundae cura fidelis harae.*

Nomen Echionium, matrisque genus Peridiae. In aliis MSS. *nomine*. Heynius et Wagnerus *nomen* tuentur; hic bene explicat: *nomen Echionius*, hoc est *Echionides*. Sed non video cur *Onyten*, nulla alia re memorabilem, tam accurate Virgilius describeret. Transpone versus: *Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris, Nomen Echionium, matrisque genus Peridiae.* *Nomen* et *genus* melius dantur *fratribus*, quam uni: et sic *Echionium* et *Peridia* fiunt Graeca, seu Asiatica. Heynius iure miratur nomina fratrum non addi. Wagnerus haec in iis numerat, quae Virgilius imperfecta reliquit.

Nec nota potentum Munera. Servius: »*munera* dicit *obsequia*, id est *officia*, quae pauperes divitibus loco munerum solvunt." Wagnerus: »*nihil curans artes*, quibus potentes inter cives excellere student. Ipse exosus erat bellum, potentes contra nihil magis cupere solebant." Ego longe praefero, quod in Colot. legitur *potentum limina*, ut simplicius ac facilius. Ut rusticus Horatianus paterna *rura colit* et *vitat potentiorum limina*, sic piscatori ars fuerat circa flumina Lernae, vitam agebat ab ur-

Munera; conductaque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, et in aequora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Aeneas Turnusque ruunt per proelia; nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur nescia vinci
Pectora; nunc totis in volnera viribus itur.
Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,

banis negotiis et splendore remotam. Heinsius, Burmannus, Marklandus, alii *limina* commendaverunt.

In aequora currunt. Recte, puto, Wakefieldus, *in planitiem* sub montibus iacentem. Nam si *mare* cogitas, nihil in comparatione est contra solitum.

Quisque suum populatus iter. Et hoc suadet ut *aequora* de campis accipiamus. Imitatur Silius III. 444. *Inde ferox quaesitum armis per inhospita rura Volcarum populatur iter:* hoc est, *vastando*, qua incedit, iter facit.

Atavos et avorum antiqua sonantem Nomina. Castigatius erat *avorum* et *atavorum*, ut Aeneid. VII. 56. *Turnus avis atavisque potens:* sed longe elegantius, ut Virgilium scripsisse arbitror: *atavos atavorum*, *antiqua sonantem nomina.* Nulla propemodum mutatio ET in AT. *Atavi atavorum*, ut *nati natorum.* Ut in *nati natorum et qui nascentur ab illis* posteri quam maxime remoti, sic in *atavi atavorum* antiquissima maiorum stirps ostenditur. Veteres huiusmodi substantiva coniungere valde amant. Notum est Homeri Iliad. Y. 308. *καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.* Ex ea formula emendandum puto Horatii locum Epist. II. II. 175. *Sic quia perpetuus nulli datur usus, et haeres Haeredem alterius, velut unda supervenit undam.* Malo: *Haeredem haeredis.* Denique appositio pulcerrima *atavos antiqua nomina*, et *nomina* de genere usurpatur. Martial. XI. 6. *Si redeant veteres, ingentia nomina, patres.* Idem V. 17. *Dum proavos atavosque refers et nomina magna.* Conferatur Heinsius ad Ovidium Heroid. II. 50. In *atavis atavorum* antiquissima nobilitas significatur, ut in Sophoclis Aiace *Ζεῦ γόνων προπάτωρ.*

Per regesque actum genus omne Latinos. Heynius: »*exactum*, du-

Praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo; hunc lora et iuga subter
Provolvere rotae; crebro super ungula pulsu
Incita, nec domini memorum, proculcat equorum;
Ille ruenti Hyllo, animisque immane frementi,
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Graium fortissime, Cretheu,
Eripuit Turno; nec di texere Cupencum,
Aenea veniente, sui; dedit obvia ferro
Pectora, nec misero clipei mora profuit aerei.
Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi
Oppetere, et late terram consternere tergo;
Occidis, Argivae quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles;
Hic tibi mortis erant metae; domus alta sub Ida;

etum, procedens." Difficile est hic quaerere honestam metaphoram, nisi fortasse dicas: reges *agunt genus*, ut arbor *agit radices.* Quamquam et ea metaphora non recte procedit. Ego semper legendum putavi AVCTVM pro ACTVM. *Per regesque auctum genus omne Latinos.* Rex fuit origo generis, nati et natorum nati, semper reges, genus auxere, propagavere. Verbum *augere* in hac re cognitum est. *Augeri liberis, domus augetur*, et similia. Attigit Gronov. ad Senecae Oedip. 880. *Gratare matri liberis auctam domum.*

Hunc lora et iuga subter Provolvere rotae. Heynius: »provolutus est subter currum, impeditus habenis et rotis." Heindrichius, laudante Wagnero: »*hunc rotae provolvere subter lora et iuga:* proprie dixit *subter iuga*, minus proprie *subter lora*, *subter*, quod lora ipsa ad terram defluxerant." Equidem *lora* acceperim de funibus, qui equos currui iungunt. Subter iuga, proxime equis, ubi per lora currui erant alligati. Sic a posterioribus equorum ungulis proculcabatur.

Incita nec domini memorum proculcat equorum. In Parrhas. *memorum domini.* Malim: *non memorum domini.* Ordo verborum ita est facilior.

Clipei mora profuit aerei. In quibusdam *aeris.* Unde Wagnerus coniici posse censebat *clipei mora profit et aeris. Profit*, ut *defit*, *confit* et *effieri.*

28*

Lyrnesi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
Totae adeo conversae acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidae: Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equum domitor, et fortis Asilas,
Tuscorumque phalanx, Euandrique Arcades alae.
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies; vasto certamine tendunt.
 Hic mentem Aeneae genetrix pulcerrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocius, et subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum
Huc atque huc acies circumtulit, adspicit urbem
Immunem tanti belli, atque impune quietam.
Continuo pugnae accendit maioris imago;
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,
Ductores, tumulumque capit; quo cetera Teucrum
Concurrit legio; nec scuta aut spicula densi
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora. Iupiter hac stat.
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere et victi parere fatentur,
Eruam, et aequa solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno
Nostra pati, rursusque velit concurrere victus?

Hic mentem Aeneae genetrix pulcerrima misit. Silius I. 63. *Dat mentem Iuno, ac laudum spe corda fatigat.* Virgilius Homericum expressit: *Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.*

Iret ut ad muros. Elegantius indico: *iret sub muros:* iret et ad muros accederet, ut intraret.

Nec scuta aut spicula densi Deponunt. *Densi*, Aenean undique circumfusi, ut audirent.

Ni frenum accipere. Hoc erat contra foedus. Sed Turnus et Latini foedus violaverant.

Hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi.
Ferte faces propere, foedusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum; densaque ad muros mole feruntur.
Scalae improviso, subitusque apparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant;
Ferrum alii torquent, et obumbrant aethera telis.
Ipse inter primos dextram sub moenia tendit
Aeneas, magnaque incusat voce Latinum;
Testaturque deos, iterum se ad proelia cogi;
Bis iam Italos hostis; haec iam altera foedera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia civis:
Urbem alii reserare iubent, et pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in moenia regem;
Arma ferunt alii, et pergunt defendere muros:
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque implevit amaro;
Illae intus trepidae rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis; tum murmure caeco
Intus saxa sonant; vacuas it fumus ad auras.

Iterum se ad proelia cogi. Donatus hic legit: *se invitum ad proelia cogi.* Sic ego malim: *Testaturque deos, invitum ad proelia cogi:* ut IV. 492. *Testor, cara, deos — magicas invitam accingier artes.*

Haec iam altera foedera rumpi. *Iam* est a manu sec. Med. Heinsius et alii inseruerunt.

Fumoque implevit amaro. Ut Graeci δριμύς. Vide Wyttenbach. ad Plutarchi Moral. T. I. Anim. pag. 361.

Illae intus trepidae rerum. Statim sequitur *intus saxa sonant.* Credo librarium hanc vocem hic imprudentem inde repetivisse. Idem fecerat librarius in Codice Goth. in vicino versu, pro *ater odor* scribens *intus odor.* Ita haberemus *intus trepidae*, *intus odor*, *intus saxa.* Quid pro *illae intus trepidae* legendum sit, non video. Si carere possemus *illae*, dicerem: *Inter se trepidae — discurrunt.*

Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis,
Quae totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignis ad tecta volare;
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnae iuvenem in certamine credit
Exstinctum; et, subito mentem turbata dolore,
Se caussam clamat, crimenque, caputque malorum:

Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis. Versus, meo quidem iudicio, humilis et frigidus. Nova plane calamitas eaque tristissima et gravissimi momenti narratur. Transitus ad talem narrationem non est Latinus, nedum poeticus. Tum *fortuna accidit* neque in vulgari sermone hic toleraretur. Neque dirum reginae facinus, quae vitam suspendio finivit, recte *fortuna* appellatur. Pro *haec*, in uno MS. erat *hic*. Pro ACCIDIT, scribendum est ADDIDIT. *Addidit hic fessis etiam Fortuna Latinis, Quo totam luctu concussit funditus urbem.* Atque *hic*, tunc, quum Aeneas subito urbem obsidebat, Fortuna, nondum malis Latinorum satiata, etiam hunc luctum, tamquam cumulum malorum addidit, eoque totam urbem penitus concussit. *Fortuna addidit*, ut Aeneid. VIII. 578. *Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris. Addidit* in cumulum ut Graeci ἐπιμετρεῖν. Polyb. III. 118. *Καὶ γάρ, ὥσπερ ἐπιμετρούσης καὶ συνεπαγωνιζομένης τοῖς γεγονόσι τῆς τύχης, συνέβη μετ᾽ ὀλίγας ἡμέρας, τοῦ φόβου κατέχοντος τὴν πόλιν, καὶ τὸν εἰς τὴν Γαλατίαν στρατηγὸν ἀποσταλέντα, ἄρδην ὑπὸ τῶν Κελτῶν διαφθαρῆναι μετὰ τῆς δυνάμεως.* *Hic* in transitu ad alia graviora frequentatum, ut Aeneid. II. 199. *Hic aliud maius miseris — obiicitur.*

Regina ut tectis venientem prospicit hostem. In sequenti versu iterum *ad tecta volare.* Pro TECTIS, scribo SPECVLIS. Aeneid. IV. 586. *Regina e speculis ut primum albescere lucem Vidit.*

Incessi muros. In aliis *incedi*, *incendi*, *inscendi*. Scholio Serviano in Cod. Dresd. praescriptum erat *inscendi*. Et sic emendandum iudicabat Rob. Titius Controv. inedit. II. 24.

Se caussam clamat, crimenque, caputque malorum. Caput et *caussa* non possunt separari. Iungi solent, ut notio *caussae* intendatur, quum revera alterum utrum sufficeret. Hoc loco ea substantiva male per *crimen* separantur. Nam dici non potest *crimen* malorum. Suspicor librarium ista turbasse. Virgilius v. c. si scripsisset:

Multaque per maestum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miserae postquam accepere Latinae:
Filia prima manu flavos Lavinia crinis
Et roseas laniata genas, tum cetera circum
Turba, furit: resonant late plangoribus aedes.
Hinc totam infelix volgatur fama per urbem.

Se solam clamat caussamque caputque malorum, librarius pro *solam* praeripuit *caussam*. Legebatur adeo: *Se caussam clamat caussamque caputque malorum*. Fortasse hoc alii emendarunt, ut pro *caussamque caputque* reponerent *crimenque caputque*. *Caussa* et *caput* etiam iunguntur Aeneid. XI. 361. *caput horum et caussa malorum*. Possis etiam scribere: *Se crimen clamat, caussamque caputque malorum*.

Et nodum informis leti trabe nectit ab alta. *Nodum leti* Heynius egregie dictum putat pro *nodo letifero*. Atque ita accepisse videtur Ambrosius de Tobia 14. *Deformis nodum mortis expressit:* et Hegesippus Excid. Hieros. III. 17. *Informem leti laqueum homines invenerunt*. Tum *leti informis* vidit Silius I. 165. *Quem postquam diro suspensum robore vidit Deformem leti famulus:* et Iuvencus in Passione, de Iuda: *Exorsusque suas laqueo sibi sumere poenas, Informem rapuit ficus de vertice mortem*. Ac fortasse *nodus leti* sic explicari potest, ut Ovidius Heroid. XIV. 42. *Quaeque tibi dederant vina, soporis erant:* et in Pandect. XXXVIII. 19. *poculum abortionis*. Nescio tamen an non elegantius pro LETI scriberetur LAQVEI. *Et nodum informis laquei trabe nectit ab alta*. Sic etiam legisse videntur Ambrosius de Tobia 3. *informis laquei nodum stringitis*. Et Hegesippus Excid. Hieros. III. IV. 9. *Informis laquei nodus etiam probro datur*. Et veteres *laqueum nodumque* coniungunt. Lucan. VI. 543. *laqueum nodosque nocentes Ore suo rumpit*. ubi pro *nocentes* legendum *pudendos*. Ovidius Remed. 17. *collum laqueo nodatus ab arcto E trabe sublimi triste pependit onus*. Ammian. Marcell. XXXIX. *innodatum guttur laquei nexibus*. *Nectere laqueum* est apud Horatium Epist. I. XIX. 31. *Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit*. Virgilius ipsam reginae mortem non describit. Sed ea iam ex vocabulo *moritura* satis ipsa intelligitur, et melius reticetur, quia erat *informis*.

Flavos Lavinia crinis. Quod in nonnullis fertur *floreos*, inventum Probi videtur. Vide Heynium et Wagnerum.

Demittunt mentis; it scissa veste Latinus,
Coniugis attonitus fatis, urbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans,
Multaque se incusat, qui non acceperit ante

Multaque se incusat. Duo versus in Codd. Rom. Med. et aliis vetustis desiderantur. Donatus et Servius non habuisse videntur. Iidem leguntur XI. 471, 472. nisi quod nunc pro *urbi* legatur *ante*. Heynius, Brunckius, Cuninghamus, Weichertus, Ianus, Beckius omiserunt. Servavit et defendit Wagnerus, cuius hoc est sane gravissimum argumentum: »his omissis, aliquid deest, quod totum locum apta claudat. Nam talis versus non recte participio clauditur." Wagnerus hoc argumentum in Excursu IV. sic exposuit, ut mihi quidem plane persuaserit. Virgilii tamen hos esse versus non credo. Latinus *attonitus, scissa veste, turpans canitiem* pulvere, est imago hominis omnibus sensibus perturbati; *multa se incusat qui non acceperit,* sunt verba hominis tristitia quidem et dolore affecti, sed tamen sedatioris, secumque meditantis quid facere debuisset. Atque ita haec eadem accipiuntur XI. 471. Latinus ibi concilium deserit ac differt, et se multa incusat, qui non ultro acceperit Aenean. Sed fac in utraque caussa esse verba animi aeque perturbati, quorsum eadem verborum repetitio de rebus ac temporibus diversis? In libro XI. Aeneas castra movet, et procul etiam ab urbe abest. Latinus dicit: Aenean ultro accipere debuissem; nunc fortasse vi cogar. Hic Aeneas in eo est, ut urbem vi capiat. Latinus dicit: *Aenean ante accipere debuissem.* Ante? Quando? Eodem scilicet tempore, quo prius optaverat Aenean receptum, hoc est primo statim illius in Italiam adventu. Unde magis etiam apparet, quam inanis hic ea sit repetitio. Quodsi suspicio versuum insititiorum iam propter eam repetitionem non levis est, augetur et pondus accipit, quia versus in antiquissimis MSS. desunt. Qui grammaticus eos adiecit, hic idem, credo, orationis formam mutavit. Ubi Virgilius finiverat in *turpat*, ille hoc mutavit in *turpans*, ut cum ceteris connecteret. Ego Virgilium scripsisse puto: *et scissa veste Latinus, Coniugis attonitus fatis urbisque ruina, Canitiem immundo perfusam pulvere turpat.* Egregia totius loci sententia: postquam Latinae mulieres in domo regia, affines et famulae, hoc factum cognovere, Lavinia aliaeque lamentantur. Hinc fama per urbem vulgatur. Incolae, Latini, animos demittunt, et ipse rex, scissa veste, crines pulvere turpat. Mulierum luctus in Lavinia, virorum in rege Latino ostenditur. Mutavi *it* in *et*. Non video cur Latinus *iret*. Nusquam *ibat*. *Prosternit se in terram*, quod ex *canitiem turpat* intelligitur. *It* plerumque usurpatur in

Dardanium Aenean, generumque adsciverit ultro.
Interea extremo bellator in aequore Turnus
Palantis sequitur paucos, iam segnior, atque
Iam minus atque minus successu laetus equorum.
Attulit hunc illi caecis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque impulit auris
Confusae sonus urbis et illaetabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigae currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Troiugenas, qua prima viam victoria pandit;
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Aeneas Italis, et proelia miscet;
Et nos saeva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnae nec honore recedes.
Turnus ad haec:
O soror, et dudum agnovi, cum prima per artem

certo consilio certi alicuius loci adeundi, et in solemni incessu. Aeneid. IV. 130. *it portis iuventus.* VI. 158. *fidus Achates it comes.* X. 207. *It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctus verberat.* XI. 89. *Aethon it lacrimans.* XII. 164. *bigis it Turnus in albis.* In rebus Latini omnia sunt perturbata luctu et moerore, ut *eundi* ratio haberi non possit.

Et nos saeva manu mittamus funera Teucris. *Mittere funera* pro *Orco mittere*, non probo: *mittere* pro *immittere* durius, etiam Heynio, videtur: *manu* praecedit in *manu defendere.* Cur non scribamus: *Et nos saeva neci mittamus funera Teucris.* Virgilius XII. 513. dixit *neci mittere.* MANV et NECI facile mutantur.

Turnus ad haec. In Leid. haec supplentur: *humili respondet talia voce.*

O soror. Appuleius de deo Socratis pag. 145. »*Hinc et illa Virgiliana Iuturna, quae modiis millibus auxiliabunda fratri conversatur*, miscetque viris neque cernitur ulli." Versus iste ex Aeneid. I. 440. ad Iuturnam non recte accommodatur.

Foedera turbasti, teque haec in bella dedisti;
Et nunc nequidquam fallis dea; sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quae iam spondet Fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem
Murranum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere, ingentem, atque ingenti volnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Adspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.

Vidi oculos ante ipse meos. Mors Murrani describitur vs. 529 sq. *Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem Nomina* — effundit Aeneas solo. Nulla ibi mentio Turni caedem spectantis, nec Murrani Turnum auxilio vocantis. Neque mentio fieri potuit: nam Turnus et Aeneas diversa quisque parte rem gerebant. Soror Iuturna, in faciem aurigae Metisci conversa, aversos currus semper *ab Aenea retorsit.*

Me voce vocantem. Idem mox vs. 653. facit Saces, qui volat *adversa sagitta Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum.*

Quo non superat mihi carior alter. Nunquam de mortuis dicitur *superat.* Vel testor Virgilianum: *superatne et vescitur aura. Superat* pro *superabat* hic non est Latinum, neque ullius linguae paullo cultioris. Melius certe *fuerat*, ut in quibusdam legitur.

Ingentem atque ingenti volnere victum. Ex Aeneid. X. 842. *ingentem atque ingenti volnere victum.*

Ne nostrum dedecus Ufens Adspiceret. Ufentis mors vs. 460. verbo narratur: *Epulonem obtruncat Achates, Ufentemque Gyas.* Erat *Ufens* unus regum, qui auxilia miserant ex Italia. Sed illius prae ceteris fortitudo aut amicitia cum Turno nusquam laudatur. Neque dictu facile est, quod *dedecus* Ufens in Turno viderit. Servius interpretatur: »*ne nos victos videret.*" Sed *vinci* non erat *dedecus. Dedecus* Turni putabatur, si certamen cum Aenea detrectaret, vel nunc urbi succurrere non auderet, a quo consilio soror eum avertere conatur.

Teucri potiuntur corpore et armis. Neque hoc in morte Ufentis traditum. Et potiti erant etiam corpore Murrani. Iam inspice totam sententiam: *Quae salus superest? Murranus et Ufens ceciderunt. An domos exscindi perpetiar?* Non cohaerent, nisi dicas *Murranum* et *Ufentem* unicos fuisse duces, in quibus Turnus omnes spes haberet repositas. His autem versibus eiectis, quam prae-

Exscindine domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? et Turnum fugientem haec terra videbit?
Usque adeone mori miserum est? vos o mihi Manes
Este boni: quoniam superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
  Vix ea fatus erat; medios volat, ecce, per hostis
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis, summasque minatur
Deiecturum arcis Italum, excidioque daturum;
Iamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quae sese ad foedera flectat.

clara et animosa progrediatur sententia, neminem latet. Interrogationes, nunc male abruptae, bene continuantur; verbo, omnia sunt Virgilio digna.

Id rebus defuit unum. Similis interiecta oratio apud Valer. Fl. III. 294. *Exstinguine mea (fatis hoc defuit unum) Speravi te posse manu.*

Usque adeone mori miserum est? Statius Theb. IV. 673. *Usque adeone parum cineri data mater iniquo?* Marcellus declamator apud Senecam Suasor. pag. 39. *Usque eone omnia cum fortuna populi Romani conversa sunt?*

Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae. Pro *sancta*, in Goth. *causa*, male transpositis literis, non ex *casta*, ut putat Heynius corruptum. Pro *inscia*, nonnulli Codd. *nescia*. Waguerus Quaest. XI. 3. putat Virgilium hic ultimam in *anima* produxisse, propter subiectam eandem vocalem, quae vocem cogeret in praegressa paullo diutius morari. Parum abest, quin *nescia* praeferam. *Istius* mediam syllabam nunc melius productam habebit. Plenior etiam esset oratio et gravior: *Sancta ad vos anima atque istius ego inscia culpae Descendam.*

Mussat rex ipse Latinus. Minus eleganter *Latinus*, cum praecedat *Latini*. De verbo *mussat* Servius: »mussare est in Graeco *comprimere oculos*." Vossius emendat *comprimere os*.

Praeterea regina, tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem. Circum hos utrimque phalanges
Stant densae, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit. Aestuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus.
Ut primum discussae umbrae, et lux reddita menti;
Ardentis oculorum orbis ad moenia torsit
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad coelum undabat vertex, turrimque tenebat;
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontisque instraverat altos.
Iam iam fata, soror, superant; absiste morari;
Quo deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Aeneae, stat, quidquid acerbi est,
Morte pati: neque me indecorem, germana, videbis

Regina tui fidissima. In Hamb. *tua*, in Bigot. *tuis*. *Tui* Fronto pag. 516. Et Silius I. 5. *perfida pacti.*

Uno in corde pudor. Malim, quod in nonnullis fertur, *Imo*, hoc est in *intimo pectore.* Wagnerus ad X. 871. non recte dici putat *aestuare in imo pectore:* sed, quod penitus aestuat, hoc aestuat *in imo*, *usque ad imum.* Ut Valerius Flacc. IV. 686. *Inde velut mixtus Vulcanius ardor arenis Versat aquas, sic ima fremunt.* Vix rectum puto *in uno corde.* Nam est *cor Turni.* Turnum habere *unum* cor, dictu est ineptum. Aliud est, v. c. *possuntne in uno corde tot simul regnare perturbationes?*

Ut primum discussae umbrae, et lux reddita menti. Mens Turni commotionibus istis fuerat nubila. Statius Theb. X. 735. *illi atra mersum caligine pectus Confudit sensus.*

Stat, quidquid acerbi est, Morte pati. Heynius iungebat: *quidquid acerbi est morte.* Wagnerus: »*morte pati*, per oppetendam ipsam mortem

Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, et e curru saltum dedit ocius arvis;
Perque hostis, per tela ruit; maestamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum de vertice praeceps
Quum ruit, avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas;

pati, seu subire." Non video, cur Turnus tam certo mortem sibi proponeret. Etiam si timeret, non diceret sorori. Tum intelligo *morte finire, quidquid acerbi est*, non recte intelligo *morte pati quidquid acerbi est.* Multo facilius: *Stat, quidquid acerbi est, Marte pati.* Quicunque huius certaminis cum Aenea futurus sit eventus, etiam si mihi acerbus, stat pati. Livius XLII. 50. *patiamur, quodcunque belli casus tulerit.*

Hunc, oro, sine me furere ante furorem. Heynius quaesivit, quid significaret *ante.* Explicatio Servii: »priusquam ad eum veniam, ut pugnam mente concipiam et instructus furore in bella prorumpam;" et Cerdae: »*priusquam moriar,*" Heynio non satisfacit. Ipse, nisi versus a Virgilio tantum sit completus ne hiaret, coniicit *furere, alma*, vel *sine me insanire furorem.* Wagnerus *ante* refert ad ea quae subiiciuntur; furens desilit Turnus e curru, furens et rapido cursu ruit ad certamen cum Aenea subeundum. Ego sic interpretor: ne me retine, o soror. Videbis me rursus, sed non amplius indecorem. Sine me prius hunc furere furorem. Responsum sororis non exspectat, sed statim e curru desilit.

Ac veluti montis saxum de vertice praeceps. Saxum nominat *de vertice montis*, et mox idem saxum appellatur *improbus mons.* Non placet, ut neque illud, quod *montis* sic nudum sine epitheto ponitur. In Lucano IV. 470. aequius ferimus: *qualis rupes quam vertice montis Abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas.* Si MS. aliquod pro MONTIS haberat PINDI, nemo non amplecteretur: *Ac veluti Pindi saxum de vertice praeceps.* Pulcre sequitur *mons improbus*, quia saxum erat tam ingens, ut *totus mons* devolvi videretur. Fortasse Silius legit *Pindi.* Imitationem quivis agnoscit IX. 520. neque ea interpretes latuit: *Ut torrens celsi praeceps e vertice Pindi Cum sonitu ruit in campos, magnoque fragore Avulsum montis volvit latus, obvia passim Armenta, immanesque ferae, silvaeque trahuntur.*

Annis solvit sublapsa vetustas. Heynius accepit de saxo vetustate sublapso. Melius Wagnerus de vetustate, quae sensim subrepit. Recte. Et est Ovidii: *iam subrepit iners aetas.*

Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exsultatque solo; silvas, armenta, virosque
Involvens secum: Disiecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus aurae;
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite iam, Rutuli; et vos tela inhibete, Latini;
Quaecunque est Fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis foedus luere, et decernere ferro.
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.

At pater Aeneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arcis;
Praecipitatque moras omnis; opera omnia rumpit,
Laetitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Cum fremit ilicibus, *quantus gaudetque nivali*
Vertice se attollens pater Appenninus ad auras.

Virgilius alibi dixit *aevi longinqua vetustas*, et *annis labentibus aetas.* Seneca Nat. Quaest. VI. 22. *Deinde longa per aevum diminutio usque eo infirmat illa saxa, quae quotidie attrivit, ut desinant esse oneri ferendo.* Alii poetae hanc imaginem aliter informarunt. Lucanus IV. 470. *impulsu ventorum adiuta vetustas.* Silius IV. 20. *muri, quibus est luctata vetustas.*

Parcite. Vir doctus in Observat. Miscell. Vol. VIII. pag. 460. verbum esse militare putabat. Et nota est vox Caesaris in pugna Pharsalica: *miles, parce ferro.*

Pro vobis foedus luere. Servius: »*rupti foederis poenam luere.*" Sic etiam Heynius et alii. Non ita censeo. Turnus respicit universe foedus, quod Aeneas et Latinus fecerant. De rupto foedere non cogitat. Neque illud Turnus ruperat. Hoc dicit: ego solus luam poenas, quas vos propter illud foedus meruistis. Nam turpe et scelestum foedus est. Ita Silius de Saguntinis, *qui luerent foedera* inter Romanos et Poenos, I. 671.

Opera omnia rumpit. Gravius quam Terentianum *omnia relinquit.* Aeneid. IX. 694. *deserit inceptum.* Silius I. 459. *ingentes deserit actus.*

Quum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali Vertice se attollens pater Appenninus ad auras. Dura verborum constructio, quam nemo scri-

Iam vero et Rutuli certatim, et Troes, et omnes
Convertere oculos Itali, quique alta tenebant
Moenia, quique imos pulsabant ariete muros;
Armaque deposuere humeris. *Stupet ipse Latinus*,
Ingentis, *genitos diversis partibus orbis*,

ptor, paullo elegantior, pro sua agnosceret. Quantus *est Athos*, aut quantus *est Eryx*, aut quantus *est ipse Appenninus*, *cum fremit et gaudet se attollens*: recte. Sed *cum fremit*, *quantus*, *et gaudet* non probanda. Huic difficultati accedit altera. *Mons* nusquam appellatus est *pater:* montes nimirum non sunt *Dei*. *Atlantis* duplex nomen fertur, *montis* et *Dei* qui sidera fulcit: in Appennino talo fingi non potest. Ego Virgilium scripsisse arbitror: *Quantus Athos*, *aut quantus Eryx*, *aut ipse*, *coruscis Cum fremit ilicibus*, *patet Appenninus ad auras*. Versus suavissimi, quos legere sufficit, ut Virgilianos dicas. Mutavi autem PATER in PATET. *Patet ad auras*, ut Aeneid. VI. 577. *Tartarus ipse Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras*, *Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum:* XI. 644. *tantus in arma patet*. Interea Silius vulgata novit, II. 313. *mole nivali Alpibus aequatum attollens caput Appenninus*. Vulgata lectio e glossis oriri potuit: aut ipse Appenninus, scilicet *quantus; patet ad auras*, id est, *vertice alto se attollit*. Pro *alto*, poeticum est *nivali*, quia alti montes nivibus sunt tecti.

Stupet ipse Latinus. Si versus, ut suspicor, sunt interpolati, manus antiqua interpolavit, notos quippe iam Senecae. Fortasse ipsi Tucca et Varius addiderunt. *Stupet ipse Latinus;* quid Latinus stuperet? Accidebat, quod foedere erat constitutum. Et Aeneas et Turnus tam saepe adversi in acie steterant, ut singulare certamen nunc tanto stupori esse non posset. Cur autem *ipse?* Rutuli, Troes et Itali oculos ad Turnum et Aenean converterant, *stupebant*. Quid mirum, et regem Latinum, senem, amicum et Turni et Aeneae, *stupuisse?* Stupet *ipse* Latinus, significat: *spectaculum erat tam horribile*, *ut ipse etiam Latinus*, *durior ceteroquin ad belli terrores*, *stuperet*. Sententia a loco aliena. Sed ubi *stuperet* Latinus? Modo *scissa veste turpat* caput pulvere. Ergo nunc staro debet in moenibus, ut oculis hoc certamen adspiciant. Indignum tali sene. Ipse Virgilius Latinum ab hoc spectaculo removit. *Stupor* omnium egregie mox significatur in comparatione: *pavidi cessere magistri*, *Stat pecus omne metu mutum*.

Ingentis, *genitos diversis partibus orbis*. Heinsius legebat *diversi*. Heynius sic morem Virgilianum po-

Inter se coiisse viros, et cernere ferro.

scere ait. Wagnerus rogat, an igitur sic unde dicamus *geniti partibus?* Respondeo, non dicimus nude, sed geniti *partibus diversi orbis.* Et ego *diversi* verum puto. Alioquin omnia vocabula in *s* desinunt. Ovidius Trist. III. 3. *Aeger in extremis ignoti partibus orbis. Diversis* etiam legit Iuvencus I. *multos homines diversis partibus orbis Progenitos.* et Priscian. in Laude Anastasii 146. *Quae tibi debentur diversis partibus orbis.* In Virgiliano illud *genitos* non laudo. Est humilius. Silius imitatur locum IX. 434. *Stabant educti diversis orbis in oris, Quantos non alio vidit concurrere tellus Marte, viri, dextraque pares.* Ubi Ernestus, non recordans illa ex Virgilianis esse ducta, totum versum *stabant educti* frigere arbitratur. Fortasse non dixisset, si Virgilium Silio praebuisse exemplum scivisset. Nunc simplex veritatis vis ei hanc vocem expressit, et Silium reprehendens, reprehendit Virgiliana. Adiicitur autem, tamquam singulare aliquid et miserabile, viros, in diversi orbis partibus genitos, inter se certare. Sed idem valet de omnibus Rutulis, et de omnibus Troianis. Locus, quem Cerda ex Apollonio Rhodio affert I. 38. nihil ad Virgilianum facit: *Ἔνθα μὲν Ἀπιδανός τε μέγας καὶ δῖος Ἐνιπεὺς Ἄμφω συμφορέονται, ἀπόπροθεν εἰς ἓν ἰόντες.* Apidanus et Enipeus sunt fluvii.

Inter se coiisse viros, et cernere ferro. Seneca Epist. 58. »Quaedam simplicia in usu erant, sicut *cernere ferro inter se* dicebant. Idem Virgilius hoc probabit tibi. Quod nunc *decernere* dicimus. Simplicis illius verbi usus amissus est." Seneca igitur vidit *cernere.* Sed non perspexit hoc esse vitiosum. Nam Aeneas et Turnus nondum *cernebant.* Certamen ipsum incipit cum versu sequenti: *Atque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi.* Latinus ergo *stupere* non potest eos *iam cernere.* Fortasse hoc grammaticus ingeniosior animadvertit, et emendavit: *Inter se coiisse viros decernere ferro.* Quod melius. *Coierunt decernere*, pro *ut decernerent.* Infinitivus iste poetis est frequentissimus: vide Drakenborchium ad Silii IV. 793. Quintilianus hunc locum ignorasse videtur. Nam, qui tam multa de Virgilio, antiquitatis amantissimo, scripsit, hoc exemplum, quod Senecae adeo memorabile videbatur, non laudavit, ut neque Macrobius, neque Arusianus Messus seu Corn. Fronto. De Frontone inprimis miror, qui verbum *cernere* bis ex Aeneide illustraverit. Ipse Virgilius XI. 218. *Ipsum armis ipsumque iubent decernere ferro.* Statius Theb. VI. 474. *Hic anceps Fortuna diu decernere primum Ausa venit. Decernere* igitur veram huius poetae manum iudico. Quod in quibusdam MSS. legitur *et decernere ferro*, hic, credo, unius fuit error, ab aliis, ut fit, propagatus, praecipue, postquam

Atque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi,
Procursu rapido, coniectis eminus hastis,
Invadunt Martem *clipeis atque aere sonoro.*
Dat gemitum tellus; tum crebros ensibus ictus
Congeminant. Fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut ingenti Sila, summove Taburno,
Quum duo conversis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt; pavidi cessere magistri;
Stat pecus omne metu mutum, mussantque iuvencae,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi volnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Aeneas et Daunius heros
Concurrunt clipeis; ingens fragor aethera complet.

Grammaticus aliquis docuerat *os*, ut *am em* sim. ante vocalem posse elidi. In qua opinione olim quoque nonnulli recentiores fuere, v. c. Iacobus Micyllus ad Ovidii Metam. XIV. 770. Abbo quoque Floriacensis apud Maium T. V. pag. 337. hoc exemplo docet, inter duas partes, cum *s* praecedit, priorem *s* sonum perdere.

Atque illi. Virgilius ita novam plane rem narraturus orditur: unde interdum est novi libri initium, ut libri IX. *Atque ea diversa penitus dum parte geruntur.* Et campi prius esse debebant vacui, quam coire et ferro cernere Aeneas et Turnus possent.

Clipeis atque aere sonoro. Eleganter Martem invadunt coniectis hastis, tum ensibus rem gerunt. Martem *invadunt clipeis*, intellectu difficile, nec suo loco positum. *Dat tellus gemitum*, ab hoc loco alienum est, inprimis, quum mox sequatur: *ingens fragor aethera complet.*

Fors et virtus miscentur in unum. Pro FORS legendum puto ARS. Turnus et Aeneas omnia tentant, quae in pugna postulantur. Haec sunt *virtus* et *ars* praecipuae. *Fors* non est in potestate certantium. Eam miscere et eum virtute iungere non possunt, nisi cum se offerat. *Arte* semper uti possunt. Aeneid. V. 442. *omnemque pererrat arte locum.* XII. 892. *contrahe quidquid Sive animis sive arte valet.*

Quis nemori imperitet. Male in aliis *pecori*. *Nemori* longe ornatius. De comparatione vide Burmannum ad Phaedri Fab. I. 30.

Iupiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum,
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hic, impune putans, et corporo toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troes trepidique Latini,
Arrectaeque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu:
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque adspexit inermem.
Fama est, praecipitem, cum prima in proelia iunctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci.
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit; postquam arma dei ad Volcania ventum est:
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit; fulva resplendet fragmen arena.
Ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus;
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbis.

Iupiter ipse duas aequato examine lances. Hi tres versus manifeste Aeneiden a Virgilio non fuisse absolutam ostendunt. Miror Tuccam et Varium non aliquos addidisse, ut tota sententia melius connecteretur. Facile ex Homero facere potuissent. Nunc, tamquam inutile pondus, orationis cursum impediunt, quae, his sublatis, longe melius flueret. Iam veteres Grammatici reprehenderunt.

Quem damnet labor. Haerent interpretes, quid sit *labor*, adeo etiam ut Heynius cum aliis modis, tum hoc modo interpretetur: *labor est Iovi, Iupiter deliberat.* Est, credo, ipse lancium *motus.* Motus est duplex, et fit vel sursum vel deorsum. Hic significatur *motus deorsum*, quod intelligitur ex sequentibus *quo vergat pondere letum.* Hoc igitur vult poeta: *quem pondus deorsum labens damnet, morti destinet.* Conferantur quae dixi ad Aeneid. XI. 425. Ceterum in lancibus *quod vergit*, plerumque melius habetur. Vide interpretes ad Ciceronem de Finibus V. 30.

Ni fuga subsidio subeat. Nisi, nisi quod, saepe ita ponuntur, ut fere idem significent quod *sed.*

Undique enim densa Teucri inclusere corona;
Atque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt.
Nec minus Aeneas, quamquam tardante sagitta
Interdum genua impediunt, cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceae septum formidine pennae,
Venator cursu canis et latratibus instat;
Ille autem, insidiis et ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Haeret hians, iam iamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor; ripaeque lacusque

Quamquam tardante sagitta Interdum genua impediunt. Sagitta Aenean tardat, pro *vulnus ictu sagittae acceptum*, mihi non Latinum videtur, nisi sagitta in genubus ipsa haereat. Sed sagitta illa erat excisa: et Aeneas, auxilio Veneris, pristinas vires plane receperat, ut adeo hic propter illud vulnus in cursu impediri non potuerit. Virgilius non ita oblitus est, quid brevi antea scripserit. Locus est corruptus. In MSS. *tardante*, *turbata*. Nihil mihi in mentem venit, relatu dignum. Sed vocabula *tardante sagitta*, *sagitta* certe, exspectant medelam. In SAGITTA latere potest FATIGAT vel simile, ut FATISCVNT: *quamquam tardata fatiscunt*, *Interdum et genua impediunt cursumque recusent:* vel, *quamquam tardatus anhelat Spiritus, et genua impediunt cursumque recusant.* An Virgilius in suo exemplari reliquit: *Nec minus Aeneas, quamquam — — Interdum genua impediunt, cursumque recusant.* eaque Tucca et Varius per *tardante sagitta* explevere? Exemplo esse potuit V. 395. *sed enim gelidus tardante senecta Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires.*

Cervum, aut puniceae septum formidine pennae. Scribendum puto *et puniceae.* Cervus inclusus est hinc ripa, inde pennis. Inde mox dicit poeta: *insidiis et ripa territus.* Alioquin et hic debuisset *insidiis aut ripa territus.* Apparet etiam ex antecedentibus, ubi Turnum inclusere *undique Teucri*, *hinc palus*, *hinc moenia.*

Venator cursu canis. Wagnerus comma inter *cursu* et *canis* recte sustulit. Iam Servius iunxerat *venator canis.*

29*

Responsant circa, et coelum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnis,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Aeneas mortem contra, praesensque minatur
Exitium, si quisquam adeat; terretque trementis,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbis explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur
Praemia: sed Turni de vita et sanguine certant.
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, et votas suspendere vestis.
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Aeneae stabat: huc impetus illam

Et saucius instat. Heynius explicat: *etsi saucius*, vel *quantum licebat saucio.* Idque poeta dignius arbitratur, quam quod coniicere possit aliquis: *nec secius instat*, vel *et saevius instat.* Virgilius, ut supra iam ostendi, scribere non potuit, *saucius.* Hoc etiam magis veritati adversaretur, quam *tardans illa sagitta.* Ego ista vel delenda censeo, vel scribendum: *nec secius.* Licet Turnus Rutulos increpet ensemque flagitet, et Rutuli Turno arma dare velle videantur, Aeneas nihilo secius instat.

Forte sacer Fauno. Et hoc de Fauno, et mox colloquium Iovis et Iunonis, et alia in toto hoc libro minus elegantia mihi videntur. Fortasse multa sunt spuria. Virgilius ultimum librum sine dubio reliquit maxime imperfectum. Suppleruut Tucca et Varius, et alii, ut Aeneidem haberemus ita saltem absolutam, ut legi posset.

Votas suspendere vestis. In aliis *notas.* Conieceram aliquando: *atque udas suspendere vestes.* Ut Horatius Carm. I. v. 13. *me tabula sacer Votiva paries indicat uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris deo.* Sed ex eodem loco defenditur *votas.* Et Ovidius Metam. VIII. 744. *vittae mediam* (arborem) *memoresque tabellae Sertaque cingebant voti argumenta potentem.*

Detulerat, fixam et lenta in radice tenebat.
Incubuit voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit; tuque optima ferrum
Terra tene; colui vestros si semper honores,
Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.
Dixit, opemque dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Aeneas. Dum nititur acer, et instat:
Rursus in aurigae faciem mutata Metisci
Procurrit, fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphae indignata licere,
Accessit, telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
Adsistunt contra certamine Martis anheli.
Iunonem interea Rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:

Fixam et lenta in radice tenebat. Malim: *fixa hic lenta in radice sedebat.* Radix oleastri tantum supererat. Oleaster igitur hastam *tenere* non poterat.

Quos contra Aeneadae bello fecere profanos. Versus tenuis et exilis, ut etiam Heynio visus. Tuto carere possumus. Iahnius et Wagnerus robur et nervos accipere putant ex versu antecedenti. Versus, qui suo se robore non tueri possunt, iam ipsi sunt culpandi. Pro *bello*, in aliis *ferro*, quod paullo melius.

Adsistunt contra certamine Martis anheli. Alii *certamina*, *insistunt*, *in certamine.* Heynius iungit: *adsistunt certamine Martis:* ut *anheli* ornet. Wagnerus Heynium docuisse vellat, recte dici *adsistere certamine.* Ergo Wagnerus iungit *anheli certamine*, ut vulgo faciunt. Fortasse rectius: *Adsistunt contra et certamina Martis anhelant:* ut *anhelare scelus* et similia. Maluissem tamen Virgilius scripsisset: *Adsistunt contra, cursus certamine anheli:* contra adsistunt, etiam anheli, hic fugiendo, ille sequendo.

Quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?
Indigetem Aenean scis ipsa, et scire fateris,
Deberi coelo, fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?
Mortalin decuit violari volnere divum?
Aut ensem (quid enim sine te Iuturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine iam tandem precibusque inflectere nostris.
Nec te tantus edat tacitam dolor; et mihi curae
Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare, vel undis,
Troianos potuisti; infandum accendere bellum,

Mortalin decuit violari volnere divum? *Mortali* pro *letali* non Latinum videtur. Ergo accipiendum de vulnere, quod *mortalis* intulit. Vir doctus olim coniecerat *mortalem*, Heynio laudante, quia vis argumentandi requirat: *a deo mortalem vulnerari indignum est.* *Divum* ita esset pro *divorum*. Sed recte Wagnerus sensit talem apodosin non respondere protasi. Pro MORTALIN scribendum puto HVNC TALEM. *Hunc talem decuit violari vulnere divum?* Hunc talem, quem ipsa scis indigetem coelo deberi, et hoc scire fateris, quem scis fatis ad sidera tolli. Iupiter dicit *vulnere divum*, divorum, Iunonis. Dicere noluit *a te* vulnerari, uxori parcens. *Hic talis*, antiquae Latinitatis. Terentius Eunuch. I. II. 81. *ne illum talem praeripiat tibi.* Sallustius B. Iug. 10. *colite observate hunc talem virum.* Vide Cortium ad cap. 31.

Ensem — Ereptum reddi Turno. Non assequor, quid sit *ereptum*. Supra narratum est, Turnum *praecipitem cum prima in proelia iunctos Conscendebat equos, patrio mucrone relicto, Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci.* Hunc igitur ensem Turnus imprudens reliquerat, nemo ei eripuerat. Ergo hic *ereptus* dici non potest. Quid scripserit Virgilius, hariolatu non facile est. Scribere poterat: *Restitui patrium Turno:* ut supra *patrium mucronem reliquerat.* EREPTVM et PATRIVM, REDDI et RESTITVI saepe permutata sunt. Nihil igitur requiritur, nisi ut *ereptum reddi* seu *patrium restitui* transponantur.

Nec te tantus edat tacitam dolor; et mihi curae. Melius, ni fallor: *Cur te tantus edat tacitam dolor; aut mihi curae.* Ita blandior est Iovis oratio, et difficultas in *et* tollitur.

Deformare domum, et luctu miscere hymenaeos:
Ulterius tentare veto. Sic Iupiter orsus;
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Iupiter: et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aeria solam nunc sede videres
Digna indigna pati; sed flammis cincta sub ipsa
Starem acie, traheremque inimica in proelia Teucros.
Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, et pro vita maiora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum;
Adiuro Stygii caput implacabile fontis:
Una superstitio superis quae reddita divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum:
Cum iam connubiis pacem felicibus, esto,
Component, cum iam leges et foedera iungent:
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas Teucrosque vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestem.

Sub ipsa Starem acie. Ita Wagnerus edidit, et copiose ac subtiliter defendit. Alii *sub ipsam aciem.*

Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum. Elegantiam formulae *non tamen ut* exemplis illustravit Heinsius ad Ovidii Heroid. V. 83.

Adiuro. Et hoc verbum exposuit Heinsius ad Ovidii Heroid. XX. 159.

Una superstitio superis quae reddita divis. Citavit Lactantius Instit. I. 11. sed imprudens Iovi tribuit.

Illud te, nulla fati quod lege tenetur. Malim: *teneris.* Exquisitius, et melius ad ipsum Iovem refertur. *Quod teneris*, pro, in quo, in qua re lex fati te constrictum non tenet. Virgilius Aen. II. 159. *teneor patriae nec legibus ullis.* Ovidius Metam. X. 203. *quoniam fatali lege tenemur.* Ubi plura Heinsius. In Ovidii quibusdam MSS. pro *tenemur*, legebatur *tenetur.*

Vertere vestem. Recte praetulit Wagnerus alteri *vestis.* Ceterum *mutare* in hoc versu negligenter iteratum, cum praecedat *nomen mutare.*

Sit Latium, sint Albani per saecula reges,
Sit Romana potens Itala virtute propago;
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Es germana Iovis, Saturnique altera proles:
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus!
Verum age, et inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis; et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt:
Utque est, nomen erit; commixti corpore tantum

Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia. Pro *sinas* in MSS. *sidas*, *licet*, *sine*. Heinsius ex *sidas* faciebat, eiecto *que*, *occiderit*, *si das*. Mihi illud *sinas* in tali formula suspectum est: nota sunt *occidit occideritque*, *occideritque precor*, *occideritque in perpetuum*, similia. Et quid Iupiter *sineret?* Troia occiderat semel. Eadem rursus *occidere* non poterat. Verum puto: *Occidit, occideritque suo cum nomine Troia:* vel *ipso cum nomine:* ut Orosius II. 17. *populum cum ipso nomine abolendum*.

Es germana Iovis, Saturnique altera proles. Wagnerus *Es* ex Med. edidit, et explicat: Probas te Iovis germanam Saturnique prolem, quod tautos irarum volvis fluctus. Equidem *Et germana* sq. praefero. Iupiter vult, sororem Iovis decere mitem animum; se ipsum esse mitem: *me*, ait, *victusque volensque remitto. Do, quod vis.*

Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt. Iuno supra rogaverat, ne viri *vocem mutarent* aut *vestem verterent*. Iupiter melius respondisset *vestemque tenebunt*.

Commixti corpore tantum Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum Adiiciam. Wagnero nondum de hoc loco liquebat. Et est difficillimus. Pro *adiiciam* ego dudum emendaveram *adiicient*, quod idem Wagnero in mentem venisse video. Cetera, transpositis *Teucri* et *tantum*, mutataque interpunctione, me expedivisse puto: *Commixti corpore Teucri Subsident: tantum morem ritusque sacrorum Adiicient.* Ausonii sermonem, mores, et nomen servabunt. Teucri cum Ausoniis in unum corpus coalescent, Teucri fient Ausonii, nihil Teucrum manebit: adiicient tantum suos deos, suaque sacra. Sic Aeneas ubique proponitur Aeneid. I. 10. *inferretque deos Latio*. Ipse in foedere XII. 192. *sacra deosque dabo*. Conf. interpretes ad Silium I. 43. *Subsidere*, ut in liquore gravior materies ima petit, ut Horatius Satyr. II. IV. 57. *ima petit volvens aliena vitellus*.

Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum
Adiiciam, faciamque omnis uno ore Latinos.
Hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis;
Nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores.
Adnuit his Iuno, et mentem laetata retorsit.
Interea excedit coelo, nubemque relinquit.
His actis, aliud Genitor secum ipse volutat,
Iuturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae,
Quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hae Iovis ad solium, saevique in limine regis,
Apparent, acuuntque metum mortalibus aegris,
Si quando letum horrificum morbosque deum rex
Molitur, meritas aut bello territat urbis.
Harum unam celerem demisit ab aethere summo
Iupiter, inque omen Iuturnae occurrere iussit.

Adnuit his Iuno, et mentem laetata retorsit. Schraderus emendabat *vultum laetata retorsit.* Et Heynius post *retorsit* desiderabat *lumina*, quasi voluerit: *mentem laetata retorsit Lumina. et excedit coelo.* Et hoc melius esset vulgatis, uti et illud, quod mihi in mentem venit: *Adnuit his Iuno et mentem laetata retorsit Interea, et coelo excedit nubemque reliquit.* Sed totus locus non eleganter elaboratus est.

Fratris dimittere ab armis. Quae, tamquam auxiliatrix, pro Turno militaverat. Habet hoc verbum ironiam nihil minus quam pulchram. Verum erat *removere, avocare.*

Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae. Et haec nova de Diris fabula contraria iis, quae alibi traduntur in ipsa Aeneide. *Dicuntur*, pro *sunt*, non laudo.

Quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram. Mirum. Duo nomina lectoribus divinanda relinquit, unum memorat. Nemo quidem ignorat Furias. Sed hic tamquam ignotas proposuit: *Dicuntur geminae pestes.* Mox *ventosae* de *alis* novum epitheton.

Inque omen. Ut esset omen. Humile.

Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus, ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam saevi Parthus quam felle veneni,
Parthus, sive Cydon, telum immedicabile, torsit,
Stridens et celeris incognita transilit umbras.
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni:
Alitis in parvae subitam collecta figuram,
Quae quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit importuna per umbras;
Hanc versa in faciem Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor;
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.

Nervo. In Montalb. *verno.* Similes errores saepe iam a nobis indicati sunt. Sic in Ovidii Metam. IV. 349. *Opposita speculi refertur imagine Phoebus:* in uno Leid. erat *elypei.* Quod, quum Burmannus ab indocto librario proficisci non posse indicabat, literarum transpositio ei in mentem non venit: ut neque Gesnero ad Horatii Epist. II. II. 140. *Et demtus per vim mentis gratissimus error:* unde in MSS. venit *pretium.*

Parthus, sive Cydon, telum immedicabile, torsit. Merito nonnullos offendit repetitum *Parthus.* Exempla, qualia *Et vos — Fauni — Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae*, non eadem sunt. Neque emendationes in versu antecedente iuvant: Ibi, pro *Parthus*, legerunt viri docti *saevi*, *arcu*, *certus*, *patrii.* Tribuo negligenti poetae.

Celeris incognita transilit umbras. Virgilius alibi melius, pro *incognita*, *fallens* posuit. *Incognita* tenue est. Male autem *celeres* brevi intervallo ter repetitur. Reprehendit et Heynius.

Alitis in parvae subitam collecta figuram. Epitheton *parvae* militarum nus aptum. Emendarunt *rarae*, *raucae*, *furvae*, *parrae*, *pravae.* Significatur *noctua.* Sed ea non est tam *parva.* Itaque dicendum, quod Heynius commendat, *parvam respectu deae.* Licet omnes aves, aquila etiam, respectu deae sint *parvae.* Pro *collecta*, in quibusdam *conversa.* *Collecta* parvitatem ostendit, idque verbum Heinsius breviter ad Ovidii Metamorph. XIII. 910, copiose et erudite ad h. l. Virgilii illustravit.

Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit. Idem versus alibi legitur.

At, procul ut Dirae stridorem agnovit et alas,
Infelix crinis scindit Iuturna solutos,
Unguibus ora soror foedans, et pectora pugnis:
Quid nunc te tua, Turne, potest germana iuvare?
Aut quid iam durae superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin possum me opponere monstro?
Iam iam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscenae volucres, alarum verbera nosco,
Letalemque sonum; nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iovis. Haec pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit aeternam? cur mortis ademta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.
Immortalis ego? aut quidquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quae satis alta dehiscat

Aut quid iam durae superat mihi? In aliis *miserae*. Est omnino in omni hoc loco maior scripturae varietas, quam alibi. Quod suspectum.

Obscenae volucres, alarum verbera nosco. Schol. Horatii *dirorum*. Supra alii *trementem* pro *timentem*. Huiusmodi lectiones non sunt errores librariorum, sed verae in MSS. varietates. Aliae sunt plurimae, quas praetereo. Mirum deinde *obscenae volucres* de *una* volucre. Servius quidem aunotavit: »Invidiose dixit; nam una est." Sed usus iste numeri pluralis in uno subiecto invidiae caussa ad tale exemplum vix referri potest. Neque *verbera alarum* probaverim. Inflatum est, ubi agitur de *noctua*, quae iam *parva ales* appellata sit. Rectius Aen. XII. 755. de aquila: *urguet obunco Luctantem rostro, simul aethora verberat alis.*

Magnanimi Iovis. Ironia parum decens.

Aut quidquam mihi dulce meorum. Pro *meum*. Metri caussa positum. Vix Latinum videtur, *quid meorum* mihi gratum est?

O quae satis alta dehiscat Terra mihi. Ex aliis Aeneidos locis: praecipue ex libro XI. 675. *Quid ago? aut quae iam satis ima dehiscat Terra mihi?* Et hic mihi iterum vide varias MSS. lectiones: o *qua*, *quam*, *quo*, *satis una*, *satis ima*. Illud *una* et *ima* mihi in mentem vocat locum Horatii in Epistola ad Pisones vs. 32. ubi eadem vocabula sunt permutata. Interea ibi neque *unus* neque *imus* verum est: *Aemilium circa*

Terra mihi, Manisque deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, et se fluvio dea condidit alto.
Aeneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, et saevo sic pectore fatur:
Quae nunc deinde mora est? aut quid iam, Turne, retractas?
Non cursu, saevis certandum est comminus armis.
Verte omnis tete in facies; et contrahe, quidquid
Sive animis sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans: Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox, di me terrent, et Iupiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,

ludum faber imus et ungues Exprimet, et molles imitabitur aere capillos. Pro FABERRIMVS restitue FABRIMANVS, et locus, qui interpretes tam diu sollicitavit, non amplius, puto, sollicitaturus est. Quid enim iam facilius et elegantius? *Aemilium circa ludum fabri manus ungues Exprimet, et molles imitabitur aere capillos.*

Aeneas instat contra. Virgilius orationem, longis sermonibus Iunonis, Iovis et Iuturnae abruptam, melius repetivisset: v. c. *Interea Aeneas*, *At pius Aeneas*, vel simili modo.

Opta ardua pennis Astra sequi. Sententia, obscure expressa, haec esse videtur: comminus tibi certandum est, neque effugies, etiam si ad astra volares, vel sub terram descenderes. Comparo versus Euripideos ex Phaethonte, tractatos ab Hermanno in Opusc. T. III. pag. 20: *ποῖ πόδα πτερόεντα καταστάσω; Τίν' αἰθέρ' ἢ γᾶς ὑπὸ κεῦθος ἄφαν — Τον ἐξαμαυρωθῶ;* Eurip. Herc. Furent. 1157. *ποῖ κακῶν ἐρημίαν Εὕρω; πτερωτὸς, ἢ κατὰ χθονὸς μολών;* Similia annotavit D'Orvillius ad Charit. pag. 665. Valerius Flaccus IV. 217. *fuga sub terras, fuga nulla per auras.* Atque huc pertinet locus pulcerrimus ex Psalmo CXXXIX. quem Buchananus sic reddidit: *Quonam ergo vultum fugero tuum? quibus Clausus latebris occular? Petamne coelum? praesto es hic. Ad inferos Demergar? illinc non abes.* Wyttenbachius haec annotavit: »Proverbialis est figura, ad significandam extremam rerum omnium desperationem, ducta ex Euripide in Medea 1294; de qua plura diximus in Bibliotheca Critica Vol. II. Part. II. pag. 23."

Saxum antiquum, *ingens*, campo quod forte iacebat,
Limes agro positus *litem ut discerneret arvis;*
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus;
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
Altior insurgens, et cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu saxumque immane moventem:
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,

Saxum antiquum ingens. Ingens male repetitum. Wagnerus coniecerat supra *circumspicit amens*, vel *inde.* Putat tamen recte hoc a Popio defensum; repetitum quippe *ingens*, ut animus in consideranda saxi magnitudine moretur. Si legeretur *Saxum ingens*, *antiquum*, Popius aliquid fortasse dixisset. Talis repetitio, ubi alterum vocabulum interiicitur, exemplo et ratione caret.

Litem ut discerneret arvis. Glossa tam manifesta, ut verba perderem, si demonstrare aggrederer: *agro positus*, ut *arva* terminaret! Est, inquam glossa, ut lapidem esse *terminum* sciremus. In Cod. Parrhas. totus versus *Saxum antiquum ingens, campo quod forte iacebat*, non legitur. Locus hic nunc quidem est integer: *Limes agro positus campo quod forte iacebat:* quod saxum forte in campo illo iacebat, ubi positus erat tamquam limes *agris.* Malim enim *agris*, ut erat in MSS. Barthii.

Vix illud lecti bis sex cervice subirent. Comparatio veteris aevi cum praesenti est nimia, nec modestiae Virgilianae. Eam modestiam Seneca et alii saepe laudaverunt, aliorumque intemperantiam et tumorem reprehenderunt. Hic locus, si quidem vidissent, eos effugere in tali disputatione non potuisset. Homerus οὐ δύο γ' ἄνδρε appellavisse satis habuit. Virgilius *duodecim* appellat, neque *duodecim* tantum, sed *duodecim lectos.* Reprehenderunt iam ante me Popius, Heynius, Heindrichius.

Sed neque currentem se, *nec cognoscit euntem.* Verba *currendi*, *tollendi*, *movendi* differunt. Quid in hac caussa magnopere differant *currere* et *ire*, non video. Scribendum puto EVNDEM pro EVNTEM. *Sed neque currentem sese cognoscit eundem.* Turnus sentiebat se non eum esse, qui fuerat. Virgilius V. 465. *Infelix*, *quae tanta animum dementia cepit? Non vires alias conversaque numina sentis?* Ambrosius I. Epist. 19. *nec animi sui alacritatem nec virtutem cognovit. Nec vigor erat.*

Nec spatium evasit totum, neque pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus aegri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacunque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos adspectat, et urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit;
Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt, aurigamque sororem.
Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis; et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricae, et clipei extremos septemplicis orbis.
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.

Nec spatium evasit totum, neque pertulit ictum. Silius IV. 135. *Illa* (hasta) *volans patuli longe per inania campi Ictum perdiderat spatio.* Seneca de Constantia 3. *Maiore intervallo a contactu inferiorum abductus est, quam ut ulla vis noxia ad illum vires suas perferat.*

Non lingua valet. Exspectaveram ista minus turbata, in hanc sententiam: Notae in corpore vires non sufficiunt, nec linguam vox aut verba sequuntur. Potuisset Virgilius: *Succidimus: notae invalido non corpore vires Sufficiunt, linguam nec vox aut verba sequuntur.* Locum cogitabat Ovidius Metam. XI. 326. *Lingua tacet: nec vox tentataque verba sequuntur.* Et Statius Theb. XI. 601. *nec vox ulla seni — nec verba diu tentata sequuntur.*

Telumque instare tremiscit. In Hamb. *Teloque.* Rufinianus de Schemat. p. 258. *Ictumque.* Quod fortasse melius.

Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest: oro, (fuit et tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectae;
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti; et victum tendere palmas
Ausonii videre; tua est Lavinia coniunx;
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo
Coeperat: infelix humero cum apparuit alto
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri; victum quem volnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.

Ille humilis. Indignum Turno. Et poeta nihil dicit, quid Aeneas, postquam Turnum cadentem viderat, fecerit. Exspectassem: *Aeneas stricto ense accurrit*, vel simile.

Utere sorte tua. Silius XV. 801. *utere Marte tuo.*

Et me, seu corpus. Dictys Cretensis III. pag. 80. *Nihil deprecor. At deos recordatus, retorque animos ad pietatem: concede parvulis saltem non animam parentis, sed cadaver deprecantibus. Veniat in animum recordatio parentis tui.* Dacieria in illis haerebat, quae iam ex Virgilio facile interpretantur.

Vicisti, et victum tendere palmas Ausonii videre. Seneca Herc. Oet. 1320. *Quid quaeris ultra? Supplicem Alciden vides.* Claudianus B. Gild. 91. *ignoscere pulcrum Iam misero, poenaeque genus vidisse precantem.*

Humero cum apparuit alto. Charisius pro *alto*, vidit *ingens. Ingens balteus infelix* Wagnero non displicet, si per Codd. liceret. Omnes habere videntur *alto*, idque melius. Iacet quidem Turnus, sed in *alto humero*, id est, in superiore humeri parte, in summo humero balteus ille conspicitur. Ceterum mihi non placet statim repetitum *humeris inimicum insigne gerebat.*

Ille, oculis postquam saevi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus, et ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum,
Eripiare mihi? Pallas te hoc volnere, Pallas
Immolat, et poenam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Tune hinc spoliis indute meorum Eripiare mihi? In Parrhas. *tune hic spoliis.* Quod elegantius iudico, non ut accipiam pro *tu ille*, sed ut v. c. apud Sallustium Catil. 52. *Hic mihi quisquam misericordiam nominat?* Ubi vide Cortium.

Pallas te hoc volnere, Pallas immolat. Claudianus de Laudibus Stilichonis I. 97. *Pallantis iugulum Turno moriente piavit Aeneas.* Statius Theb. IX. 137. *Abstulit ense manum: simul increpat: Hanc tibi Tydeus, Tydeus ipse rapit.*

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras. Statius Theb. VI. 882. *Indignantem animam propriis non reddidit astris.* Ubi Scholiastes: »Dicunt philosophi indignari animas, quod invitae de hac luce discedant." Altera versus particula ante oculos erat Valerio Flacco II. 609. *maestos tranquilla sub aequora vultus Cum gemitu tulit.*

Annotationes, quas componere incepi ipsis Kal. Decembr. a. MDCCCXLI, eas Kal. Decembr. a. MDCCCXLII absolvi. Quo facto opus explicitum est.



INDICES.

INDEX SCRIPTORUM,

QUORUM LOCI IN ANNOTATIONE TRACTANTUR.



A.

C.

30*

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

INDEX RERUM ET VERBORUM.



A.

B.

C.

D.

E.

L.

Q.

R.



Aeneidem Virgilianam, annotatione illustratam, Typographo Leidensi exprimendam tradidi medio mense Februario huius anni MDCCCXLIII; Typographus mense Novembri eiusdem anni omnia absolvit, usus in ea re non minore studio quam elegantia. Versus ad normam Wagnerianam edidi. Quod, quamquam alicubi in commentario iam significavi, hic repetendum esse arbitrabar. Indices composuit Matthias de Vries, unus in excellentissimis Academiae nostrae alumnis, filius Abrahami de Vries, quem amicum viginti septem annos cognitum habui et diutius habeam. In corrigendis Typothetae erroribus adiutor mihi obtigit Ioannes Theodorus Bergmannus, idem, cuius humanitatem et benevolentiam in Horatio expertus sum. Pro novo hoc erga me officio satis ei gratus esse non potero. Si quis unquam fuit in terris, qui tereretur, dum prodesset, est profecto Bergmannus. Non dubito quidem, quin et hunc, talem Lyncea, errores effugerint: sed hi, credo, spero certe, erunt pauciores, neque lectores valde morabuntur. Interea

Vol.	I.	p.	125. b.	pro	*poetam, quum*	legatur	*poeta quum*
»	»	»	172. vs. 3.	»	*ventis*	»	*ventus*
»	»	»	175. » 6.	»	*manebat*	»	*manabat*
»	»	»	233. » 7.	»	*coepta*	»	*coeptae*
»	»	»	398. a.	»	*pergere*	»	*hoc pergere*

Annotationi nonnulla habebam, quae adderem. Sed his suus aliquando locus non defuturus est. Leidae Prid. Id. Novembr. MDCCCXLIII.





